BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 C
10

BREVIARIVM VNIVERSÆ THEOLOGIÆ.

EMINENTISS., ET REVERENDISS.
PRINCIPI, AC DOMINO
D. BENEDICTO
S·R·E· CARDINALI
PAMPHILIO
INNOCENTII X. Pontificis Maximi Pronepoti, & Bononiæ, ſuiquè Comitatus
à Latere Legato
DICATVM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



BONONIÆ. M. DC. XCI.

BREVIARIVM
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,
NEMPE SPECVLATIVÆ, DOGMATICÆ, AC MORALIS
IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTVM

Iuxta principia Scholæ Scotiſtarum

In commune Sacræ Theologiæ Studentium præſertim noſtræ Seraphicæ Religionis commodum, atque vtilitatem elaboratum

A F. ANTONIO A CANDELARIA
PISAVRENSI

Ordinis Min. Strict. Obſer. Prou. Marchiæ S. Thologiæ Profeſſore; olim iteratò Diffinitore, ac Commiſſario Prouinciali; nec non Foriſempronij Examinatore Synodali, & S. Officij Conſultore

In quibus breui, ſed perſpicua, & fundamentali methodo proceditur

Non omiſſis Controuerſijs, quæ in Scholis agitari ſolent.

PRODIT PARS PRIMA.

Apud Petri-mariæ de Montibus. 1691.

Superiorum permiſſu.

EMINENTISS., ET REVERENDISS.
PRINCIPI, AC DOMINO

D. BENEDICTO
S·R·E· CARDINALI
PAMPHILIO

INNOCENTII X. Pontificis Maximi Pronepoti, & Bononiæ, ſuique Comitatus à Latere Legato.

Fr. Antonius Gauellus à Candelaria Ordinis Minor. Strictioris Obſeruantiæ Sempiternam Felicitatem.

NOn ſinè Cœleſtis Diſpoſitione Conſilij meum per hæc tempora in hoc Seraphicæ Obſeruantiæ Cænobium iſti proximum celeberrimæ Vrbi, aduentum extitiſſe crediderim EMINENTISS. PRINCEPS, *cùm ex ipſo ſummæ fælicitatis aſſequendæ mihi certiſſima arriſiſſe videatur occaſio. Hùc ſeceſſeram*

mea ſacrarum Scientiarum, quæ potiſſimè in theologicis facultatibus aſſumptio, ſtudia expoliturus, ancipiti tamen Animo an potiùs plurium Amicorum deſiderio, qui ea in lucem edi poſſe amantiſſimè adulabantur, an ingenij mei imbecillitati, quinimmò & honori conſulerem, illa in abditis Cellulæ reſeruando. Præcipuum meæ vocationis munus, quod minoribus licet Diuinæ Beneficentiæ talentis, alia iubet ſuperlucrari, & mei Sociorum Inſtitutio, præcipuèque Tyronum, cæterorumque, qui in ſubtiliſſimi Scoti ampla Palæſtra decertare cupiunt, commoda impellebant, vniuerſæ Theologiæ Breuiarium offerre, quo, ſicut graphica delineatione Orbem Mathematici excurrunt, huius Præceptoris, aliorumque Auctorum ex occaſione Sententias deſignarem; ità tamen, vt nec obſcuritas breuitatem accuſaret, nec iſta nimis curioſitatem contraheret. Huic immò ſatisfacturus, illuſtriores, nec non recentiores addere putauiſſem vel morales, vel dogmaticas Diſputationes, quibus Ingenia maximè his tempeſtatibus erudiuntur, ijs

ta-

tamen neglectis, quæ Sophiſmatibus veriùs, quàm rationibus inutilem ferè Doctrinam componunt, quam in ſterili Pharaonis Filia Gregorius Niſſæ Epiſcopus adumbratam agnouit. Hoc etiam veluti ſtimulo animum propulſabat; quod vſque adhuc me lateret aliquem extitiſſe, qui noſtri Magiſtri opera compendioſa elucubratione collegerit, ſi vnum, vel alterum excipiamus Auctorem, qui ea docto quidem, ſed tamen ſtrictiſſimo Calamo expoſuit. Vtilitatem equidem non paruam cuique homini diuerſis curis implicito ex breuitate redundare experientia compertum eſt, maximè ijs, qui ex ſui vocatione Inſtituti plurimùm in contemplatione otiantur, Diuinæque Pſalmodiæ vacant; quòcirca illud vſurpare poſſe arbitramur, quod de breuitate vitæ moralis Philoſophus ait: Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt.

Hæ, inquam, Eminentiſſime Princeps, animaduerſiones periculum facere de meo nomine vrgebant; verùm etiam eodem tempore

grauioribus famæ curis onuſtus animus retrahebat, quæ hoc vnicum argumentum habebant ex mei operis humilitate, & nouitate deſumptum, quàm maximè arduum mihi eſſe talem Theologiæ meæ Patronum inuenire, cuius magnitudo exiguitatem tueretur ingenij, et humanitas paupertatem muneris non deſpiceret. Sed fœliciſſima in tuo ad hanc Prouinciam magno Legationis titulo adminiſtrandam acceſſu, vt primùm dicere incæpi, mihi arriſit occaſio, CARDINALIS AMPLISSIME, *vt omni abiecto timore ad fimbrias Sacræ Tuæ Purpuræ qualeſcunque mearum vigiliarum partus prouoluerem, minus de Tui Nominis maieſtate pauidus, quia ſatis ſuperquè de tua erga omnes beneficentia, & humanitate ſecurus. Veritatem hiſcemet oculis ſuſceptam reticere non patiuntur publici Populorum huius Prouinciæ plauſus, quos ſereno dignaris obtutu, & aſsidua obſequentium Procerum, Nobiliumque corona, qua vndeqnaque ſtipatus incedis, vt iam mihi quodammodò inutilis videatur tui Prætorij militum ambitus:*

Vnum

Vnum enim eſt inexpugnabile munimentum Amor Ciuium. *Modeſtiæ Tuæ, qua omne encomium effugis, licet argumenta maxima, & Sanguinis claritatem, & Principatus Dignitate, & omnium virtutum genere porrigas, meum eſt obtemperare ſilentio, ne vel gloriæ quæſtum Te amaſſe aliquis ſuſpicetur, qui ab omni alio tam ſolicito, & generoſo animo abhorres.*

Tuæ igitur Sapientiæ, & Animi magnitudini vniuerſæ hoc Theologiæ Breuiarium venerabundus offerre audeo, & ad baſem myſtici Salomonis Templi hoc qualecunque opus proſternere; Si enim in illis, Leonis, Bouis, & Cherubim ſculptæ erant imagines, per quas iuſta ſeueritas, patiens manſuetudo, & Cæleſtis ſcientia Prælatorum Eccleſiæ deſignabantur, iuſtiſſimum mihi eſt eaſdem in Te vno admirari, qui in ſummo Cardinalatus apice, non ſimilitudines virtutum, ſed virtutes ipſas elegantiſsimè repræſentas. Quod autem hoc obſequij mei humillimum teſtimonium tuearis, ne iniuriam auctoritati, & bonitati tuæ fa-

ciam

am, ci exorare negligo; ſecuritatem enim præſtat illud è Canticis Canticorum acceptum: Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vnius cuiuſq; enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos: *quod Eminentiæ Tuæ ſtrenuitatem, et potentiam mihi abundanter teſtatur. Id ſolùm ſupereſt, vt* MAXIMI PONTIFICIS OPTIMO PRONEPOTI *eandem Diuinis Numinis diſpoſitionem, qua vniuerſæ Eccleſiæ regendo Clauo admouearis exoptem, quam ſicut eidem* TVO SANCTISSIMO PATRVO *vnus ex meo Ordine venerabilis Vir, Innocentius nomine, prophetico augurio notam fecit, ita ex Tuorum meritorum lumine mea Seraphica Religio, immò Vniuerſus Terrarum Orbis totis votis auſpicatur. Vale.*

Ad

Ad beneuolum Lectorem.

EN, humaniſſime lector, Breuiarium vniuerſæ theologiæ nempe ſpeculatiuæ, dogmaticæ, & moralis, grandi anxietate à me diù deſideratum, maxima diligentia perquiſitum, at non inuentum; adeoque ea, qua potui, mei ingenij tenuitate collectum, ac elaboratum. Elaboratum, inquam, in communem S. Theologiæ Studentium, præſertim noſtræ Seraphicæ Religionis, vtilitatem, & commodum; vt noſtri Iuuenes Religioſi, qui perpetuò ſunt Choro addicti, diuinis perſolutis officijs, exercitijs tum ſpiritualibus, tum domeſticis peractis, reliquo breui temporis interuallo, quod eis ſupereſt, omni conatu ad hoc Breuiarium theologicum animum, mentemque conuertant: abſque vllo prorſus timore, quod à Spiritus deuotione, tantopere à noſtro Seraphico Patriarcha commendata, ſe ſe auertere videantur Planè vtrumque Breuiarium diuinum: quandoquidem in illius deuoto exercitio Deo loquimur, in huius religioſo ſtudio loquitur nobis Deus; ac proindè vtrumque Breuiarium perutile, ac perneceſſarium Viris religioſis, qui Vineam Domini iuxta legis diuinæ regulas, & charitatis præcepta aptè, rectè-uè colere peroptant; vt inde ſuauiſſimos, ac

imar-

immarceſcibiles fructus, quibus beata fruantur æternitate, colligere valeant. Verùm quia in terris gaudent breuitate Moderni; eam in meo Breuiario, vt nomen, & rem habeat, amplecti ſedulò ſtudui; præferens ſemper paucis plura perſtringere, quàm in longas ambages diſcurrendo oculos, & animos laſſare lectorum. Hinc mihi ſemper arriſit illa Phocionis Philoſophi ſententia.

Quicquid præcipies, eſto breuis, vt cito dicta.
Percipiant animi dociles, teneantquè fideles.

Quòcirca ſi materiarum dignitatem, & amplitudinem rectè rimaris; ſi opinionum multiplicitatem diſtinctè enumeres; ſi nodoſas controuerſiarum difficultates maturè perpendis, dubiò procul fateri, ac comprobare cogeris me haud Breuiarij limites præterijſſe: quamuis materias omnes theologicas, tum ſpeculatiuas, tum dogmaticas, tum morales, non quidem ſuperficialiter, ſed funditus penetrare mihi propoſuerim: & ni mea me fallat opinio à propoſito ſcopo minimè deflexi. Vt ſic habeas plenam in breuitate abundantiam abſque vllo claritatis preiudicio; cum meo videri hic locum habere non probetur illud effatum: Dum breuis eſſe volo, obſcurus fio. Itaque ne te pigeat hoc meum Breuiarium euoluere, ac reuoluere, fortaſſe meus non tibi diſplicebit labor; quandoquidem quicquid ad

vni-

vniuerſas theologicas inſtitutiones optari poſſit, in eo copioſa breuitate complecti, & noueris; &, ut ſpero, approbaueris.

Cæterùm Scoticæ doctrinæ textuali adeò inhæreo, atque inſiſto, vt omnes ferè concluſiones ea probem, & firmem; additis inſuper inſignium Scotiſtarum, tam veterum, quàm recentiorum ſententijs; nec non quandoque Alenſis, D. Bonauenturæ, ac Richardi velut theologiæ inter Principes doctrina. Ad hanc metam contendens, vt Studentes germanis noſtri Doctoris Subtilis principijs, modò ex Scripto Oxionenſi, modò ex Pariſienſi deſumptis, plenè inſtructi euadant. Illud tamen, Amice lector, admonitum te velim, multos interdum me citare Auctores in materijs moralibus, eorumque producere ſententias, etſi non probem, aut ſequar (communi enim hæreo ſenſui) cito tamen, & refero, vt ſcias, quid ſentiant alij, vtquè in perplexitate noſcas effugium. Tandem te candide lector rogo, atque rogo; vt ſi quid ineruditè, & iniucundè, vel ſine ſufficienti ratione, vel auctoritate, tam in hac prima parte, quàm in reliquis, quæ prælo vel præmuntur, vel ſunt paratæ, dictum inuenies, chriſtiana charitate ignoſcas, & ignoſcens tua ſapientia corrige, ac ſupple. Quod ſi quid tibi gratum, atque vtile reperies, gratias Deo age, à quo omne bonum optimum, & omne donum perfectum.

Præ-

Præterea ſi qui per Typothetæ lapſum, ac meam abſentiam incurrerint errores, quorum maiores in calce vniuſcuiuſque partis adnotabo, condonare digneris, eorumque indiculum adi. Vale, ac meo labore, qualiſcunque ſit, in tui,& aliorum bonum diù feliciter vtere, atque fruere.

FR. CAROLVS FRANCISCVS DE VARESIO

Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ S P. N. Franciſci Lector emeritus, Supremæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Qualificator, ac Ciſmontanæ Familiæ, tam Obſeruantium, quàm Reformatorum Commiſſarius Generalis, & Seruus. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio à Candelaria Lectori Theologo noſtræ Reformatæ Prouinciæ Marchiæ. Salutem in Domino ſempiternam.

Cum iuxtà Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones reuiſum, & approbatum fuerit volumen quoddam à Te nuper editum, cuius titulus eſt *Breuiarium vniuerſæ Theologiæ, nempè Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis.* Tenore preſentium, ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenùs ſeruatis ſeruandis illud Typis mandare valeas.

Dat. Romæ 15. Aprilis 1690.

Fr. Carolus Franciſcus de Vareſio Comm. Gen.

Reg. Tit. Prop.

De mandato S. P. Reu.

F. Innocentius de Cryptis ad Mare Sec. Gen.

Approbatio Theologorum Ordinis.

Hoc Opus inſcriptum *Breuiarium vniuerſæ Theologiæ, nempè Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis* in quatuor Partes diſtributum, collectum, & ordinatum per Adm. Reu. Pat. Antonium à Candelaria Ord. Min. Strict. Obſer. in Prouincia Marchiæ S. Theologiæ Lectorem Generalem: Cuius Partem primam ex commiſſione nobis facta ab Adm. Reu. Pat. Antonio Maria à Pergula eiuſdem Prouinciæ Miniſtro Prouinciali de mandato Reuerendiſs. Pat. Petri Sormani totius Ordinis Minorum Generalis Miniſtri, accuratè, ac ſumma Animi noſtri oblectatione perlegimus Nos infraſcripti. Virum eſt nobis impreſſione dignum, cum nihil bonis moribus diſonum contineat, nec à Catholica Fide alienum: quinimmò cenſemus Opus omni Reipublicæ Litterariæ profuturum, & apprimè vtilem ad Iuuenum noſtræ Religionis Animos Scoti Doctrina imbuendos.

Dat. in noſtro Conuentu S. Io: Baptiſtæ Piſauri die 24 Aug. 1689.

Fr. Franciſcus de Monte Cicardo S. Theol. Lect. & Exprou.

Fr. Ioſeph Antonius ab Aſculo Sac. Theol. Lector.

Vidit

Vidit D. Antonius Baruchi Cler. Reg. S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pęnitent. pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Iacobo Boncompagno Archiepiſc. Bononiæ, & Principe &c.

---

18. *Iulij* 1690.

A. R. P. Mag. Clemens Fellina Reuiſor S. huius Inquiſitionis videat pro S. Offic. præſentem primam partem Breuiarij vniuerſæ Theologiæ &c. à P. Antonio Gauello Ord. Min. ſtrict. Obſeruantiæ elaboratum &c. & referat &c. an Typis poſſit permitti &c.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquiſitor Bononiæ.

De mandato Reuerendiſs. P. Magiſt. Inquiſitoris Bonon. perlegi, & ſedulò examinaui primam partem Operis, cui titulus: *Breuiarium vniuerſæ Theologiæ*; & in ipſa non niſi ſanas Doctrinas, Sanctęque Fidei, ac bonis moribus omninò conſonantes, inueni; quapropter dignam cenſeo, quæ Typis demandetur.

Fr. Clemens Maria Felina Sanctiſs. Inquiſitionis Reuiſor.

Stante ſuprapoſita atteſtatione

Imprimatur

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquiſitor Bononię.

ELEN-

ELENCHVS

Totius Operis Breuiarij vniuerſæ Theologiæ

PARS PRIMA.

Continet vnicam diſputationem proæmialem, & duos Tractatus. In Primo agitur de Deo Vno, vbi etiam de Viſione beatifica, nec non de Beatitudine. In Secundo, de Deo Trino, prout tabula præcedens oſtendit.

PARS SECVNDA

Continet Tractatus Septem. In Primo præmiſſa diſputatione de Creatione in communi agitur de Angelis. In Secundo de Hominis triplici ſtatu cum Appendice de cæteris operibus ſex dierum. In Tertio de Actibus humanis. In Quarto de Conſcientia. In Quinto de Legibus. In Sexto de peccatis. In Septimo de Libero arbitrio, de Gratia actuali, atque habituali, vbi de iuſtificatione, merito, ac meritorum reuiuiſcentia.

PARS TERTIA.

Continet Tractatus quinque. In Primo agitur de Virtutibus in communi. In Secundo de Virtutibus Theologicis, vbi præſertim de Fide, S. Scriptura, Traditionibus, Eccleſia,

Pontifice, & Concilijs. In Tertio de Iuſtitia, & Iure. In Quarto de Virtute Religionis, nec non de reliquis Virtutibus moralibus. In Quinto de Myſterio ineffabili Incarnationis Dominicæ.

PARS QVARTA.

Continet Tractatus Septem. In Primo agitur de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, & Confirmatione. In Secundo de Sacramento Euchariſtiæ, ac Sacrificio. In Tertio de Sacramento Pœnitentiæ, de Reſeruatione, Solicitatione; nec non de extrema Vnctione, atque Sepulturis. In Quarto de Sacramentis Ordinis, & Matrimonij. In Quinto de Cenſuris. In Sexto de Præceptis Eccleſiæ, ac eiuſdem immunitate. In Septimo de Nouiſſimis, vbi de Purgatorio, & Indulgentijs.

Appoſitis inſuper ſuis locis iuxta materiæ exigentiam propoſitionibus à Sum. Pontificibus Alexand. VII. & Innocent. XI. damnatis.

IN-

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Quæſtionum, & dubiorum, quæ in hac prima Parte contineantur.

Diſputatio prologalis, ſeu Proæmialis.

QVæſtio I. Quid, & quotuplex eſt Theologia. pag. 1
Quæſtio II. Vtrum præter, Diſciplinas, ſeu ſcientias Philoſophicas ſit nobis neceſſaria Doctrina aliqua ſupernaturalis. 6
Quæſtio III. Vtrum Theologia ſit de Deo tamquam de ſubiecto. 14
Quæſtio IV. Vtrum Thelogia ſit ſcientia. 21
Quæres I. An Theologia noſtra ſit ſcientia argumentatiua. 26
Quæres II. An Thologia noſtra ſit ſcientia ſubalternata Theologiæ Dei, & Beatorum. 27
Quæſtio V. Vtrum Theologia ſit Doctrina practica, vel ſpeculatiua. 28
Quæres I. An Thologia Dei ſit practica. 32
Quæres II. An Theologia ſit Sapientia. 33
Quæſtio VI. Vtrum Theologia noſtra ſit certior ſcientijs naturalibus. 34
Quæſtio VII. Vtrum Myſteria, ſeu Articuli fidei ſint euidenter credibiles. 38
Quæſtio VIII. Vtrum Doctrina ſupernaturali Viatori ſit ſufficienter tradita in S. Scriptnra. 42
Quæres. Quomodo ſint cenſurandæ, vel qualificandæ propoſitiones Theologicæ. 45
Quæſtio IX. De ſenſu S. Scripturæ in octo Articulos partita. 47

Articulus I. De nomine, ac definitione S. Scripturæ. 47
Articulus II. Vtrum Sacra Scriptura pluribus polleat ſenſibus. 49
Articulus III. Quid ſit propriè ſenſus litteralis, an ſit cæteris excellentior, & an ſenſus parabolicus ſit litteralis. 52
Articulus IV. Vtrum ſub eadem littera plures ſenſus litterales contineantur, & an in quolibet loco Sacræ Scriptutæ reperiantur omnes quatuor ſenſus. 56
Articulus V. Vtrum præter ſenſum litteralem, & myſticum detur ſenſus per accomodationem. 59
Quæres. An libri veteris Teſtamenti in nouo allegati per Chriſtum, & Apoſtolos citentur ſolum in ſenſu litterali: vel etiam in ſenſu Myſtico; vel in ſenſu quoque accommodatio. 60
Articulus VI. Vtrum omnes prædicti ſenſus litteralis, & myſtici ſint efficaces ad arguendum, atq; dogmata fidei probanda. ibidem
Articulus VII. de Regulis eruēdi ſenſum litteralem. 61
Articulus VIII. Quomodo Spiritus S. Auctor principalis Sacræ Scripturæ ſe habuerit cum Scriptoribus Canonicis, & Prophetis: & quid de Prophetia. 64
Quæres I. Quotuplex eſt Prophetia. 66
Quæres II. Quot ſunt genera Prophetiæ. ibid.
Quæres III. An Prophetæ prædixerint futura non ſolum verbis, ſed etiam factis. 67

TRACTATVS PRIMVS.

De Deo Vno.

DISPVTATIO. I.

De Dei exiſtentia, & ſingularitate.

Quæſtio I. Vtrum Deum eſſe, ſeu exiſtere ſit per ſe notum. 68

Quæ-

Quæſtio II. Vtrum ex fide, & euidenti ratione conſtet Deum eſſe. 71
Quæſtio III. Quibus rationibus demonſtrari poſſit Deum exiſtere. 73
Quæſtio IV. Vtrum exiſtentia, & ſingularitas ſint de Eſſentia formali Dei. 78
Quæſtio V. Vtrum Deum eſſe vnum, nec plures eſſe Deos ſit certum non ſolum ex fide ſed etiam ex ratione euidenti. 82

DISPVTATIO II.

De Perfectionibus, ſeu attributis Diuinis in communi.

Quæſtio I. Quid ſit attributum ſeu perfectio Diuina. 84
Quæſtio II. Vtrum D. attributa, ſeu perfectiones contineantur in Eſſentia Dei formaliter, vel eminenter, vel virtualiter. 87
Quæres I. An attributa D. ſeu perfectiones ſint numero infinitæ. 90
Quæres II. An attributa abſolutè conſiderata, & ſecundum ſe ſint æqualis perfectionis. 91
Quæſtio III. Vtrum D. attributa diſtinguantur ab Eſſentia Diuina: & eadem attributa à ſe inuicem. 91

DISPVTATIO III.

De Infinitate, Simplicitate, Immutabilitate, Æternitate, Immenſitate, & Ineffabilitate Dei.

Quæſtio I. Vtrum Deus ſit infinitæ perfectionis. 104
Quæres. An aliquid aliud à Deo poſſit eſſe infinitum per eſſentiam. 108
Quæſtio II. Vtrum Deus ſit perfectè, & ſummè ſimplex. ibidem

Quæres I. An in Deo admitti poſſit compoſitio Metaphyſica. 112
Quæres II. An ſimplicitas dicat quid poſitiuum, vel quid negatiuum. ibidem
Quæres III. An ſimplicitatis ſoli Deo competat. 113
Quæſtio III. Vtrum Deus ſit omninò immutabilis. 113
Quæſtio IV. Vtrum Deo propriè competat æternitas. pag. 118
Quæres I. Vtrum æternitas ſoli Deo competat. 121
Quæres II. Vtrum res temporales coexiſtant æternitati ab æterno. 122
Quæſtio V. Vtrum Deus ſit immenſus, & vbiquè. ibid.
Quæres I. Vtrum Deus per ſuam immenſitatem ſit extra Cœlum in ſpatijs imaginarijs. 126
Quæres II. An immenſitas ſit aliqua ſpecialis perfectio Dei. 128
Quæſtio VI. Vtrum Deus ſit inæffabilis, & quomodo. pag. 129
Quæres I. Quodnam eſt nomen principale Dei, & magis exprimens Eſſentiam Diuinam. 135
Quæres II. An Propoſitiones affirmatiuæ poſſint formari de Deo. ibidem

DISPVTATIO IV.

De inuiſibilitate, & viſibilitate Dei, ſeu viſione Beatifica.

Quæſtio I. Vtrum Deus ſit naturaliter viſibilis à creatura. 138
Quæſtio II. Vtrum poſſit creari aliqua creatura intellectualis cui eſſet connaturalis viſio Beatifica. 144
Quæſtio III. Vtrum Deus ſupernaturaliter ſaltem ſit viſibilis à creatura intellectuali. 148

Quæ-

Quæres. An poſſibilitas Diuinæ viſionis intuitiuæ poſſit ratione naturali demonſtrari, aut euidenter ſine reuelatione. 151
Quætes II. An Deus videri poſſit ab homine in hac vita mortali, ſeu ab intellectu corpori coniuncto. 152
Quæres III. An aliquando ab aliquo homine iuſto in hac mortali vita fuerit viſus D. viſione intuitiua. 153
Qnæſtio IV. Vtrum intellectus eleuetur ad Deum videndum mediante aliquo habitu ſupernaturali. 154
Quæſtio V. Vtrum in viſione Beatifica dari poſſit ſpecies impreſſa, ſicut datur ſpecies expreſſa. 163
Quæſtio VI. Vtrum intellectus concurrat ad producendam viſionem beatificam, & quomodo. 168
Quæſtio VII. Vtrum Beati neceſſariò videant omnia, quæ ſunt in Deo. 174
Quæſtio VIII. Vtrum Beati videant in Verbo creaturas, & quomodo. 180
Quæſtio IX. Vtrum Beati videant in Verbo ea omnia, quæ pertin ent ad eorum ſtatum. 184
Quæres I. An Beati cognoſcant in Eſſentia D. Orationes, vota, & alia id genus. 185
Quæres II. An Beati videant pœnas damnatorum in Eſſentia Diuina. 186
Quæſtio X. Vtrum Beata Viſio ſit notitia ſimplex directa, vel reflexa. 187
Quæſtio XI. Vtrum viſionis Beatificæ ſint omnes æquales, vel inæquales, & vnde oriatur inæqualitas. 191
Quæſtio XII. Vtrum per viſionem Beatificam poſſit Deus comprehendi à Beatis. 198
Quæres. An incomprehenſibilitas ſit ſoli Deo propria. 202

DISPVTATIO V.

De Beatitudine.

Quæſtio I. Vtrum Beatitudo ſita ſit in bono increato, vel creato. 203
Quæres I. An in hac vita dari poſſit homo beatus ſecundùm leges ordinarias naturæ, & gratiæ. 207
Quæres II. An de potentia Dei abſoluta homo in hac mortali vita perfecta beatitudine frui poſſit, 207
Quæſtio II. Vtrum omnes homines naturaliter appetant beatitudinem. 208
Quæſtio III. Vtrum voluntas creata neceſſariò velit, ſeu appetat beatitudinem In particulari apprehenſam: imò an obiectum beatificum clarè viſum voluntas neceſſariò velit. 210
Quæres I. An omnia appetantur propter vltimum finem. 214
Quæres II. An appetitus hominis ad beatitudinem ſit naturalis, vel ſupernaturalis. 215
Quæſtio IV. Vtrum beatitudo formalis conſiſtat in increata viſione, & fruitione Dei hominibus communicata. 216
Quæſtio V. Vtrum beatitudo formalis conſiſtat in illapſu Dei in Beatum. 218
Quæſtio VI. Vtrum operatio beatifiea debeat produci ab ipſo Beato, vel effectiuè ſit à Deo, Anima Beati paſſiuè ſe habente. 222
Quæſtio VII. Vtrum formalis beatitudo conſiſtat in operatione intellectus, an verò voluntatis. 226
Quæſtio VIII. Quid propriè ſit fruitio, & vſus; & quomodo inter ſe ordinentur. 231
Quæres. Quibus competat frui. 235
Quæſtio IX. Vtrum gaudium de obiecto beatifico ſit de eſſentia, vel pertineat ad eſſentiam beatitudinis. 237

Quæ-

Quæſtio X. Vtrum omnes Beati ſint impeccabiles. 243
Quæſtio XI. Vtrum ad eſſentiam beatitudinis requiratur ſecuritas perpetua. 246
Quæſtio XII. Vtrum natura humana ſit inferior natura, quæ eſt capax beatitudinis. 249
Quæres. Quæ, & quot ſint dotes Animarum beatarum. 250

DISPVTATIO VI.

De intellectu Diuino, & ſcientia Diuina.

Quæſtio I. Vtrum potentia intellectiua Dei diſtinguatur ab actuali intellectione Diuina. 251
Quæſtio II. Quodnam ſit obiectum primarium Diuini intellectus. 254
Quæſtio III. Quodnam ſit obiectum ſecundarium Diuini intellectus. 257
Quæſtio IV. Quotuplex ſit ſcientia Diuina. 261
Quæſtio V. Vtrum res poſſibiles ſint intelligibiles ex ſe priùſquam ab intellectu Diuino cognoſcantur. 262
Quæſtio VI. Quomodò Deus cognoſcat creaturas poſſibiles. 267
Quæres. Quid addat ſcientia viſionis ſuper ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. 268
Quæſtio VII. Vtrum Deus certò, & infallibiliter ab æterno nouerit futura contingentia. 270
Quæſtio VIII. Quomodo, & in quo medio priùs cognito Deus nouerit futura contingentia. 274
Quæſtio IX. Vtrum cum certitudine infallibili ſcientiæ Dei conſiſtere poſſint rerum contingentia, & humana libertas. 277
Quæſtio X. Vtrum Deus habeat ſcientiam certam, & infallibilem de contingentibus conditionatè futuris. pag. 281

Quæres I. An dentur in Deo decreta conditionata. 287
Quæres II. Quid dicendum ſit de conditionalibus diſparatis v. g. Si Petrus Romæ dormiet, Terentius Piſauri ſtudebit. 288
Quæſtio XI. Vtrum admittenda ſit ſcientia media in Diuino intellectu. 289
Quæſtio XII. Vtrum decretum antecedens, vel ſubſequens, vel potius concomitans ſit in Deo prima ratio cognoſcendi effectus liberos creatæ voluntatis. 297
Quæſtio XIII. Vtrum in intellectu Diuino dentur ideæ. pag. 305
Quæſtio XIV. Vtrum in Deo ſint virtutes intellectuales. pag. 309

DISPVTATIO VII.

De Voluntate Diuina.

Quæſtio I. Vtrum in Deo ſit voluntas per modum potentiæ, ſeu actus primi. 311
Quæres I. Quotuplex ſit Diuina voluntas. 312
Quæres II. An permiſſio ſit actus poſitiuus D. Voluntatis conſequentis, & efficacis non ponendi impedimentum obiecti permiſſi. 313
Quæſtio II. Quodnam ſit obiectum D. voluntatis. 314
Quæſtio III. De libertate D. Voluntatis, & in quo conſiſtat ratio actus liberi eiuſdem Voluntatis. 319
Quæſtio IV. Vtrum Deus velit mala culpæ. 325
Quæſtio V. Vtrum in D. Voluntate ſint admittendi affectus, ſeu paſſiones. 327
Quæſtio VI. Vtrum in D. Voluntate admittendæ ſint virtutes. 329

DIS.

De Prouidentia, Prædiſtinatione, & Reprobatione.

Quæſtio I. Quid ſit Diuina Prouidentia. 333
Quæſtio II. Vtrum D. Prouidentia ſemper aſſequatur ſuum finem. 338
Quæſtio III. Vtrum omnia cadunt ſub D. Prouidentia. pag. 342
Quæſtio IV. Vtrum Deus ſuo Decreto abſoluto, & efficaci prædiffinierit omnes actiones noſtras liberas diſtinctè, & in particulari. 346
Quæſtio V. Vtrum Deus prædiffinierit ab æterno actus prauos voluntatis humanæ. 351
Queſtio VI. Vtrum D. Prouidentia imponat neceſſitatem rebus: & quomodo conciliari poſſit libertas creata cum prædeſtinationis certitudine, ſeu cum Prouidentia ſupernaturali. 359
Quæſtio VII. Vtrum inter Decreta D. Voluntatis detur aliquis ordo. 360
Quæſtio VIII. Quinam ſint effectus prædeſtinationis. pag. 374
Quæſtio IX. Vtrum ex parte prædeſtinati detur cauſa prædeſtinationis. 378
Quæſtio X. Vtrum prædeſtinatio fiat ex præuiſione meritorum, vel ſine meritorum præuiſione. 383
Quæſtio XI. Vtrum Deus prædeſtinauerit, tum Angelos, tum homines propter merita Chriſti. 394
Quæres. An Prædiſtinatio noſtra poſſit iuuari precibus Sanctorum. 397
Quæſtio XII. Vtrum reprobatio fiat à Deo ex præuiſione demeritorum. ibidem
Quæres. Quinam ſint effectus reprobationis. 401
Quæſtio XIII. Vtrum reuera detur in Deo liber vitæ; quid ſit, eſt de numero electorum. ibidem

Quæres I. An numerus Prædiſtinatorum ſit maior, vel minor numero Reproborum. 404
Quæres II. An aliquis in hac vita poſſit certò ſcire, ſe eſſe de numero Prædeſtinatorum abſque reuelatione Dei particulari. 405
Quæres III. An dentur aliqua ſigna noſtræ prædeſtinationis. 406

DISPVTATIO IX.

De Potentia, ſeu Omnipotentia Dei.

Quæſtio I. Vtrum potentia Dei ſit perfectio abſoluta, vel reſpectiua. 407
Quæſtio II. Vtrum Diuina potentia conſiſtat in reſpectu reali tranſcendentali ad creaturas poſſibiles. 410
Quæſtio III. Vtrum potentia D. diſtinguatur ab intellectu, & voluntate Dei, imò, & ab eſſentia velut ſpeciale attributum. 413
Quæſtio IV Vtrum Omnipotentia Dei naturali ratione abſque lumine fidei demonſtrari poſſit. 416
Quæſtio V. Vtrum D. Omnipotentia ſe extendat ad impoſſibilia. 422
Quæſtio VI. Vtrum D. potentia poſſit producere infinita. 424
Quæſtio VII. Vtrum Deus ſemper faciat, quod melius eſt. 427
Queſtio VIII. Vtrum D. potentia potuerit feciſſe mundnm meliorem, quàm ſit. 429
Quæres. An D. Potentia quicquid ſemel potuit, aut poteſt, ſemper poſſit. 432

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

De inæffabili Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis ſeu De Deo Trino.

DISPVTATIO I.

De Proceſſionibus, ſeu productionibus Diuinis.

Quæſtio I. Vtrum in Diuinis dentur productiones, ſeu Proceſſiones. 434

Quæſtio II. Vtrum Proceſſiones D. ſint duæ tantum, & non plures. 438

Quæſtio III. Vtrum Proceſſiones D. ſint veræ, & propriæ actiones vitales, vel potius emanationes. 442

Quæſtio IV. Vtrum Verbum D. producatur per actum eſſentialem intelligendi, & Spiritum S. per actum eſſentialem volendi, vel potius per dictonem, & Spirationem. 446

Quæſtio V. Vtrum ſola productio Verbi dicatur generatio, vel etiam Proceſſio Spiritus Sancti. 456

Quæſtio VI. Vtrum Proceſſiones D. ſint per eſſentiam, ac intellectum, & voluntatem: Vbi etiam de potentia notionali. 460

Quæſtio VII. Vtrum Eſſentia D. ſit terminus Proceſſionum. 464

Quæres I. An eodem modo, & indifferenter vti liceat Propoſitione, ex, & de &c. 468

Quæres II. An intellectus, vel eſſentia concurrat principalius ad productionem Verbi, & Spiritus S. 468

DIS-

DISPVTATIO II.

De Relationibus Diuinis.

Quæſtio I. Vtrum in Diuinis ſint relationes reales. 468
Quæſtio II. Vtrum detur quarta relatio, ideſt Spiratio actiua in Patre, & in Filio. 472
Quæſtio III. Vtrum relationes originis dicant perfectionem ſimpliciter. 473
Quæſtio IV. Vtrum præter relationes originis dentur in Diuinis aliæ relationes. 479
Quæſtio V. Vtrum in Diuinis ſint quinque Notiones. pag. 483

DISPVTATIO III.

De Perſonis Diuinis in communi.

Quæſtio I. Quomodo Perſonis D. competat ratio Perſonæ. 485
Quæres. An à Perſonis D. abſtrahi poſſit aliquis conceptus communis, qui ſit ipſis vniuocus. 488
Quæſtio II. Vtrum Perſonæ D. conſtituantur per relatiuas proprietates, vel per quid abſolutum. 488
Quæres. An relationes conſtituant perſonas D. ſub ratione originum, ſeu emanationum; an ſub ratione habitudinum, ſeu relationum in eſſe quieto. 496
Quæſtio III. Vtrum in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & vna abſoluta, 497
Quæſtio IV. Vtrum in Diuinis detur prioritas naturæ, & originis. 500
Quæſtio V. Vtrum detur Trinitas, ſiue tres Perſonæ D. quæ ſunt vnus Deus. 506
Quæres. An Perſonæ D. faciant numerum. 510

Quæſtio VI. Vtrum intellectus creatus viribus naturæ agnoſcere poſſit SS. Trinitatis Myſterium. 511

DISPVTATIO IV.

De Perſonis D. in particulari.

Quæſtio I. Vtrum primæ Perſonæ, quæ nominatur Pater, competat innaſcibilitas, ſeu ratio, & proprietas ingeniti. 516
Quæſtio II. Vtrum Pater æternus genuerit Filium neceſſitate naturali. 521
Quæſtio III. Vtrum Pater æternus genuerit Filium voluntate antecedente. 523
Quæſtio IV. Vtrum Verbum D. procedat non ſolum ex cognitione eſſentiæ D. ſed etiam ex cognitione Diuinarum proceſſionum. 526

DISPVTATIO V.

De Perſona Filij.

Quæſtio I. Vtrum nomen Filij, & nomen Verbi ſint nomina propria ſecundæ Perſonæ Diuinæ. 537
Quæſtio II. Vtrum nomen imaginis ſoli ſecundæ Perſonæ D. conueniat. 540
Quæſtio III. Vtrum Verbum D. producatur ex cognitione creaturarum. 542

DISPVTATIO VI.

De Perſona Spiritus Sancti.

Quæſtio I. Vtrum Spiritus S. procedat à Patre, & à Filio. pag. 549

Quæ-

Quæres. An Pater, & Filius ſint priùs natura, & origine, quàm Spirent Spiritum S. 553
Quæſtio II. Vtrum ſi Spiritus S. non procederet à Filio, diſtingueretur realiter ab eo. 553
Quæſtio III. Vtrum productio Spiritus S. ſit neceſſaria & libera ſimul, 557
Quæres I. An Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus S. & proinde dicendi ſint vnus Spirator, vel duo Spirantes, vel duo Spiratores. 560
Quæres II. Quomodo intelligenda ſit hæc propoſitio: Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu S. 560
Quæſtio IV. Vtrum nomina Amoris, & Doni competant Spiritui Sancto. 562

DISPVTATIO VII.

De Circumince ſſione D. Perſonarum, de earumdem miſsione, & de modo loquendi in myſterio inæffabili SS. Triadis.

Quæſtio I. Vtrum vna Perſona D. ſit in alia per circumince ſſionem. 564
Quæſtio II. Quid ſit miſſio, & cui miſſio competat. 567
Quæſtio III. De modo loquendi, qui obſeruari debet in myſterio SS. Triadis. 571

Sylla-

Syllabus Doctorum, ſeù Auctorum Ordinis Minor., qui in hoc Opere citantur.

ADam Sasbouth citatur in cōment. ſuper Epiſt. D. Paul.
Alexander V. Summ. Pontifex.
Alexander de Ales nuncupatus Doctor Doctorum, & Doctor irrefragabilis in Sum. theologica.
Alexander ab Alexandria in tract. de uſuris.
Alexander Arioſtus in Enchiridion Confeſſorum.
Alexander de Lugo in reſol. moral.
Almainus in lib. 4. ſent.
Alphonſus à Caſarubios in Compend. Priuileg.
Alphonſus à Caſtro Hæreticorum malleus S. Concil. Trid. Theologus in tom. contra hæreſes, in lib. de iuſta hæret. punitione, & in lib. de lege pœnali.
Aluarus Pelagius Doctor Decretorum Ioan. xxij. & Epiſcopus Siluenſis in lib. de Planctu Eccleſiæ.
Andreas Vega S. Conc. Trid. Theol. in lib. de grat. & lib. arb.
Andreas de Vrciano in Analyſi puriſs. Concept. Deiparæ.
Antonius Andreas Scoti Diſcipulus vocatus Doctor dulcifluus in lib. ſent.
S. Antonius de Padoua in expoſit. myſtica S. Script. & in concionibus.
Antonius Corduba in Quæſtionar. theolog. in Regula S. Franciſci, & in alijs &c.
Antonius Hiquæus in comment. ſuper 4. Scoti.
Antonius de Monelia in cōment. theol. myſt. D. Dionyſij.
Antonius Cotonius Tertij Ord. S. Franc. in ſum. Dianæ.
Antonius Trombeta Epiſc. Vrbinas in meta. & in theolog.
Angelus Vulpes in ſum. theolog.
Angelus à Clauaſio, ideſt ſumma Angelica.
Annibal Roſellius in ſum. theologica.
Aſtenſis ab Aſta, ideſt ſumma Aſtenſis.
Baptiſta Trouomalis, ideſt ſumma Roſella.
Bartholomeus Maſtrius in Phyloſ. Theologia ſcholaſtica, & morali.
Bermingham in tom. 1. ſum. theologiæ.
Bernardinus Autenſis de immaculata Conceptione.
S. Bernardinus Senenſis in tract. de contract.

Bar-

Barnabas Interamenſis } Auctores Montis pietatis.
B. Bernardin us de Feltrio
S. Bonauentura Eccleſiæ Doctor, & Cardinalis.
Bonauentura Bellutus in 3. ſent.
Bonauentura Bontempio de Iano in Faſciculo moralium ex nobili viridario iuris utriuſque.
Bonauentura Baronius in Phyloſoph. & Theologia.
Bruno Neuſer in tom. 1. Polianthex theologica-canonica-moralis.
Carriere in Digeſto Fidei.
Caronius in Theologia.
Centinus Epiſcopus de Incarnatione.
Clemens Dolera S. R. E. Card. in Comp. Cathol. Inſtit.
Clemens Brancaſius de Carauinea in tom. 1. theol.
Claudius Fraſſen in Theologia.
Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus in Doctrina de iuſtificatione.
Delgadillus in Theologia.
Duffy in Opere theologico.
Eligius Baſſæus in Floribus theologiæ moralis.
Emanuel Rodriquez in Quæſt. Regul. & Canon. in ſum. moral. & in Bulla Cœnę.
Florentius Corius Archiepiſcopus Tuameuſis in tract. de pœna Infantium decedentium in peccato originali.
Franciſcus Alcozer in lib. de ludo, & in ſumma morali.
Franciſcus de Marchia Doctoris ſuccinti nomen ſortitus in lib. ſent.
Franciſcus Bordonus Tertij Ordinis S. Franciſci in tom. S. Tribunalis.
Franciſcus à S. Clara in Syſtemate Fidei.
Franciſcus Caſtillus in tom. de Incarnat. & immaculata Concept. Dei Genitricis.
Franciſcus Coriolanus de caſ. reſeruat.
Franciſcus Felix in Tentatiuis Compluten.
Franciſcus Feuardent. hæreticorum malleus in Theomachia Caluiniſta.
Franciſcus Georgius Venetus in lib. de Armonia Mundi.
Franciſcus Guerra Epiſcopus Gadicenſis tom. 2. de immaculata Concept. Deiparæ,
Franciſcus de Herera in theol. Scoti.

Fran-

Franciſcus Horantius S. Concil. Trid. Theologus, & Epiſcopus Ouetenſis in lib. de locis theologicis; & de iuſtificat. contra Caluiniſtas.
Franciſcus Lychetus inſignis Scoti Commentator.
Franciſcus Maironus Scoti diſcipulus vocatus Doctor illuminatus.
Franciſcus Macedo à S. Auguſtino in theol. Scot. & in alijs.
Franciſcus de Orphæis in tract. de ornatu mulierum.
Franciſcus Orſiz in ſum. ſummarum pro omnibus ſtatibus.
Franciſcus de Pitigianis, ſeu Aretinus in theol. ſpecul. & moral. & in practica criminali.
Franciſcus de Platea in tract. de reſtitut. & de uſuris.
Franciſcus Quinonius S. R. E. Cardinalis in Breuiario.
Franciſcus de Ouando in Theologia.
Franciſcus de Soſa Epiſcopus Canarienſis in Bulla de largit. munerum.
Franciſcus Ximenes S. R. E. Card. in Biblia Complutenſi.
Gabriel Boyuin in Compend. theol. Scoti.
Gaudentius Bontempo in Operibus D. Bonauent.
Gillius in lib. de locis theolog.
Gulielmus Herincx Epiſcopus Iprenſis in ſum. theologiæ ſcolaſt. & moral.
Gulielmus Ocham Scoti diſcip. & Princ. Schol. Nominal.
Gulielmus de Rubione In lib. ſent.
Gulielmus Varro Scoti Magiſter in lib. ſent.
Gulielmus Vorrilongus In lib. ſent.
Gregorius Ruiz in lib. ſent.
Henricus Villalobos in ſum. Theol. moral.
Hieronymus Rodericus in Compendio Quæſt. Canon, & Regul.
Hieronymus Gadius in Quolib. Scoti.
Hieronymus Gallus comment. in 3. Scoti.
Hugo Cauellus Archiepiſc. Armacanus Scoti Scholiaſtes.
Ignatius Lupus in coment. caſ. reſeruat. & Edict. S. Inquiſitionis.
Illuminatus Moronus in lib. Centum reſponſa.
Ioannes Alcozer Confeſsionarium Pœnitentium.
Ioannes de Baſsolis Scoti diſcipulus in lib. ſent.
Ioannes Bobadilla in Inſtructione Prelatorum Regul.
Ioannes Baptiſta Fonius tom. 1. in Theol. Scoti.

Ioan-

Ioannes Canonicus Scoti diſcipulus in lib. ſent.
S. Ioannes à Capiſtrano plura ſcripſit, citatur in tom. de auctoritate Pontificis, & Concilij.
Ioannes de Cartagena in homilijs de Arcanis Deiparæ.
Ioannes de Collonia Agrippina in Quæſt. Magiſtral. Scot.
Ioannes Guttierez in Armamentario Seraphico pro defenſione Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.
Ioannes De la Haie in Biblia Maxima.
Ioannes de Iribarnes in 4. Scoti.
Ioannes Maior in lib. ſent.
Ioannes Marius Scribonius in ſum. totius veritatis theol.
Ioannes Maria de Caſtilento t. 1. Polianthեæ Seraphicæ.
Ioannes Picardus in ſubſidio ſum. Angel.
Ioannes Pineda in Monarchia Eccleſiaſtica hiſtoriæ uniuerſalis totius Mundi.
Ioannes Poncius in Philoſ. & theol. nec non in Com. Scot.
Ioannes Rada in controuerſijs theolog.
Ioannes Serranus Epiſc. Acernenſis in lib. de immaculatæ Conceptionis.
Ioannes Boſco in theolog. Sacramentali.
Iacobus Bargius S. Concil. Trid. Theol. in cōment. Scoti.
Iacobus Vngarellus in additione ſum. Angel.
Landulphus Caracciolus Scoti diſcipulus in lib. ſent.
Laurentius Brancatus de Lauræa S. R. E. Cardin. ſapientiſsimus plura ſcripſit, citatur in tom. de Virtutibus, & in tom. 1. 2. 3. & 4. ſuper 4. ſent. Scoti.
Laurentius Portel in dub. regul.
Lucas Vvadingus Theol. inſignis, & Auct. Annal. Minor.
Ludouicus Caſpenſis in curſu theologico.
Ludouicus Miranda in Manual. Prælat. & in Ord. Iudiciar.
Melchior Flauius in Reſol. Scoti.
Michael Medina S. Concil. Trid. Theologus in lib. de recta in Deum fide, in opuſc. de Ingulgent. & in tract. de continentia Sacrorum hominum.
Marcus Vviguerius S. R. E. Card. in Dechacordo theolog.
Martinus à S. Ioſeph in Oper. moral.
Martinus Meuriſse in tract. de Trinitate.
Matthæus Ferchius in epitom. Scoti.
Matthias Hauzeur in controuerſ. Fidei.
Modeſtus Gauatius Epiſcopus in tom. de Euchariſtia.

Mau-

Mauritius de Portu Archiepiſc. Tuamenſis in Scoti opera.
Monaldus Archiepiſc. Beneuentanus in ſum. Iuris, & in ſum. Caſ. moral. nuncupata Monaldina.
Nicolaus de Nyſe in lib. Reſolut. Theolog.
Nicolaus de Auximo in ſum. Caſ. conſc. & in ſupplemento ad ſum. Piſanellam.
Nicolaus de Lyra Bibliæ uniuerſæ Interpres, & in lib. ſent.
Nicolaus de Orbellis in Compendio ſent. Scoti.
Nicolaus IV. Papa.
Ondeghem in Luce meridiana.
Pacificus Nouarienſis in ſumma Pacifica.
Pelbartus Themeſuar in Roſario theologico.
Paulus cognomento Scriptor in coment. Scoti.
Petrus de Alba, & Aſtorga in tom. de immaculata Conceptione Deiparæ.
Petrus Aquilanus nuncupatus Scotellus in lib. ſent.
Petrus Bellochius in caſ. reſer.
Petrus Galatinus in tom. de Arcanis catholicæ Fidei.
Petrus Marchant in Tribun. Sacram. & in Reg. S. Franc.
Petrus Poſnanienſis in coment. Scoti.
Petrus Aureolus S.R.E.Card. in lib. ſent. & in Comp. Bib.
Philippus Faber in Philoſ. & Theolog. Scoti.
Raymundus Lullus Ter. Ord. S. Franciſci in Theologia.
Richardus de Mediauilla appellatus Doctor fundatus in lib. ſent. & in quolibetis.
Rogerius Bacconus ſalutatus Doct. mirab. in Theologia.
Santorus à Melphio in coment. ſuper Conſtit. Ord. Min.
Sghemma in theolog.
Scilder in Theologia morali.
Theodorus Smiſing in theol. Scoti.
Theodorus Ianuarius Epiſcop. Viglenſis in Symb. Fidei.
Thomas Frances in tom. de immacul. Concept. Deiparæ.
Xiſtus IV. in lib. de Sanguine Chriſti.
Xiſtus V.
Zacharias Bouerius in Demonſtrationibus Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduerſus Athæiſtas, Iudæos, & Hæreticos.

ADM.

ADM. R. P. ANTONIO GAVELLO
A CANDELARIA

Lectori Theologo promerito Ordinis Minorum Strict. Obſer. Marchiæ ob Breuiarium triplicis Theologiæ elaboratum.

CARMEN.

ARchimedis opus quid ad huc memorare Poetæ?
GAVELLI ingenio plaudite Pierides
Immenſum minimis arctat theorema libellis.
In quatuor partes omnia diſtribuens.
Omnia concludit, nil linquit, ſingula luſtrat.
Obſcurus nec fit, dum breuis eſſe ſtudet.
Quidquid Theologi prolixo dogmate tractant,
In tria collimans continet, atque docet.
Euge Docte Pater, tua ſtat Tritonia Pallas.
Funiculus triplex rumpitur haud facilè.
Gaude Docte Pater: gaudent breuitate Moderni.
Tu nouitate nites: Tu breuitate micas.
Hæreſeos hydram tua fax CANDELARIA perdit.
Detegit errores, dogmata vera patent.
Hercule Tu maior. Monſtrum ille ad tartara trudit.
Tu Sophiam rutila tollis ad aſtra face.
Tu quoque cede tua Eynicorum docte Lucerna.
Illa hominem quærit; veriùs iſta facit.
Luceat ANTONI tua fax diffuſa per Orbem.
Prodetur ſemper lumine clara ſuo.

Fr. Alexander Perdomus à Burgo Siccidæ eiuſdem Inſtituti Lector, & Predicator generalis Refor. Prouinciæ Papiæ.

ADM.

ADM. R. P. ANTONIO GAVELLO A CANDELARIA.

De eius Breuiario Vniuerſæ Theologiæ.

ELOGIVM.

De Deo, fide, moribus
Quidquid
Archethypus, Coſmicus, Microcoſmicus
Sentit Mundus
Inſtantanea Æternitate, Permanenti Æuo
Seu, & ſucceſſiuo tempore
Scotico compilas BREVIARIO
GAVELLE eruditiſſime
Succinta methodo, & perſpicua.
Ergo ne Scoto ſuccintior?
At Scoto ſuccintior nemo, quin ſubtilior
Ad perſpicuitatem tamen
Lucubrationes docuit Patria
CANDELARIA
Parum fuit.
Cauelli Scholia emulaſſe GAVELLVM
Scholaſtico BREVIARIO
Scotigenium ingenio expreſſit
Studens breuitati
Adhærens veritati.
Inſiſtens profunditati
Sed qua arte, & perſpicuitate?
Sileat:
Sicani maris Ingeniarius.
Spherarum omnium
Succinta methedo motus iactare compendio
Cœli perſpicuitatem vitro expreſſit

Non

Non ſoliditatem:
Doctrina Scoticæ vtramque excudit
Breuiarij Auctor
Quidquid immotum amore mouet
Quidquid mobile immotum iactat in Auctore
Quidquid Angelica reueretur, aut veretur mens
Quidquid adimit nocens homo
Quidquid redimit innocens Homo-Deus
BREVIARIVM hoc habet
Quam grande Breuiarium!
Quam abbreuiata magnitudo!
Vt diſcas lector,
Mirmecides ebora Rodianis preualere Coloſsis
Hos artis Hiperboles.
Illa naturæ Breuiaria
Diſce hinc
Non mole, ſed virtute
Magna ponderare
Et BREVIARII ſales
Laconiſmo probare.

Fr. Innocentius à Papia Cuſtodis Ref. Prouinciæ Papiæ Lector generalis Accademicus Affidatus.

PARS

PARS PRIMA BREVIARII VNIVERSÆ THEOLOGIÆ:

Prologus, ſeù Diſputatio Proemialis.

In Theologiam vniuerſam.

PRæmittere ſolent Doctores, tàm in Scientijs Phyloſophicis tradendis, quàm Theologicis, nunnullas quæſtiones proemiales, quibus mediantibus, veluti quodam lumine præeunte, clariùs, & faciliùs ad Scientiarum conſecutionem peruenitur; idcircò noſtrorum Magiſtrorum methodum iure meritò immitantes, præſentem diſputationem prologalem, ſeù proemialem inſtituimus.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex eſt Theologia:

NOt. 1. quod hoc nomen, Theologia, eſt nomen à Grecis deriuatum, quod apud Latinos idem ſonat, ac ratio, ſeù Sermo de Deo, vt etiam docuit D. Aug. lib. 8. de Ciuit. c. 1. Quare nominis ethymologiam ſpectantes, omnes, qui ſermonem de Deo inſtituunt Theologi appellari poſſunt. Hinc Marcus Varro, teſte D. Aug. lib. 6. de Ciuit. Dei c. 5., triplex genus Theologiæ generatìm ſumptæ diſtinxit, nempè fabuloſum, quod Poetæ tractarunt, Politicum, ſeù ciuile, de quo Ciues, & Magiſtratus, & præ-

ſertim Sacerdotes egerunt, tradendo modos, & cerimonias, quibus Prophani in falſis Numinibus colendis vti ſolebant, & Naturale, in quo explicando verſati ſunt Philoſophi. Siquidem Ariſt. primam ſuam Phyloſophiam, ſeù Metaphyſicam Theologiæ nomine inſigniuit; At primum, & ſecundum genus rectiùs dici poſſunt impium figmentum, cum vtrumquè agat, vel de generatione Deorum, & de eorum ſordidiſſimis actionibus, vel de ſuperſtitioſo Cultu Deorum. Nequè tertium genus, ideſt, Metaphyſica Theologiæ nomen meretur, cum non habeat Deum pro obiecto ſimpliciter, ac theologicè, ſed tantum phyloſophicè, imperfectè, & obſcurè; Igitur nomen Theologiæ ſoli noſtræ ſcientiæ ſupernaturali, quæ diuinæ reuelationi innixa, Deum ſecundum ſuas proprias perfectiones perfectè aſſequitur, iure debetur.

Not. 2. quod tribus modis diuidi ſolet Theologia, nempè ratione ſubiecti, ratione materiæ, & ratione modi: primò modo diuiditur in Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum. Theologia Dei eſt illa ſcientia, qua Deus ſe, & omnia cognoſcit, & hæc innititur lumini increato. Theologia Beatorum eſt illa ſcientia, qua Beatî Deum vident, & omnia in illo cognoſcunt, & hæc innititur lumini creato, ſed claro, quod eſt lumen gloriæ. Theologia deniq; Viatorum, ſeù noſtra eſt illa ſcientia, qua Deum, & veritates diuinas agnoſcimus, ſed in enigmate, quia innititur lumini fideî, quod eſt obſcurum. Ratione obiecti, ſeù materiæ diuiditur in Theologiam neceſſariorum, & contingentium; prior eſt, quæ conſiderat veritates neceſſarias, quales ſunt, Deus eſt vnus, eſt Trinus; & huiuſmodi habentes veritatem indipendentèr à D. Voluntate; poſterior eſt, quæ verſatur circa veritates contingentes, quæ ſunt reuera poſita in eſſe, ſed potuerunt non eſſe, cuiuſmodi ſunt, Deus creauit Mundum, Verbum carnem aſſumpſit &c. Tandem Theologia ratione modi, quo traditur, patitur in Poſitiuam, & Scholaſticam. Theologia poſitiua eſt cognitio Scripturę Sacrę, & diuinarum rerum explicatio ſine argumentatione operoſa, ideſt ſine rigore ſyllogiſtico, ſed potius ſtylo oratorio. Theologia ſcholaſtica eſt ſcientia ex principijs fidei, deducens demonſtratiuè concluſiones de Deo, ac de rebus diuinis. Inſupèr

datur

datur Theologia moralis, quæ eſt ſcientia, ſeù cognitio rerum diuinarum, concernentium mores, tradita abſquè rigore ſcholaſtico; & denique datur etiam Theologia myſtica, quæ eſt cognitio Dei, & rerum diuinarum infuſa mentem ſapidè afficiens, eamque Deo intimè coniungens. Vel cum Gerſone Alfab. 65. *eſt cognitio experimentalis de Deo per amoris vnitiui complexum*.

Prima conc. Theologia noſtra, quatenùs eſt habitus ſcientificus non eſt habitus fidei, ſed eſt doctrina quædam diuinæ reuelationi innixa, quæ tum ex principijs reuelatis, tum ex alijs naturalitèr cognitis diſcurrit ad alias veritates indagandas, & ad confirmanda, & explicanda fidei myſteria. Eſt Scoti, & Scotiſtarum; & videtur communis. Prob. quoad primam partem Habitus fidei exiſtit etiam in Infantibus recentèr baptizatis, qui nec vllum fidei actum habent, nec habere poſſunt; etiam dum ad annos rationis perueniunt, niſi doceantur, & inſtruantur aliqua generali inſtructione, per quam habitus fidei reducatur ad actum, vt teſtatur D. Paul. ad Rom. c.10. *fides, ideſt explicita ex auditu, auditus autem per Verbum Dei*; *& paulò ante, quomodo credent ſine Prædicante?* Quoad alteram verò partem concluſio eſt euidens, & manifeſta; nàm communitèr concluſiones Theologicæ deducuntur ex duabus præmiſſis, quarum vna eſt credita, altera verò naturalis, ſeù phyloſophica; vt in hac ſyllogizzatione. Quod eſt vnum non eſt multiplex, ſed Deus eſt vnus ex Deuter. c.6. ergo Deus non eſt multiplex. Et quidem Theologi omnes admittunt hanc partem concluſionis; diſſidium tamen eſt in aſſignanda qualitate talis habitus. Nonnulli contendunt, eſſe habitum ſupernaturalem, eò quia, dicunt ipſi, concluſio Theologica eſt ſupernaturalis, ac proinde etiam habitus acquiſitus erit ſupernaturalis.

Verùm Scotiſtæ ſentiunt, concluſiones Theologicas in genere eſſe naturales, ſiue inferantur ex duplici præmiſſa de fide, ſiue ex vna ſola de fide, & alia lumine naturali cognita, & conſequenter ſuſtinent, habitum entitatiuè, & intrinſecè eſſe naturalem inclinantem ad actus ſimilitèr naturales. Quare ſuppoſita fide, & cognitione articulorum fidei, quæ non important nomen Theologiæ, poteſt fieri naturalitèr Theologus, acquirendo facilitatem de-

ducendi concluſiones ex articulis fidei; idquè per ſuum propriumlaborem, & præcepta alicuius Magiſtri docentis; ſicut cęterę ſcientię viribus naturę comparantur; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſcientię naturales innituntur principijs naturalibus, Theologia autem principijs ſupernaturalibus. Et hoc manifeſtè patet in eo, qui in aliquam hęreſim eſt lapſus negando aliquem articulum fidei. Is namque adhuc facilitatem credendi alijs articulis retinet, quæ quidem facilitas non oritur ex habitu ſupernaturali, & infuſo fidei, qui pęnitùs deletur per hæreſim, ac proindè in eo non reperitur, ſed ex illo habitu naturali acquiſito ex frequentibus actibus ſupernaturalibus credendi; vndè apertè infertur, actus ſupernaturales non generare habitus ſupernaturales ex frequenti repetitione ipſorum actuum ſupernaturalium.

II. Conc. Theologia rectè diuiditur in poſitiuam, & Scholaſticam, quæ diuiſio non eſt eſſentialis, ſed accidentalis, quia vtraque habet idem obiectum materiale, & formale, hoc eſt, Deum gratiæ auctorem, cognitum per reuelationem, & fidem: habent paritèr eadem principia, nempè eaſdem fidei aſſertiones, & ſcriptas, & traditas, & vtraque his principijs addit diſcurſum, eſtò diuerſo modo, ſeù ſtylo, vt ſupraindicauimus, quaſi oratorio Poſitiua, Syllogiſtico Scholaſtica.

Arg. cont. 1. conc. probando Theologiam eſſe ſupernaturalem, auctoritate Scoti docentis q. 1. prol. Theologiam eſſe doctrinam ſupernaturalem; ergo &c. Reſp. Theologiam reuerà a Scoto vocari doctrinam ſupernaturalem, diſtinctam a diſciplinis naturalibus, ſed vt mox dicebamus, eſt ſupernaturalis ſolum ratione fundamenti, & principiorum, quę ſunt articuli fidei; at de ſui natura eſt merè naturalis, cum eodem modo comparetur, quo ſcientiæ naturales, nempè per præcepta Magiſtri docentis, & per ſtudium Diſcipuli audientis.

Cont. Scientiæ ſpeculatiuæ diſtinguntur à principijs, ergo Theologia erit ſupernaturalis, quia eius principia ſunt ſupernaturalia. Reſp. diſting. ant. diſtinguntur a principijs proximis, & immediatis, conc. a principijs mediatis, & remotis, nego ant. Vnde articuli fidei ſunt tantum principia remota, & diſcurſus eſt principium proxi-

mum,

mum, a quo recipit eſſe concluſio Theologica, vt patet de ſcientia ſubalternata, quæ a ſubalternante non diſtinguitur per ipſius ſubalternantis principia. Deindè, eſtò fidei articuli ſint ſupernaturales ſecundum entitatem, ſunt tamen naturales, vt applicantur, & ordinantur a naturali diſcurſu ad inferendas concluſiones Theologicas, a qua applicatione,& diſcurſu proximè ſpecificatur Theologia. Cont. Illa ſcientia eſt ſupernaturalis, cuius certitudo eſt ſupernaturalis, ſed certitudo Theologiæ eſt ſupernaturalis, ergo &c. Reſp. diſting. mai. Si certitudo ſit ſupernaturalis proximè conc. ſi fundamentalitèr tantum, & remote, vt eſt in propoſito, nego mai.

Dices Habitus ſpecificantur ab actibus,& actus ab obiecto, vt traditur in phyloſophia, ſed obiectum Theologiæ eſt Deus, & veritates Diuinę, & actus, & habitus ſunt ſupernaturales, ergo Theologia eſt doctrina ſupernaturalis.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. ſi actus verſantur circa obiectum ſupernaturalem, vt ſupernaturale conc. actus, & habitum eſſe ſupernaturales; at ſi verſantur circa obiectum ſupernaturale non vt ſupernaturale eſt, ſed vt verum, & certum, nego min. nam concluſiones Theologicæ per diſcurſum ex pręmiſſis etiam de fide deductis, inferuntur naturalitèr, & non ſupernaturalitèr, vt proximè explicatum eſt: Vnde fidei articuli, vt dicunt habitudinem ad concluſiones, & veritates non reuelatas, quæ ex ipſis inferri poſſunt per diſcurſum, ſub hac ratione non ſunt formalitèr, ſed tantum virtualitèr reuelati; ac proinde Theologia non eſt ſupernaturalis, niſi radicalitèr &c. Arg. 2. Theologia, deſtructo per hæreſim habitu fidei, neceſſariò deſtruitur, ergo in Theologo in hęreſim lapſo non remanet vera Theologia, ſed hoc non contingeret, niſi habitus Theologicus immediatè dependeret ab habitu fidei eſſentialiter, & neceſſariò, ergo Theologia, vtpote habitus neceſſariò dependens a fide eſt habitus ſupernaturalis, alioquin non deſtrueretur per hęreſim; prima pars mai. patet, deſtructo enim habitu principiorum, deſtruitur & ſcientia; minor eſt clara.

Reſp. neg. aſſumptum in maiori; licet enim Thomiſtæ teneant, quod deſtructo per hæreſim habitu fidei deſtruatur Theologia ſecundum ſuum eſſe formale; nos tamen oppo-

oppoſitum cenſemus probabilius. Siquidem ex errore pertinaci circa vnum articulum fidei, quæ totalitèr per hęreſim demeritoriè deſtruitur, non ſequitur error circa omnes articulos, vel concluſiones Theologicas; & cum Theologia deſtruatur phyſicè inſtar ſcientiæ, non apparet ratio, quare debeat tota deſtrui per errorem, circa vnum principium; immò, non apparet, cur nequeat remanere ſecundum cæteras concluſiones Theologicas ex alijs principijs creditis fide acquiſita, illatas; & ſi demus, quod per errorem circa aliquod principium non deſtruatur ſcientia tota, ſed ad ſummum illa, quæ corriſpondet concluſioni illatæ ex tali principio.

QVÆSTIO II.

Vtrum pratèr diſciplinas, ſeù ſcientias Phyloſophicas ſit nobis neceſſaria doctrina aliqua ſupernaturalis.

NOt. 1. quod præſens quęſt. tripliciter intelligi poteſt. Primo de Theologia latè ſumpta quatenùs videlicet eſt doctrina ſupernaturalis complectens fidem, quæ nos finem vltimum, & beatificum docet, nec non modos ad illum aſſequendum. 2. de Theologia poſitiua, quæ maximè verſatur in exponendis Sacris Scripturis, & fidei articulis explicandis, quaſi oratorio ſtylo, Sacris Scripturis Conciliorum definitionibus, & Sanctorum Patrum doctrina, quæ omnia ſunt velut principia, & præmiſſæ, ex quibus Theologia ſcholaſtica ſuas concluſiones deducit. 3. de Theologia ſcholaſtica.

Not. 2. ex Scoto q. 1. prol. §. ad quęſtionem, quod diſtinguere opportet, quomodo aliquid ſupernaturale dicitur. Potentia enim receptiua comparatur ad actum, quem recipit, vel ad Agens, a quo recipit; primo modo ipſa eſt potentia naturalis, vel violenta, vel neutra, naturalis ſi naturalitèr inclinetur, violenta ſi ſit contra inclinationem naturalem, neutra, ſi neque inclinatur ad iſtam formam, nequè ad oppoſitam; in hac autem comparatione nulla eſt ſupernaturalitas. Sed comparando receptiuum ad agens, a quo recipit formam, tunc eſt naturalitas, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum eſt natura-

naturalitèr imprimere talem formam in tali paſso. Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impręſſiuum illius formæ in illud paſſum. Ad propoſitum dico, quod comparando intellectum poſſibilem ad notitiam actualem in ſe, nulla eſt ſibi cognitio ſupernaturalis, quia intellectus poſſibilis quacumque cognitione naturaliter perficitur, & ad eam naturaliter inclinatur. Si vero comparetur ad agens, quod imprimit notitiam; tunc illa notitia eſt naturalis, quæ imprimitur ab agente naturaliter motiuo intellectus, ideſt ab intellectu agente, & a phantaſmatibus pro ſtatu iſto, illa autem eſt ſupernaturalis, quæ imprimitur ab agente, a quo non eſt natus naturaliter moueri intellectus, nempe ab agente ſupernaturali, reſpectu cuius ipſe intellectus eſt in potentia obedientiali, & ita ſufficienter proportionatus ad hoc, vt ab ipſo moueatur per aſſenſum cauſatum in ipſo, cuius aſſenſus intellectus eſt naturaliter capax.

Not. 3. quod dupliciter accipi poteſt neceſſarium; vno modo ſimpliciter, & abſolute, adeout per ſe, & ex vi ſuæ naturæ ſibi competat ſumma exiſtendi neceſſitas, & in hoc ſenſu ſolus Deus eſt ens neceſſarium abſolutè, & ſimpliciter; alio modo ex hypotheſi, quod videlicet ſuppoſito aliquo alio non poteſt non eſſe, quia in illo includitur, aut ex illo infallibiliter ſequitur, vel habet cum eo neceſſariam connexionem; idque quatuor modis; primò ex ſuppoſitione cauſæ efficientis; vt ſi lapis proijciatur ſurſum, neceſſariò tendit ſurſum. 2. ex ſuppoſitione cauſæ formalis; vt ſi homo eſt, neceſſariò eſt animal rationale. 3. ex ſuppoſitione cauſæ materialis; vt ſi lignum conſtat ex materia, & forma, neceſſariò eſt corruptibile. 4. ex ſuppoſitione cauſe finalis; & hoc adhuc dupliciter; nempe ſimpliciter; & ſecundum quid; tunc aliquod eſt neceſſarium ſimpliciter ad finem aſſequendum, quando ſine illo, finis obtineri nequit, vt obſeruatio mandatorum Dei ad vitam ęternam adipiſcendam; tunc autem aliquod eſt neceſſarium ſecundum quid, quando ſine eo finis haberi poteſt, ſed non ita comodè, & in multis non ita perfectè.

I. Conc. Pręter ſcientias phyloſophicas ad finem beatificum aſſequendum eſt nobis neceſſaria ſacra Doctrina ſupernaturalis, abſolutè quidem, vt comprehendit fidem,

 Eſt

Eſt omnium Theologorum, quæ ſic à Scoto q.1. prol. probatur. Omni agenti per cognitionem, neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis, ſed nequit homo naturaliter agnoſcere finem, ad quem ordinatur, ergo eſt ei neceſſaria cognitio diſtincta ſui finis per doctrinam ſupernaturalem. Maior patet. Nam Phyloſophi ſolo lumine naturali diſcurrentes errauerunt circa finis cognitionem, quibuſdam aſſerentibus vltimum finem hominis eſſe diuitias, vel voluptates, vel diuitias, vel honores, vel Ideam ſeparatam boni, vel quid aliud, vt refert idem Ariſt. lib.1.eth. qui pariter cum alijs errauit, conſtituendo finem vltimum hominis in ſpeculatione, ſeù cognitione abſtractiua ſubſtantiarum ſeparatarum, nec Deum nouit, vt gratię, & gloriæ Auctorem attingibilem per creaturam rationalem, & intellectualem operatione beatifica.

Prob.2.Rationabilitèr,& liberè agens propter finem,cognoſcere debet media ad finem neceſſaria, & etiam agnoſcere, quod illa ſufficiant, & qualiter per illa finis acquiri poſſit,iuxta illud D.Aug. lib.11. de Ciuit. Dei c. 2. *Si deſit, aut ignoratur, quà eundum ſit, quid prodeſt noſſe, quò eundem ſit*, ſed Viator naturali lumine nequit media huiuſmodi attingere, hæc enim ſunt merita, quæ liberè ordinantur, & dependent ab acceptatione Dei ad talem finem, ergo neceſſaria eſt doctrina ſupernaturalis.

Prob. 3. Etiam ad ea, quæ viribus naturæ agnoſcere valemus, neceſſe fuit hominem diuinitùs edoceri, quod ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ergo tanto magis in ijs,quę ſunt prorſus remotiſſima à noſtra cognitione; ant. patet, nam Gentiles a vera Dei cognitione deuiarunt, Idola, & falſa Numina adorantes,vel in Atheiſmum degenerarunt, adeout exageret Regius Propheta,*dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*, ergo, &c.

II. Conc. Licet Theologia poſitiua, & ſcholaſtica non ſint abſolutè neceſſariæ ſingulis hominibus in Eccleſia, ſunt tamen neceſſariæ toti Eccleſię. Eſt omnium Theolorum. Prob. de poſitiua auctoritate D. Pauli 2. ad Corint. c. 2. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne bonum inſtructus*; quibus verbis Apoſt. quatuor præcipua Theologiæ poſitiuę munera apertè in-

tè indicat, nimirum, quod fideles Catholicam veritatem docet, Hæreticos arguit, Improbos corripit, & denique Infideles erudit, ac inſtruit.

Prob. de Theologia ſcholaſtica ex D. Aug. 14. de Trin. c.1. vbi de Theologia loquens ait. *Huic Scientiæ illud tribui, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*, habet namq; quatuor pręcipua munia, nempè declaratiuum, probatiuum, defenſiuum, & diſcurſiuum, quæ omnia deducuntur ex verbis allatis D. Aug., de quibus muneribus latè agunt Recentiores, vt videre eſt apud Fraſſen q.3. prol.

Prob. etiam ratione deſumpta a D. Prouidentia, quæ omni tempore Doctores ſuæ Eccleſiæ dat, & inſtituit, vt diuinas veritates, quas ipſi clarius inſpiciunt, & profundiùs penetrant, rudiores doceant, ne omni vento doctrinę circumferantur, & in errores cadant, iuxta illud Apoſt. ad Epheſ.4. *Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores*, &c. & hæc ratio militat de vtraque Theologia.

Arg.1. cont.1. conc. Ens, vt ſic eſt primum, & adæquatum obiectum intellectus creati ex 1. & 4. meta. & Scot. q.1. prol., ergo intellectus lumine naturali poteſt cognoſcere Deum ſub ratione diſtincta vltimi finis: conſequentia prob. Potentia habens aliquod pro obiecto communi, & adæquato poteſt in quodlibet contentum ſub illo tendere, vt patet de ſenſu, viſus enim videt omne viſibile, ſed intellectus creatus habet pro ſuo obiecto adæquato ens vt ſic, ergo intellectus poteſt cognoſcere quodlibet contentum ſub tali obiecto; ſubſumo minorem, ſed Deus continetur ſub ente vt ſic, ergo Viator poteſt Deum cognoſcere lumine naturali abſque doctrina ſupernaturali.

Reſp. conc.ant. & neg.conſ. Ad probationem dinſting. mai. Si tale obiectum ſit adæquatum potentiæ, & ſecundum naturalem inclinationem, & naturalem attingentiam, conc. Si ſecundum naturam potentiæ tantum, nego ma. nàm ità ſe habet intellectus Viatoris, vt reſpiciat ens vt ſic pro ſuo obiecto adæquato ſolum ſecundum naturam potentiæ, non verò ſecundum naturalem attingentiam; cum homo lumine naturali nequeat Deum attingere niſi ſub ratione abſtractiua, confuſa, & obſcura, vt nouerunt Phyloſophi.

Cont.

Cont. Senſus,& ſi inferior intellectu poteſt omnia obiecta contenta ſub obiecto adæquato attingere, vt patet de potentia viſiua, ergo a fortiori poteſt intellectus naturalitèr attingere quodlibet contentum ſub ſuo obiecto, alioquin natura deficeret in neceſſarijs.

Reſp. ex Scot. q. 1. prol. concedendo totum argumentum, & reddendo ſingula ſingulis. Sicut ſenſus poteſt in quodlibet contentum ſub ſuo obiecto naturali, ità intellectus poteſt in quodlibet contentum ſub ente obiecto naturali; & ſic noſter intellectus cognoſcit Deum ſub ratione entis infiniti, omnipotentis &c. non tamen ſub ratione Deitatis, & Auctoris gratię, & glorię, quę ſunt prędicata ſupernaturalia. Neque in hoc deficit natura, cum ex ſe conferat potentiæ, quicquid exigitur, vt ſuas actiones naturales producere valeat.

Contra inſtat Scot. Si requiratur doctrina ſupernaturalis, hoc maximè eſſet, vt intellectus habeat aliquam proportionem, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo &c. Prob. min. Etenim ſi intellectus proportionem aliquam expectaret, vel eſſet naturalis, & tunc non eſſet proportio cum obiecto ſupernaturali, vel eſſet ſupernaturalis, & tunc intellectus remaneret improportionatus, vt prius, quia ſic deberet proportionari per aliquid aliud, quod eſt abſurdum, daretur enim proceſſus in infinitum.

Reſp. 1. Intellectum eſſe improportionatum actiuè, non verò paſſiuè.

Reſp. 2. Quod intellectus per doctrinam ſupernaturalem habet proportionem formalitèr cum fine ſupernaturali abſque additione alterius entitatis ſupernaturalis, mediante potentia obedientiali, quę eſt in intellectu, vt recipiat talem qualitatem, hoc eſt, eleuetur intellectus, Deo mouente, ad aſſentiendum propoſitionibus reuelatis; & ſic paritèr voluntas ad charitatem recipiendam, quatenùs Deum meritoriè diligere poteſt.

Arg. 2. Cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali correſpondere debet actiuum naturale, quod illam ad actum reducat, ne potentia ſit fruſtranea, ſed intellectus poſſibilis recipere poteſt naturalitèr quamlibet cognitionem, ergo intellectus agens eſt naturalitèr potens ad eam producendam.

Reſp.

Reſp. neg. mai. Eò quia multæ ſunt potentiæ receptiuæ perfectionum, quæ naturalitèr produci non poſſunt; & hoc maximè verificatur de perfectionibus ſupernaturalibus, quæ non a cauſa naturali produci poſſunt, ſed a ſolo Deo eleuante potentias intellectiuas ad dona ſupernaturalia. Nec ob id potentia dicenda eſt fruſtranea, ſufficit enim, quod reduci valeat ad actum per Agens ſaltèm ſupernaturale.

Arg. 3. Potens naturalitèr intelligere principium, poteſt etiam naturalitèr cognoſcere concluſionem in illo principio virtualitèr incluſam, ſed homo pro ſtatu iſto poteſt naturalitèr cognoſcere principia prima Theologiæ, ergo & naturaliter cognoſcere concluſiones Theologicas; maior patet, quia cognitio concluſionis dependet a notitia principiorum, & terminorum, termini autem primorum principiorum ſunt communiſſima, & communiſſima ex Ariſt. 1. phyſ. ſunt nobis primò nota, ac proindè nobis per ipſa principia innoteſcunt.

Reſp. diſting. mai. Potens intelligere diſtinctè principia, & quoad prædicata propria poteſt etiam cognoſcere concluſiones diſtinctè, conc. mai. potens cognoſcere confusè, & quoad prædicata communia, poteſt cognoſcere diſtinctè concluſiones, & maximè contingentes, quę dependent a Voluntate primi principij, neg. mai. Etenìm homo pro ſtatu iſto, ſicut nequit cognoſcere, niſi communiſſima principia, ità non poteſt inferre ex illis, niſi paſſiones, & concluſiones communes, non verò particulares, & ſub propria quidditate Dei. Itaquè, licet verum ſit, quod naturalitèr attingatur, Deum eſſe finem vltimum, vel non, eſſe infinitum, vel non, & ſic diſcurrendo de alijs prædicatis Dei, ex illo communiſſimo principio. De quolibet eſt affirmare, vel negare; id tamèn fit confusè, & indeterminatè, & ſecundum rationem phyloſophicam, quę obſcura eſt, & inſufficiens ad Deum ſub ratione Deitatis cognoſcendum. Arg. 4. D. Aug. cap. vlt. de prædeſtinatione Sanctorum ait. *Poſſe habere fidem; ſicùt poſſe habere charitatem natura eſt fidelium. habere tamen fidem, quemadmodùm habere charitatem gratia eſt fidelium*; ſed natura hominis poteſt naturalitèr cognoſci, ac proindè eius inclinatio cum ipſo identificata, ergo cognoſci etiam poteſt illius inclinatio-

nis

nis terminus, qualis eſt Deus, & conſequentèr vltimus finis, nàm relatio cognoſci nequit, non cognitis relationis terminis.

Reſp. ex Scoto diſting. min. Natura hominis cognoſci poteſt quoad prædicata comunia, puta entis, ſubſtantiæ, &c. & inſupèr ſub ratione propria abſtractiua, vel intuitiua, conc. min. Sub ratione propria ad aliud; quatenùs habet ordinem ad vltimum finem, neg. min. poteſt quidem cognoſci natura hominis ad finem naturalem ordinata; non autem ordinata ad Deum finem beatificum per media a D. Voluntàte dependentià, aſſequendum.

Arg. vltimò. Si talis doctrina eſſet neceſſaria ad ſalutem; ergo Pagani, & Infideles, qui de Euangelio nil vnquàm audierunt, non haberent ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſed hoc videtur eſſe contra Apoſt. docentem ad Corint. 1. *Phyloſophi gentiles Deum naturalitèr cognouerunt, licet eum vt opportebat, non glorificauerunt*; ergo ſi Phyloſophi glorificaſſent Deum, ſicùt eum naturalitèr agnouerunt, abſque doctrina ſupernaturali aſſecuti fuiſſent vitam æternam, ergo &c.

Reſp. ex Scoto conc. ſequelam. Nàm reuerà huiuſmodì homines infideles non habent ea, quæ ſunt immediatè neceſſaria ad ſalutem, cum non habeant gratiam externam prædicationis Euangelij ſimùl cum gratia internè pulſante ad credendum ea, quæ annuntiantur, ſed habent illa remotè, quatenùs Deus Infidelibus dat gratias ſufficientes ad obſeruandum legem naturæ, quibus ſi bene vterentur, & legis præcepta ſeruarent, maiòres ſucceſſiuè gratias reciperent, quibus tandem deuenirent ad cognitionem Euangelij. Verùm quia primis illis gratijs abutuntur; ideò iuſtè priuantur ſecundis, & vberioribus, ac proindè ad Euangelium non perueniunt. Ex qua doctrina patet quid ſit dicendum auctoritati D. Pauli, de qua difficultate in tract. de gratia redibit diſputatio.

Arg. cont. 2. conc. Theologia ſcholaſtica nititur phyloſophicis, & dialecticis argutijs, ſed huiuſmodì argutię nocent fidei, & Chriſtianæ veritati; ergo &c. Probant Hæretici min. auctoritate Apoſt. ſcribentis ad Goloſ. c. 2. ſic *Videte ne quis vos decipiat per Phyloſophiam & inanem fallaciam.* Hinc Tertullian. lib. de Anima c. 3. Phyloſophos appellat

Ani-

Animalia gloriæ, & Patriarchas Hæreticorum. Hinc S. Greg. Nazian. orat. 26. dolet in Eccleſiam, irrepſiſſe captiones Sophiſticas, ac prauum artificium Ariſtoteleç artis, & huius generis alias, vel vt Ægyptiacas quaſdam plagas. Sic pariter Gregor. Niſſenus lib. 2. contrà Eunormum; ergo cum Theologia ſcholaſtica a Sanctis Patribus damnetur; neque ea vſi fuerint, non eſt in Eccleſia Dei admittenda.

Reſp. veram eſſe maiorem; quatenùs Theologia ſcholaſtica vtitur phyloſophicis ratiocinationibus, ad detegenda ſophyſticas cauillationes hæreticorum, & ad clarius oſtendendas Sacræ doctrinæ veritates. Ad min. reſpondetur diſting. Phyloſophia nocet, ſeù aduerſatur fidei per ſe, & vt vera ſcientia eſt, nego; per accidens, quatenùs malitia Phyloſophantium eam ſophiſmatibus corrumpunt, qualitèr faciunt hæretici, conc. min. Si quidem in illos quadrat ſententia Iudę Apoſt. *Quacumque quidem ignorant, blaſphemant, quacunque autèm naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Quare D. Hieron. in cap. 25. Ezechielis. *Verè inquit, quidquid peruerſorum dogmatum eſt, & putatur eſſe robuſtum in terrena ſapientia, hac Dialectica arte ſubuertitur, & ad inſtar incendy in cinerem fauillaſque diſſoluitur.* Idem D. Aug. pluribus inculcat, & ſignantèr in libris contrà Creſconium, qui Auguſtinum irriſoriè Dialecticum appellat; ſed etiam Apoſtoli, ideſt Paulus, Dialecticus erat, reſpondet Auguſt. qui paucis interpoſitis ſubdit. *Caue, ne cuiquam Dialecticam pro crimine obieceris, qua vſos Apoſtolos confiteris.*

Arg. 2. Apud Sanctos Patres non fuit neceſſaria Theologia ſcholaſtica, cum ſola poſitiua contenti fuerint, ergo qua ratione in poſterioribus ſęculis Doctores Theologiam ſcholaſticam in Eccleſiam introduxerint, oſtendere non poterint; nec qua neceſſitate.

Reſp. Doctores in poſterioribus ſęculis plurimis, & grauiſſimis de cauſis Theologiam ſcholaſticam vſurpaſſe, vt videre eſt apud Recentiores; quare breuitati ſtudens, hanc ſolam producam; nempè vt clariùs Euangelicę veritates eluceſcerent, vtquè Hæreticorum ſophiſmata faciliùs ſoluerentur.

QVÆ-

Vtrum Theologia ſit de Deo, tamquam de ſubiecto.

NOt. 1. Quod hic non loquimur de ſubiecto inhæſionis, tale namquè ſubiectum eſt intellectus, ſed de ſubiecto attributionis, ad quod referuntur omnia, de quibus Theologia tractat. Huiuſmodì autem obiectum, ſeù ſubiectum ſcientiæ eſt duplex, nempè materiale, & formale per analogiam ad materiam, & formam; nàm, ſicùt materia eſt indifferens ad recipiendas plures formas, a quibus determinatur; ità obiectum materiale indifferentèr conſideratur a pluribus ſcientijs, & ratio formalis, quæ etiam dicitur obiectum formale determinat, ad hanc, vel ad illam ſcientiam obiectum materiale, vt corpus, quod conſideratur a Phyſica, a Medicina, a Mathematico ſecundum diuerſas rationes formales. Obiectum autem formale, quod etiam appellatur ſpecificatiuum diuiditur in obiectum quod, ſeù terminatiuum, & in obiectum quo, ſeù motiuum.

Primum eſt totum conflatum ex obiecto formali, & materiali ſimùl; vt v. g. corpus ſanabile reſpectu Medicinæ. Obiectum verò formale quo, ſeù motiuum, ſeù propter quod, ſeù quia nil aliud eſt, quam ratio, ſeù conditio, ſine qua intellectus non cognoſceret obiectum formale quod: ſic lux mouet ad videndum colorem, lumen fidei, ſeù reuelatio ad credendum.

Not. 2. ex Scoto. Quod aliquid poteſt intelligi quatuor modis. Primo ſub ratione reſpectiua, vt homo tanquàm animal nobiliſſimum. 2. ſub aliqua paſſione, vt homo quatenùs riſibilis. 3. ſub ratione communi, vt homo quatenùs ſubſtantia. 4. ſub ratione quidditatiua, vt homo quatenùs animal rationale. Non eſt autem perfectiſſima notitia de aliquo ſub ratione reſpectina, quia talis notitia præſupponit abſolutam; neque ſub ratione alicuius paſſionis, quia paſſio præſupponit ſubiectum. Neque ſub ratione communi, quia hæc eſt notitia confuſa. Remanet igitùr, quod perfectiſſima, & nobiliſſima notitia alicuius ſit ſecundum rationem quidditatiuam.

I. Conc. Deus eſt obiectum materiale, & adæquatum, ſeù

ſeù attributionis noſtræ Theologiæ. Eſt Scoti, & Scotiſtarum in hac q. Prob. quoad primam partem. Quod conſideratur à pluribus ſcientijs dicitur ſubiectum materiale, ſed Deus conſideratur a Methaphyſica ſub rationibus comunibus, nempè, vt eſt ens primum, infinitum, omnipotens; & ſub alijs prædicatis, quæ naturalitèr cognoſci poſſunt, ergo Deus eſt obiectum materiale.

Prob. conc. quoad 2. partem, in qua Scotus diſcordat a D. Bonauent. q. 1. prol. aſſerente Chriſtum eſſe ſubiectum adæquatum Theologiæ. Illud ſtatuendum eſt ſubiectum adæquatum Theologiæ in via, quod erit obiectum adæquatum in Patria, nam fidei ſucedit viſio; ſed in Patria obiectum adæquatum erit Deus ipſe dicente Propheta. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, ergo obiectum adæquatum Theologiæ noſtræ eſt ipſe Deus, eſto diuerſo lumine cognoſcatur.

Prob. 2. Idem eſt obiectum fidei, & Theologiæ ex Scoto q. 3. prologi, & q. 2. laterali §. ex dictis patet reſponſio, ſed ſubiectum fidei eſt Deus, fideles enìm dicuntur, qui in Deum cre dunt, ergo etiam Theologiæ noſtræ obiectum eſt Deus.

Prob. 3. Ad Deum reducuntur omnia, quæ tractantur in Theolo gia, ergo Deus eſt obiectum adæquatum Theologiæ noſtræ; prob. antec. diſcurrendo per ſingula de quibus agit Theologia. Nàm Theologia tractat de ijs, quæ ſpectant, vel ad Deum abſolutè conſideratum, vel ad Perſonarum Trinitatem, vel ad reſpectus, quos habet Deus ad Creaturas, vt eſt Creator, conſeruator, Redemptor, Sanctificator, Retributor, & finis vltimus, quæ omnia denotant, ipſum Deum eſſe obiectum adęquatum Theologiæ noſtræ.

Quod ſi àliqui Scotiſtæ, & ſignantèr Smiſing, dicant, Deum eſſe quidem obiectum primarium, ſed non adæquatum; ideò hoc dicunt, quia ipſum Deum omnes Theologicæ veritates non reſpiciunt directè; quod etiam nos fatemur; hoc tamen non videtur neceſſarium, quia Scotus ipſe q. 3. prol. in fine aſſerit, Deum eſſe obiectum totale Theologiæ, eò quia omnes veritates Theologicæ, ſaltèm indirectè ad Deum reducuntur; & idem affirmat Smiſing q. 2. Proem. dùm aſſerit, Deum eſſe obiectum adæquatum

Theo-

Theologiæ, partim directum, partim indirectum ad mentem Doctoris; & idem ſentit Herincx q.2. prol.

II. Conc. Deus eſt ſubiectum formale quod ſpecificatiuum, ac terminatiuum Theologiæ noſtræ, non ſub ratione reſpectiua ad extra; ſicut ponit Egidius de Roma, Deum eſſe ſubiectum ſub ratione Reparatoris. Nec ſub aliqua ratione attributali, quę eſt paſſio, vt opinatur Varro Scoti Magiſter; Deum eſſe ſubiectum ſub ratione boni. Nec ſub ratione communi, vt tenet Henricus, Deum eſſe ſubiectum Theologiæ ſub ratione entis; ſed eſt ſubiectum Theologiæ ſub ratione Deitatis. Hæc eſt Scot. q.2. prol. Nicolai de Nyx q.2. proem. & Herincx q. 2. prol. prob. ſic breuitèr quoad tres partes ſupra recenſitas.

Nullus conceptus de Deo ſub ratione reſpectus ad extra; aut ſub ratione attributali; aut ſub ratione communi continet virtualitèr veritates Theologicas, pertinentes ad pluritatem Perſonarum, ergo &c. ant. patet; omnis enim talis conceptus de Deo eſt a nobis naturalitèr cognoſcibilis, ergo; & propoſitiones immediatè, quæ ſunt de talibus conceptibus; ac proindè Antiqui Phyloſophi per huiuſmodì propoſitiones potuiſſent ſcire veritates Theologicas, & ſic totam Theologiam acquirere, quod eſt falſum.

Prob. ergo, Deum eſſe obiectum ſub ratione Deitatis. Nobiliſſimæ doctrinæ debet aſſignari nobiliſſimum obiectum ex Ariſt. 6. Metaph. ſed Theologia eſt omnium ſcientiarum nobiliſſima, ergo nobiliſſimum obiectum ei aſſignari debet; ſubſumo min. ſed nobiliſſima ratio eſt Deus ſub ratione Deitatis; quæ eſt fons, & radix omnium proprietatum, & perfectionum, quæ in eo reperiuntur, ergo &c.

Confir. Nàm Deus eſt obiectum Theologiæ ſub ea ratione, qua continet omnes veritates Theologicas, ſed illas continet ſub ratione Deitatis; ſiuè loquamur de veritatibus neceſſarijs, ſiuè de contingentibus, ergo &c. min. patet, quia ratio, cur Deus eſt trinus, & vnus, infinitus, immenſus, eſt ipſa Deitas, qua cognita, quilibet Beatus poteſt abſolutè hæc omnia agnoſcere.

Quod Deus paritèr ſit Creator, Redemptor &c. & habeat alias relationes ad extra, hæc non alia ratione ei competunt,

petunt, niſi ratione Deitatis, quę non ſolum eſt ratio exiſtentiæ prędictorum, ſed etiam eſt ratio cognitionis eorum, ſiuè id eueniat per lumen fidei, ſiuè gloriæ.

III Conc. Obiectum formale quo, ſeu propter quod, ſeù motiuum Theologiæ noſtrę eſt Deus ſub ratione veracitatis in atteſtando, & reuelando; ideſt Diuina veracitas eſt obiectum motiuum Theologiæ noſtræ, quatenùs illa veracitas applicatur per diſcurſum Theologicum.

Prob. Theologia noſtra, & Beatorum, cum habeant idem obiectum, nimirum Deum ſub ratione Deitatis, debent aliquo modo diſtingui inter ſe, ſed hoc non poteſt eſſe niſi diuerſa ratio motiua reſpectu Beati, & Viatoris; Beatus enìm fertur in Deum clarè viſum, ſuaſque concluſiones infert ex illo euidentèr cognito; Viator autem fertur in Deum lumine fidei obſcurè cognitum, prębens aſſenſum propoſitionibus de Deo factis, non ex diſcurſu, ſed ex ſola Dei veracitate, ergo Theologia noſtra medium tenens inter fidem, & Theologiam Beatorum, aſſentiri debet non propoſitionibus, quatenùs reuelatæ ſunt, ſed quatenùs ex reuelatis deducuntur per diſcurſum Theologicum; ſicq; diuina Veracitas eſt obiectum quo, ſeù motiuum Theologiæ noſtræ.

Confir. hęc veritas exemplo huius propoſitionis, Deus eſt infinitus, quę diuerſimodè appræhenditur a Beato, a fideli, & a Theologo. Ideò enìm Beatus cognoſcit, talem propoſitionem eſſe veram, quia videt, hanc ſequi ab illa, Deus eſt; quam cognoſcit clarè, & euidentèr in Deo, & ſic lumen gloriæ eſt obiectum quo Theologiæ Beatorum. Ideò etiàm fidelis agnoſcit eandem veritatem, quia ipſa reuelata eſt immediatè a Deo veraci; ſicque lumen fidei eſt motiuum talis cognitionis. Theologus denique ideò appręhendit talem veritatem, quia illam deducit ex iſto principio immediatè reuelato: Deus eſt, quia ſcit, Deum reuelantem eſſe veracem. Itaque patet, Veracitatem diuinam applicatam per diſcurſum Theologicum ad obiectum quod, eſſe motiuum Theologiæ noſtræ, quę certior eſt ſcientijs naturalibus, vt dicemus in ſequenti quæſtione, quia innititur diuinę reuelationi.

Arg. contra 1. conc. ſic. Quęlibet ſcientia ſupponit ſuum ſubiectum, & nulla illud probat eſſe, ſed Theologia

 ex prin-

ex principijs fidei probat, Deum eſſe, qui eſt eius obiectum, ergo Deus non eſt eius ſubiectum.

Reſp. conc. gratis mai. & min. diſtinguendo, Theologia probat ſuum obiectum a priori, nego; à poſteriori, conc. min. Etenim in nulla ſcientia, quę habet ſubiectum ſimplicitèr ſimplex fit demonſtratio propter quid; ſed ex priori paſſione, quæ eſt per ſe nota de ſubiecto demonſtratur poſterior; vt in metaph. ratio boni per rationem veri. Ita Nicolaus de Nyſſę.

Arg. 2. Deus eſt cauſa efficiens, & finalis S. Theologiæ, ſed ſubiectum, ſeù cauſa materialis non coincidit cum alijs cauſis, neque in idem numero, neque in idem ſpecie ex 2. phyſ. ergo cum Deus, vt efficiens, & finis ſit forma ſimplex, non poteſt eſſe ſubiectum; quia teſte Boetio lib. 1. de Trinit. *Forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt*.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Materia ex qua non coincidit cum ſubiecto ſcientiæ, conc. materia circa quam, nego min. Vnde Deus, cum ſit materia circa quam verſatur Theologia, coincidit cum efficiente, & finali. Ad Boetium dicitur, formam ſimplicem non poſſe eſſe ſubiectum ex quo, & inhęſionis, benè tamen ſubiectum circa quod verſatur ſcientia.

Arg. 3. Subiectum ſcientię debet eſſe aliquod vniuerſale ex Ariſt. 3. Metaph. debet habere partes, & principia, & paſſiones ex 1. Poſt. ſed hęc non reperiuntur in Deo, ergo Deus &c.

Reſp. ad primam auctoritatem, veram eſſe de ſubiecto ſcientię naturalis ratione ſuę imperfectionis, quia de ſingularibus non habetur ſcientia; non autem de ſubiecto Theologiæ, quod eſt Deus ſingulariſſimus quidem, ſed ſummę neceſſarius, adeoùt ęquipolleat, imò excedat vniuerſalitatem, quam exigit Ariſt. in ſubiecto ſcientię.

Reſp. ad ſecundam, imperfectionis eſſe in ſubiecto habere partes ſubiectiuas, in quas poſſit diuidi, quia dicit limitationem, & potentialitatem; ideòq; Natura diuina ſine multiplicatione communicatur Perſonis diuinis ob ſuam infinitam perfectionem, quæ Perſonę abuſiuè dicuntur partes ſubiectiuę.

Ad tertiam, videlicèt, ſubiectum habeat paſſiones, & principia; ſubiectum Theologię, eſtò non habeat princi-

pia eſſendi, habet tamen aliqua principia demonſtrandi, ſeù cognoſcendi partes de ſe ipſo; habet etiam attributa, quę ſunt velutì paſſiones, ſecluſa omni potentialitate ad illa.

Arg. 4. Illud eſt ſubiectum ſcientię practicę, in quo inducitur forma ab illa ſcientia, intenta; nàm ex 1. Eth. ſcientia moralis eſt de homine quoad Animam; & medicina quoad corpus, ſed finis Theologiæ, quę eſt bonitas moralis, non inducitur in Deo, ſed in homine, ergo non Deus, ſed homo eſt ſubiectum Theologię.

Reſp. nego ſuppoſitum mai. Finis enìm ſcientię nil aliud eſt, niſi obiectum attingere, non autem inducere formam per actum ſuum in obiectum; quia ſcientia practica, licet habeat regulare praxim, non tamen eſt aliqua qualitas factiua. Vnde ſicùt homo ſecundum corpus continet virtualitèr ſanitatem, & ſecundum Animam fælicitatem naturalem; ità dicitur corpus ſubiectum medicinę, & Anima ſubiectum naturalis fęlicitatis. Non ſic autem includit homo rationem finis ſupernaturalis, ideoque non dicitur ſubiectum Theologię.

Arg. contra 2. conc. Hæc Concluſio eſt contra mentem Scoti, qui concedit quidèm, Deum ſub ratione Deitatis eſſe obiectum Theologiæ in ſe, & Theologiæ Dei, & Beatorum, non verò noſtræ, cuius obiectum probat, eſſe ens infinitum, quia vt ipſe docet q. 3. Prol. & q.2. laterali ʃ. ad primam quæſtionem, primum ſubiectum ſcientiæ non poteſt eſſe quid ignotum, ſed Deus, vt Doctor ſubdit non eſt nobis notus ſub ratione Deitatis, ſed ſub ratione infinitatis, quæ eſt perfectiſſima ratio à nobis pro ſtatu iſto cognoſcibilis, ergo Deus per Scotum non eſt ſubiectum Theologiæ noſtræ ſub ratione Deitatis, ſed entis infiniti.

Reſp. Scotum tantùm velle, Deum eſſe ſubiectum ſub ratione entis infiniti, quatenùs eſt primum ſubiectum nobis notum ſub illo conceptu, non verò eſſe abſolutè ſubiectum. Vnde Aduerſarij vrgentes, Deum ſub ratione Deitatis non eſſe primum ſubiectum Theologiæ noſtræ. Reſpondet ipſe Scotus ſic. Verum eſt, non primum ſubiectum dans euidentiam, ſed ſubiectum primum continens omnes veritates, & natum dare euidentiam, ſi ipſum cognoſceretur. Deindè expreſsè ſubdit, vt benè aduertit

Smiſing. q.2. Prol. idem eſſe ſubiectum Theologiæ noſtræ, quod eſt primum ſubiectum Theologiæ in ſe, ſed quia illud non eſt nobis euidens, ideò non continet veritates, vt nobis notum.

Ad illud autem, quod affertur; ignotum non poſſe eſſe ſubiectum ſcientiæ, verum eſt, ſi ſit pœnitus ignotum, quod dici non poteſt de Deo reſpectu noſtri, qui ipſum cognoſcimus, non quidditatiuè, ſicut nec Phyloſophi cognoſcunt ſubſtantiam, nec hominem, nec Animam, de quibus tamen habent ſcientiam, ſed benè à poſteriori, & abſtractiuè; imò & per fidem, quę ad Theologiam noſtram ſupponitur.

Arg. 2. Scientia debet adęquare obiectum, & illud attingere, quantum cognoſci poteſt, ſed Theologia noſtra non eſt huiuſmodì, quia eſt finita, Deitas verò infinita; & finiti ad infinitum non eſt proportio, ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Theologia noſtra non adæquat &c. aritmeticè, conc geometricè, nego; alitèr nec Theologię Beatorum obiectum eſſet Deus, qui infinitè cognoſci non poteſt à Beatis. Sufficit ergo proportio geometrica, quę in propoſito noſtro conſiſtit in hoc, quod Deus cognoſcatur quantum attingi poteſt cognitione ex principijs potentiæ cognoſcentis: v. g. ex principijs reuelatis reſpectu Viatorum, & ex lumine gloriæ reſpectu Beatorum.

Arg. contra 3. conc. Veracitas Dei in atteſtando reſoluitur in Deitatem; nàm ideò Deus eſt verax, quia eſt ſummè ſapiens, & ſummè bonus, ac proindè nec falli, nec fallere poteſt; & ideò ſapiens, & bonus, quia Deus eſt, ergo vltra Deitatem non eſt admittenda alia ratio formalis.

Reſp. diſt. ant. Deitas eſt obiectum motiuum vltimum, in quod reſoluitur aſſenſus Theologicus, conc. obiectum motiuum proximum, de quo hic loquimur, nego. Veracitas enìm Dei in atteſtando eſt obiectum motiuum proximum.

Dices, præmiſſæ mouent ad aſſentiendum concluſioni Theologicæ, ergo præmiſſæ ſunt obiectum motiuum proximum aſſenſus, & non reuelatio.

Reſp. conc. præmiſſas eſſe reuerà motiuum proximum ad aſſentiendum concluſioni Theologicæ, ſed ipſa reuela-

tio præmiſſæ obſcuræ, ex qua infertur concluſio, eſt motiuum ſubalternum, & particulare: e.g. in hoc diſcurſu Theologico, Chriſtus eſt homo, ſed homo eſt animal, ergo Chriſtus eſt animal; vt latè oſtenditur in tractatu de fide. Vel poſſet reſponderi, quod adæquatum motiuum eſt ipſa reuelatio ſola, non quidem ſolitariè ſumpta, ſed applicata per diſcurſum Theologicum; ita quod talis applicatio ſit tantum conditio ſine qua intellectus non aſſentiret concluſioni Theologicæ.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm Theologia ſit Scientia.

NOt. 1. Quod Theologia, vt docet Franciſcus de Mayronis fideliſſimus Scoti diſcipulus, accipitur quadrupliciter. Primò pro habitu generato ex ſtudio Sacræ Scripturæ. 2. pro habitu concluſionis deducto ex ijs, quæ ſunt in Sacra Scriptura; & vtroque modo Theologia eſt fides. 3. pro habitu defenſiuo eorum, quæ ſunt fidei; ea autem, quæ ſunt fidei, non poſſunt demonſtrari, ideoque non poſſunt defendi ſcientialiter arguendo, ſed tantum ſoluendo; & tunc ſi argumenta ſunt metaphyſica, per metaphyſicam ſolui poterunt, qua cognoſci poterunt eorum defectus, & ſic de alijs ſcientijs, ac proinde in hoc ſenſu Theologia, non eſt ſcientia ſpecialis. 4. pro habitu, qui natus eſt haberi de ſubiecto Theologiæ cognito, ſicut metaphyſica eſt de ente, & de hoc eſt quæſtio.

Not. 2. ex Scot. Quod ſcientia dicitur notitia certa obiecti neceſſarij, & euidens per diſcurſum ſyllogiſticum, ex qua definitione inferuntur quatuor conditiones ſcientiæ, vt aliàs dictum fuit in logica, & in phyſica. Verùm vltima conditio, ideſt applicatio per diſcurſum ſyllogiſticum non conuenit per ſe ſcientiæ ſimpliciter, ſed tantum ſcientiæ imperfectæ, vt in intellectu diſcurſiuo, quod eſt intelligendum de diſcurſu ſecundum ordinem demonſtrationis, & temporis. Immò etiam ſecundum ordinem naturæ, ſic enim a Doctore admittitur quarta conditio in intellectu angelico, qui cognoſcit hominem eſſe riſibilem, quia eſt animal rationale. Vnde intellectus beatus vnico

 intui-

intuitu videns eſſentiam diuinam,& omnes eius perfectiones; cognoſcit, Deum poſſe creare, quia eſt virtutis infinitæ.

Not. 3. Quod circa hanc quæſtionem diuerſæ ſunt opiniones. Etenìm quidam, vt Henricus de Gandauo quol. 12. q.2. aſſerit, dari triplex lumen, nempè gloriæ, fidei, & vię; quamuis autem fateatur, concluſiones Theologicas eſſe in ſe obſcuras, attamen vult eas reddi euidentes per aliquod lumen medium inter lumen gloriæ, & fidei, quod Theologis eruditiſſimis, & longo vſu exercitatis diuinitùs infunditur. Verùm alij, vt D. Thom. p. 1. q. 1. art. 2. Albertus in ſum. tract.1. contendunt, euidentiam competere Theologiæ Viatorum, non quidem vt eſt in Viatoribus, quia eius principia ſunt obſcura, ſed quatenùs talia principia reſoluuntur in principia Theologiæ Beatorum, cui ſubordinatur, quæ quidem principia ſunt euidentia. Alij apud Aureolum q. 1. prol. volunt Theologiam noſtram eſſe euidentem non euidentia obiecti, & principiorum, quę obſcura ſunt, nec etiam euidentia conſequentis, quod adhuc obſcurum eſt, ſicut pręmiſſæ, ſed euidentia conſequentiæ, quatenùs quilibet Theologus euidentèr cognoſcit concluſionem Theologicam rectè inferri ex præmiſſis. Tandèm noſter Franciſcus de Marchia apud Gregorium q.1. prologi, opinatur Theologiam Viatorum, eſſe euidentem, proùt ſua principia reſoluuntur in hæc duo prima principia. Quicquid Deus reuelauit eſt verum, & myſteria, quæ nobis proponuntur, reuelata ſunt, quorum primum eſt notum per metaphyſicam naturalitèr dictantem, primam veritatem non poſſe falli, neque fallere; ſecundum auctoritate miraculorum, quæ facta ſunt in confirmationem credendorum. At quidquid ſit de iſtis opinionibus ponantur concluſiones ad mentem Scoti.

I. Conc. Theologia Dei, eſtò non ſit ſcientia quoad 4. conditionem, eſt tamen vera,& propriè ſcientia. Eſt Scoti q.3. prologi. Prob. quoad vtramque partem. Quarta conditio non competit ſcientiæ per ſe, ſed per accidens, ideſt ratione imperfectionis intellectus, ergo cum intellectus Diuinus ſit perfectiſſimus non admittit in ſe ſcientiam imperfectam, qualis eſt illa, quæ exigit quartam conditionem; prob. conſequentia. Intellectus Diuinus

non

non diſcurrit, neque tranſit à cognitione præmiſſarum ad cognitionem concluſionis inferendo minùs notum ex notiori ob connexionem neceſſariam, quam percipit intèr vtrumque, ſed vnico intuitu omnia videt; eſtò tranſeat à principalius notis ad minus principalia; quia obiectum principale primò cognoſcitur, ergo Theologia Dei non eſt Scientia quoad quartam conditionem.

II. Conc. Theologia Beatorum, quatenùs circa concluſiones vniuerſales verſatur eſt propriè ſcientia, vt verò attingit concluſiones contingentes nequaquàm. Prima pars patet diſcurrendo per ſingulas conditiones ſcientiæ. Siquidem eſt certa abſque errore, quia Beati vident Deum ſicuti eſt: habet 2. ideſt obiectum neceſſarium ſine vlla mutatione, quia apud Deum non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: habet 3. quia Beati per cauſas poſſunt inferre, Deum eſſe omnipotentem; ex eo quod eſt infinitus: habet 4. quia Beati ſaltèm pricritate naturæ priùs cognoſcunt cauſas, & naturas, quam effectus, & proprietates, quæ ex illis inferri poſſunt, ergo Theologia Beatorum quoad neceſſaria eſt propriè ſcientia; & eò vel maximè, quia Scotus q. 3. prologi docet, quod diſcurſus non requirit ſucceſſionem temporis, nec ordinem ipſius, ſed ordinem naturæ, hoc eſt, quod principium diſcurſus ſit naturalitèr priùs notum, & vt ſic ſit cauſatiuum alterius extremi diſcurſus, ideſt concluſionis.

Prob. 2. pars conc. ex Scot. q. 3. prol. vbi docet, Theologiam Beatotum de neceſſarijs dici poſſe ſcientiam, contingentium verò, nec in ſe, nec in Deo, nec in Beatis, nec in nobis eſſe ſcientiam.

Ratio. Quia contingentia, aliter ſe haberi poſſunt, ergo de contingentibus non eſt ſcientia ſecundum conditiones requiſitas ab Ariſt. Quare ſubdit Doctor. De contingentibus ſecundum rationem illam ſcientię poſitam in 1. poſt. quæ requirit neceſſitatem obiecti, non poteſt de eis eſſe ſcientia; tamen ſecundum quod accipit Phyloſophus 6. eth. vt diuiditur contra opinionem, & ſuſpicionem, benè poteſt dici ſcientia, quia eſt habitus, quo determinatè verum dicimus. Hæc Doctor.

III. Conc. Theologia noſtra non eſt propriè ſcientia iuxta ſenſum Ariſt. 1. poſt. cap. 1. Ita Scot. q. 3. prol. &

Scotiſtæ. Probatur vnica rationé. Scientia propriè dicta ex Ariſt. debet eſſe certa, & euidens, vt per certitudinem diſtinguatur ab opinione, & per euidentiam à fide Diuina, & humana, ſed cognitio concluſionis Theologicæ non habet euidentiam, Theologus namque aſſentitur illi propter ſolam veracitatem Dei, ergo Theologia noſtra non eſt propriè ſcientia.

Nec valet reſpondere cum Præpoſito, & Aureolo, quod concluſio Theologica inferatur ex ſuis principijs per euidentem conſequentiam, non valet inquam, nam ſola euidentia conſequentiæ non facit notitiam euidentem, qualis eſſe debet omnis ſcientia, de qua hic agitur: Sicùt enìm veritas conſequentiæ non facit conſequens verum (cum ex falſis per veram conſequentiam poſſit inferri falſum) ſic euidentia conſequentiæ non facit concluſionem, aliàs obſcuram, eſſe euidentem.

Neque etiam dici poteſt cum Alberto, & Capreolo, & quibuſdam Recentioribus eſſe euidentem per reſolutionem ſuorum principiorum in Dei, & Beatorum ſcientiam, quæ eſt euidentiſſima, quia vt optimè arguit Herincx q.4. prol. cum ſcientia Dei, & Beatorum nobis pro hoc ſtatu ſit ineuidens, conſequentèr non poſſumus euidentèr in illam reſoluere articulos fidei, ſeù principia noſtræ Theologiæ, etiamſi gratis eis concedatur Theologiam noſtram ſubalternari Theologiæ Beatorum, & Dei: non enìm ſcientiæ ſubalternatæ principia poteſt euidentèr reſoluere in principia ſcientiæ ſubalternantis ille, cui hæc ipſa principia non ſunt euidentia.

Arg. contra 1. conc. Scientia Dei includit diſcurſum, ergo eſt ſcientia iuxta poſitionem Ariſt. ant. probat. Deus cognoſcit res vt ſunt, effectus enìm ſunt per cauſas, proprietates per eſſentias, ergo Deus cognoſcit effectus per cauſam, & proprietates per eſſentiam.

Reſp. neg. ant. ad prob. diſting. ant. cognoſcit effectum, & cauſam cum diſcurſu nego, ſine diſcurſu conc. Siquidem Deus vnico, & ſimpliciſſimo actu ſui intellectus infiniti omnia cognoſcit; & quidem cognoſcit etiam effectus eſſe per cauſas, non tamen cognoſcit effectum per cauſam, quaſi vnum per aliud, & poſt aliud ſaltèm inſtanti naturæ cognoſcat, quod exigitur ad rationem formalem diſcurſus.

Arg.

Arg. cont. 2. conc. Beatus vnico actu omnia videt in eſſentia Diuina. Vnde D. Aug. lib. 15. de Trin. c. 16. ait: *Fortaſſis volubiles non erunt cogitationes noſtræ ab alijs ad alias euntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vnico actu videbimus*, ergo &c.

Reſp. conc. ant. Hinc tamèn non ſequitur, non poſſe poni in Beatis diſcurſum, cum non exigat niſi prioritatem naturæ, non verò temporis. Ad. D. Aug. dicimus, loqui dubitatiuè, vt liquidò patet ex eius verbis; & licet aſſerendo hoc dixiſſet, intelligendus eſt quoad eſſentialia, quæ vnico actu Beati cognoſcunt, ſecùs autem de attributis, quæ intelligere poſſunt per diſcurſum.

Arg. cont. 3. conc. probando Theologiam noſtram nullo modo eſſe ſcientiam. De eodem obiecto non poſſunt eſſe ſimùl ſcientia, & fides, vt docet Scot. in 3. d. 24. q. vn. ſed Theologia Viatorum tàm quoad articulos fidei, quàm quoad concluſiones ex illis deductas eſt fides, ergo Theologia Viatorum nullo modo eſt ſcientia; min. patet, nàm etſi in præmiſſis poſſit eſſe cognitio aliqua naturalis, concluſio tamen ſemper ſequitur debiliorem partem.

Reſp. conc. mai. & neg. min. Nàm, quamuìs concluſiones deductæ non ſint propriè ſcientia; quia eis deficit euidentia ex obiecto, eſt tamèn ſcientia impropriè dicta, diſtincta ab habitu fidei, vt paulò ante oſtenſum fuit.

Arg. 2. Quod Theologia noſtra ſit propriè ſcientia. Sapient. cap. 7. habetur. Ipſe dedit mihi omnium, quę ſunt, veram ſcientiam; & D. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 1. ait *Theologia eſt ſcientia, quæ eſt de rebus, quæ ad ſalutem hominis pertinent*, ergò Sacra Doctrina, vt eſt habitus circa concluſiones deductas ex articulis fidei, & alijs principijs eiuſdem eſt vera ſcientia.

Reſp. Auctoritates allatas non facere contra noſtram concluſionem; non quidem primam; quia non ſequitur, eſt vera ſcientia, ergo eſt propriè ſcientia, aliud enim eſt, eſſe verum, & aliud proprium; qua ratione, licet Chriſtus dicatur Vitis vera, & Agnus, non tamen dici poteſt, quod ſit propriè vitis, & agnus. Nequè ſecundam, cum D. Aug. doceat eſſe ſcientiam tantum, abſque alia ſpecificatione, quod etiam nos fatemur. Itaq, Theologia noſtra eſt ſcientia vera, immò verior alijs ſcientijs, quia nititur principijs infallibilibus ex D. veracitate.

Arg. 3. Theologia noſtra eſt habitus intellectualis, ſed non eſt habitus principiorum, vt ſupponitur, neque eſt habitus prudentiæ, quia non verſatur circa ſingularia, agibilia hic, & nunc, neque Artis, quia non verſatur circa factibilia, ergo eſt ſapientia, vel ſcientia, omnis enim habitus intellectualis ex Ariſt. 6. eth. reducitur ad aliquem iſtorum.

Reſp. conceditur eſſe ſcientiam, ſed negamus eſſe ſcientiam propriè dictam in rigore Ariſtotelico; & quamuis ſit vera ſapientia, vt infrà patebit; ex hoc tamen non rectè infertur, eſſe propriè ſcientiam.

Arg. 4. Si Theologia noſtra non eſſet ſcientia, hoc eſſet, vel quia non eſt euidens; vel quia eſt de contingentibus, nempè de creatione, prædeſtinatione, Incarnatione &c. Sed primum non officit, nam credita per fidem ſunt euidentia in lumine ſuperiori, ideſt ſcientia Dei, & Beatorum, nec ſecundum, quia illa contingentia, vt repreſentantur in eſſentia Diuina ſunt neceſſaria, & perpetua, ergo etiam Theologia noſtra eſt propriè ſcientia.

Reſp. conc. Sequelam maioris, & neg. min. Ratio, quia principia alicuius ſcientiæ debent eſſe euidentia in eadem ſcientia ad hoc, vt ſit vera ſcientia; quod non verificatur de principijs noſtræ Theologiæ, cum ſint ineuidentia. Ad illud de contingentibus patet reſponſio; nàm vt in concluſione ſuperiori oſtendimus ex Scoto, Theologia contingentium, ſiue ſit in intellectu Beati, ſiue Viatoris nequit dici ſcientia, niſi, vt contradiſtinguitur ab opinione, & ſuſpicione.

Quæres 1. An Theologia noſtra ſit ſcientia argumentatiua.

Reſp. Non eſſe ſcientiam propriè argumentatiuam, & demonſtratiuam, quæ procedit ex primis, veris, & notioribus, cauſiſque concluſionis, vt tradit Ariſt. 1. poſt., ſed ſicut eſt ſcientia impropriè, ita eſt impropriè argumentatiua. Sic docet Herincx q. 4. prol. citans etiàm D. Bonauent. D. Thomam, & alios contra Aureolum, & Durandum, ac Goffredum, putantes Theologiam noſtram eſſe tantum habitum explicatiuum quid rei, ideſt, qualis ſit ſenſus Sacræ Scripturæ a Spiritu Sancto dictatus.

Prob. igitur, & explicatur noſtra reſponſio. Theologia

noſtra

noſtra non ſolùm eſt explicatiua quid nominis, quia ſic quilibet Gramaticus eam exponere poſſet; non ſolùm, inquàm eſt explicatiua quid voces, ſeù propoſitiones contentæ in Sacra Scriptura ſignificent, & quid rei contineant, ſed eſt etiam habitus defenſiuus Articulorum fidei, adhæſiuus, & deductiuus, ſeù argumentatiuus; Siquidem per Theologiam adheremus veritatibus Theologicis, & argumentando ex veritatibus fidei, quibus aſſentimur, concluſiones Theologicas deducimus.

Quæres 2. An Theologia noſtra ſit ſcientia ſubalternata Theologiæ Dei, & Beatorum.

Reſp. ex Scoto q.3. prologi negatiuè contra quoſdam Thomiſtas. Ratio eſt, quia vt ſcientia aliqua dicatur ſubalternari alteri iuxta communem Phyloſophorum opinionem, requiritur primò, vt habeat obiectum ſcientiæ ſubalternantis accidentalitèr contractum, qualitèr muſica, quæ ſubalternatur Arithmeticę, habet pro obiecto numerum ſonorum, & Perſpectiua, quæ ſubalternatur Geometriæ lineam radioſam, ſeù viſualem; vel vt Medicina, quæ habet pro obiecto corpus naturale ſanabile, quæ accidentalis differentia eſt radix omnium proprietatum, quas in corpore inueſtigat medicina, eſtò illas probet per concluſiones ſcientiæ ſubalternantis. Vnde vulgare effatum, Vbi deſinit Phyſicus, ibi Medicus incipit, Deinde exigitur, vt principia ſcientiæ ſubalternatæ contineantur in principijs ſubalternantis, adeoùt per hęc probentur principia ſubalternatæ, quorum vtrumque hic deeſt, Etenìm conſtat ſcientiam Dei, & Beatorum eſſe de eodem obiecto, de quo eſt noſtra Theologia. Præterea non accipimus principia Theologię noſtrę à ſcientia Dei, & Beatorum, vt ex illis concluſiones deducamus, Accedit etiam, quod ſcientia ſubalternata, vt comunitèr recipitur in Phyloſophia, non poteſt reperiri in eo, qui caret ſubalternante, ergo cum in nobis non ſit Theologia Dei, nequè Beatorum, noſtra dici nequit ſubalternata.

Hinc patet, Theologiam noſtràm non ſubalternari alijs ſcientijs naturalibus, nec eas ſibi ſubalternari; quamuis aliquo modo a noſtra Theologia dependeant, quatenùs corrigit errores Phyloſophorum, Iuriſperitorum, & quatenùs tradit multa, quæ in ſcientijs naturalibus, vel non

erant

ērant ſatis nota, vel erant pęnitùs ignota, vt patet de ſeparatione accidentis à ſubiecto, & de ſuppoſito creato naturæ ſingularis, & de ipſa natura humana perſonata perſona Verbi Diuini, de penetratione, & replicatione corporum, ac de multis alijs.

QVÆSTIO V.

Vtrum Theologia ſit doctrina practica, vel ſpeculatiua.

NOt. 1. Quod ſatis in Phyſicis, & Logicis patet, quid ſit ſcientia ſpeculatiua, & practica; idcircò ne plus immoremur in ijs, quæ iam tradita fuere, quàm oporteat; repetam ſolummodò definitionem praxis, quam docet Scot. q.4. prologi. Vbi ſic habet. Praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione, nata elici conformitèr rationi rectæ ad hoc, vt ſit recta. Ex qua definitione infertur, quatuor conditiones requiri ad veram praxim. 1. quod praxis non ſit operatio intellectus, ſed ſolius voluntatis, ſiue elicita, ſiue imperata; & hinc dicitur, intellectum extenſione fieri practicum, ideſt quatenùs ſe extendit ad regulandas, & dirigendas operationes. 2. quod praxis ſit poſterior naturalitèr intellectione, quia praxis pręſupponit notitiam, quæ habet eam regulare; vnde actus vegetatiui, & appetitus ſenſitiui præcedentes intellectionem non ſunt praxis, benè tamèn, vt ſunt poſteriores ipſa intellectione, poſſunt enìm a voluntate imperari diuerſi actus partis ſenſitiuæ. 3. quod ratio ſcientiæ practicæ conſiſtit in duplici reſpectu, ſeù relatione aptitudinali, nempè prioritatis naturalis, & conformitatis cum recta ratione. 4. quod non requiritur ad rationem ſcientiæ practicæ, quod actualitèr dirrigat, ſed ſufficit, ſi dictet, & dirrigat virtualitèr.

Not. 2. Quod Theologia noſtra includit plures notitias, quæ ſecundum ſe non dirrigunt aliquam praxim, ſeù formalitèr non dictant aliquod eſſe agendum, vel non agendum; ac proindè huiuſmodì propoſitiones dicuntur formalitèr ſpeculatiuæ, & virtualitèr practicæ; e.g. Deus eſt trinus, & vnus, Deus eſt infinitus, Pater generat, & id

genus

genus ſimilia; & inſupèr includit plures notitias, quæ ſunt formalitèr practicæ, oſtendentes quid ſit faciendum; vt Deus eſt amandus, Deus eſt colendus, Proximus eſt diligendus, & huiuſmodi, ita Scotus in 4. d.14. q.3. & q.4. prologi, vbi etiam ſubtilitèr aduertit diſcrimen eſſe inter propoſitiones Theologicas de neceſſarijs, & de contingentibus, ſeù de Theologia neceſſariorum, & de Theologia contingentium, nàm per Theologiam neceſſariorum intelligit veritates, quæ ex ſua natura ſunt faciendæ, aut vitandæ, e.g. Deus eſt colendus, peccatum eſt vitandum, virtus amplectenda &c. Per Theologiam autem contingentium intelligit veritates, quæ de ſui natura non ſunt in praxim deducendæ, ſed tantum ex mandato Dei; cuiuſmodi ſunt, quæ concernunt vſum Sacramentorum. Priores veritates Scotus vocat practicas ex obiecti natura, & per ſe, poſteriores per accidens, hoc eſt, non quidem ex obiecto, ſed ex ordinatione Diuinæ voluntatis.

Not. 3. Quod ſcientię dicuntur ſpeculatiuę, vel practicæ a mo do, quo tendunt in obiectum ſuum totale, & adęquatum, non a modo quo tendunt in obiecta partialia. Quare ſi tendunt in obiectum totale, & adæquatum modo ſpeculatiuo, ſcientiæ illæ ſunt ſpeculatiuæ, licet aliquæ concluſiones ordinentur virtualitèr ad praxim; Si verò tendant in obiectum adęquatum modo practico, ſunt practicæ, eſtò habeant aliquas concluſiones, quæ videantur ſpeculatiuæ, & ordinentur remotè tantum ad praxim. Vnde cum ſcientiæ naturales ſpeculatiuæ non reſpiciant obiectum ſuum adęquatum, & formale pro practico, vt patet de metaphyſica, quę reſpicit ens, vt ens, & non vt diligibile, ideoque dici nequeunt practicę, & ſi remotè, & virtualitèr talis ſcientia regulare poſſit aliquas operationes. Verùm quia Theologia tendit in obiectum ſuum adequatum, & formale modo practico; nàm Theologus non reſpicit Deum, vt illum ſimpliciter cognoſcat, ſed vt illum diligat; ideoquè etiam propoſitiones, quæ apparent ſpeculatiuæ induunt rationem practici.

Not. 4. Quod in hac quæſtione tres opiniones afferuntur. Prima eſt Herinci de Gandauo in ſum. art. 8. q.3. aſſerentis, Theologiam noſtram eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam. 2. eſt D. Thom. p. 1. q. 1. art. 4. cum ſuis docentis,

Theologiam formalitèr eſſe practicam, & ſpeculatiuam; fundamentum eſt, vt ſcribit Gonet. t.1.in Manuali Theologiæ Thomiſtarum, quia Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculatiua ex eo quod agat de Deo, vt primo principio, Moralis verò practica, quia tractat de vltimo fine, & medijs ad illum conducentibus, ergo cum Theologia noſtra vtrumque pręſtet, & Deum in ratione primi principij, ac vltimi finis contempletur, agatque de medijs ad illum conducentibus, ſimul erit ſpeculatiua, & practica. Et inſuper addit cum D. Thoma, quod Theologia eſt veluti quędam impræſſio, & participatio diuinæ ſcientiæ, quæ eſt eminentèr ſpeculatiua, & practica, ac proinde Theologia noſtra eſt practica, & ſpeculatiua eminenter. 3. eſt Scoti docentis loc. cit. Theologiam noſtram dicendam eſſe ſimpliciter practicam, iuxta quam ſit.

Conc. Theologia noſtra non eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed ſimpliciter eſt practica. Prob. quoad primam partem. Quandocunque duæ differentiæ oppoſitæ diuidunt aliquod commune, impoſſibile eſt, illas in eodem membro talis diuiſionis reperiri, at ſpeculatiuum, & practicum ſunt duæ differentiæ eſſentiales diuidentes ſcientiam, aut ſaltèm proprietates conſequentes diuerſas differentias; ergo in eadem ſcientia, reperiri nequeunt: maior patet. De rationali, & irrationali, quæ ſunt duæ differentię eſſentiales oppoſitę immediatè diuidentes animal in communi; minor euidentèr ſequitur ex maiori.

Reſp. Gonet. l. cit. neg. min. Quia licet ſpeculatiuum, & practicum ſint differentiæ diuiſiuæ ſcientiarum naturalium, non tamen ſcientiæ, vt ſic, proùt eſt genus ſupræmum ad Theologiam, & ſcientias naturales: Vnde licet in nulla ſcientia naturali reperiri poſſint ſimul practicum, & ſpeculatiuum, in Theologia, quæ eſt ſcientia ſuperioris ordinis bene compati poſſunt; quæ quidem reſponſio eſt Caietani, & cæterorum Thomiſtarum. Verum hæc reſponſio videtur potius euaſio, quam argumenti ſolutio. Siquidem hoc pacto facilè ſoluentur omnia argumenta deſumpta ex Phyloſophia ad res ſupernaturales: facilè namque reſpondere poterit quilibet Aduerſarius, huiuſmodi rationes in rebus Phyloſophicis locum habere, non autem in Theologicis, quæ altioris ſunt ordinis. Sed

Con-

Contra Practicum, & Speculatiuum ſunt oppoſita contradictoria, quia extendi, & non extendi ad regulandam praxim ſunt contradictoria, ergo vni, & eidem obiecto competere nequeunt, ac proindè ſcientia ſiue ſit naturalis, ſiue altioris ordinis non poteſt eſſe ſimul ſpeculatiua, & practica eminenter.

Neque exemplum, quod adducit Caiet. de ſenſu communi percipiente viſum, auditum &c. valet, quia aliud eſt loqui de facultate, ſeù potentia reſpiciente actus diſparatos tantum, aliud verò de habitu reſpiciente actus contradictoriè oppoſitos.

Prob. quoad 2. partem. Principia Theologię noſtrę ſunt practica, ergo & concluſiones ex ijs deductæ ſunt practicæ. Prob. ant. Principia Theologiæ ſumuntur a Deo, qui eſt vltimus finis, ſed principia ſumpta ab vltimo fine ſunt practica, ordinantur enim ad opus, & ad applicanda media, quibus finis vltimus acquiritur, ergo &c. Vnde Io:20. dicitur: hęc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Confirmatur ex D. Aug. lib. 1. de doct. Chriſt. circa finem. Habitus Theologię ordinatur ad dirrigendum quatuor actus, nempè credere, ſperare, diligere, & virtuosè viuere, ergo non ordinatur ad ſimplicem ſpeculationem, ſed ad praxim.

Prob. 2. Ille habitus eſt practicus, qui non ſolum habet pro fine actum, quem elicit, ſed actum, quem dirrigit; ſed habitus Theologicus non habet pro fine actum, quem elicit, ſed quem dirrigit, nempè actum fidei, ergo eſt practicus.

Denique. Illa ſcientia dici debet practica, cuius nulla eſt concluſio, quæ vel formalitèr, vel virtualitèr non ordinetur ad praxim, ſed nulla eſt concluſio Theologica, quæ ſic ad praxim non ordinatur, vt patet ex ijs, quæ ſupra notauimus, ergo &c.

Arg. contra 2. partem. Scientia ſpeculatiua eſt nobilior practica, ſed Theologia eſt omnibus Scientijs nobilior, ergo Theologia non eſt practica, ſed ſpeculatiua; maior eſt Ariſt. 1. Metaph.

Reſp. diſting. mai. Eſt nobilior ſcientia ſpeculatiua, ſcien-

ſcientia practica factiua conc. mai., practica actiua, ſeù morali, nego mai. Quod autem Ariſt. in hoc ſenſu ſit locutus, audiamus eum lib. 1. Eth. c. 2. Non vt ſciamus, quid ſit virtus quærimus, ſed vt boni fiamus, quia nullum eſſet vtique proficuum eius; & ibidem repræhendit eos, qui ſcientiæ moralis ſtatum in ſola virtutis contemplatione conſtituunt hiſce verbis. Quod multi quidem non operantur, ſed ad rationem fugientes exiſtimant phyloſophari, & ſic fore ſtudioſi; ſimile aliquid faciunt morbo laborantibus, qui Medicos quidem audiunt ſtudioſè, faciunt autem nihil horum, quæ præcepta ſunt. Quemadmodùm ergo illi non habebunt corpus curatum, neq; iſti animam.

Reſp. 2. Sententiam Ariſt. valere de ſcientijs naturalibus; non autem de ſcientijs ſupernaturalibus. Quare idem Ariſt. vt notat Scot. q. 5. prologi §. ad 4. Dico, docet polit. 7. quod nobilitas eſt in inferiori attingere ſuum ſuperius; ſicut in potentia ſenſitiua hominis ordinari ad intellectiuam, & in intellectu ordinari ad voluntatem, & maximè circa vltimum finem.

Arg. 2. Si Theologia noſtra diceretur ſimpliciter practica, hoc maximè eſſet, quia nulla concluſio ſit, quæ non ordinetur virtualiter, & remotè ad praxim; ſed hoc videtur manifeſtum abſurdum, quia pari ratione ſequeretur, quod omnis ſcientia eſſet practica cum nulla ſit ſcientia, quæ non poſſit remotè, & virtualiter ordinari ad amandum Deum, ergo &c.

Reſp. conc. ſequelam mai. & neg. min. Ad rationem, quę ſubditur reſpondetur diſting. per ſe neg. per accidens conced. etenim ſcientiæ dicuntur ſpeculatiuæ, & practicæ per ſe, & ſimpliciter a modo quo tendunt in ſuum obiectum totale, & adæquatum, vt ſupra notauimus: per accidens autem, & ex operante quælibet ſcientia ordinari poteſt ad bonum, vel ad malum in genere moris, & ſi non ex obiecto.

Quæres 1. An Theologia Dei ſit practica.

Reſp. Doctorem circa hoc q. 5. prol. eſſe problematicum, magis tamen inclinare ad partem negatiuam, quàm ad affirmatiuam. Quarè controuerſia in hoc conſiſtit: nam ſi notitia dicatur practica ſolùm ob hoc fundamentum, quia de ſe eſt dirrectiua praxis, ſeù voluntatis in ſuis actibus,

etiamſi talis voluntas non ſit dirrigibilis in agendo, Theologia Dei dici poteſt practica: ſi autem teneatur præfatum fundamentum non ſufficere ad conſtituendam ſcientiam practicam, ſed neceſſariò exigi potentiam volitiuam eſſe dirrigibilem a dictamine ipſius intellectus, dicendum eſt Theologiam Dei eſſe ſpeculatiuam: quia voluntas D. reſpectu ſui primi obiecti, quod eſt ſua infinita eſſentia, ex ſe ſola rectificatur; cum ſit ſibi ipſi regula inobliquabilis, non indigens dirrectione, ſed ſola obiecti prę oſtenſione. Inſupèr notitia practica eſt regulatiua potentię contingenter operantis: Voluntas autem D. non ſe habet contingenter reſpectu ſui primi obiecti, ſed neceſſariò: ergo non eſt dirrectiua ab aliqua notitia quantùm ad veritates neceſſarias: immò nec etiam quoad contingentes, quia ad illas voluntas D. ſe ſola, & ab ea ſolùm pendent, non ab actu intellectus præcedente voluntatis actum, quia ſic eſſent neceſſariæ, & non contingentes: ergo theologia Dei etiam quoad veritates contingentes eſt ſpeculatiua.

Quæres 2. An theologia ſit ſapientia.

Pro reſolutione huius quæſiti aduertendum, quod hìc non loquimur de ſapientia phyloſophica, quæ verſatur circa ens vt ſic, & eius nobiliſſimas ſpecies, quam Apoſt. 1. ad Corint. vocat humanam. ***Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis***. Neque de ſapientia infuſa a Deo, quæ à D. Bonau. lib. de 7. donis Spiritus Sancti definitur. ***Eſt habitus ſupernaturalis a Spiritu Sancto infuſus ad Deum cognoſcendum, & ſaporosè diligendum***; ſed loquimur de ſapientia acquiſita, ſupernaturali tamen, quæ ex reuelatis principijs elicit concluſiones. Deinde obſeruandum, quod Ariſt. 3. Eth. tradit, ſapientiam eſſe ſcientiam quandam, ſupra tamen communem rationem ſcientiæ aliquid addit ad dignitatem pertinens, hoc eſt, quod ſit iudicatiua, & ordinatiua de omnibus; nàm lib. 1. metaph. docet, ad ſapientem pertinère de omnibus judicare, & ordinare; iudicium autem de inferioribus fit per ſuperiorem cauſam, & hoc contingit dupliciter: vel per ſuperiorem cauſam, quæ eſt altiſſima ſimpliciter, vel per ſuperiorem cauſam, quæ eſt altiſſima in aliquo genere, & ſic duplex eſt ſapientia, nempe ſimpliciter, & in aliquo genere: vnde Artifex, qui diſponit

formam dicitur ſapiens, & Architector reſpectu Artificum, qui materiam pręparant; iuxta illud Pauli ad Corint. c.3. Vt ſapiens Architectus fundamentum poſui: his prænotatis.

Reſp. Theologia eſt ſapientia ſimplicitèr. Ratio; quia conſiderat cauſam altiſſimam ſimplicitèr, non ſolùm quantùm ad id, quod eſt naturali ratione cognoſcibile, qualitèr nouerunt Phyloſophi; ſed etiam quantùm ad id, quod eſt ſoli Deo notum, & alijs per reuelationem communicatum; & per huiuſmodi cauſam iudicat de omnibus ſcientijs, non quidem probando, aut notificando eorum principia, aut terminos, ſed condemnando, quicquid inuenit in alijs ſcientijs ſibi repugnans. Ita D.Bonau.q.3. prol.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Theologia ſit certior ſcientijs naturalibus.

NOt. 1. Quod certitudo, prout ſpectat ad præſens eſt triplex. Alia obiectiua, quæ eſt firmitas cognitionis orta ex obiecto formali ipſius, quatenùs quoad eſſentiam, & exiſtentiam eſt inuariabile, & hæc ſoli Deo competit, & dicitur metaph. Alia eſt certitudo ſubiectiua, quæ eſt firmitas cognitionis orta ex diſpoſitione ſubiecti, quatenus inclinatur, vel ex ſe, vel ex aliquo ſuperaddito habitu ad credendum alicui veritati; ſic aliqui inclinantur ex natura intellectus ad adhærendum alicui obiecto, quod putant eſſe verum, eſtò ſit falſum, vt patet in hæreticis, quorum tenacitas potiùs dicenda eſt pertinacia, quàm certitudo. Alij verò, vt fideles adiuti habitu ſupernaturali fidei firmitèr adhærent propoſitionibus reuelatis, & concluſionibus, quæ ex illis inferuntur. Denique alia eſt certitudo motiui, quæ eſt connexio infallibilis medij cogniti cum re, quæ cognoſcitur. Hęc autem connexio apparet, vel per experientiam e. g. quod omnis ignis ſit calidus. Vel ex euidentia luminis naturalis, & talis eſt certitudo circa prima principia: Vel per legitimam illationem ex principijs euidentibus; & talis eſt certitudo concluſionis rectè illatę ex præmiſſis euidentibus, vel denique per reuelationem alicuius veritatis, quę innititur veraci-

tati Dei reuelantis, & talis eſt certitudo Fidei Diuinæ.

Not.2. Quod propoſitio Theologica multiplicitèr de ſe haberi poteſt. Primò, quatenùs per diſcurſum naturalem eſt illata ex præmiſſis, & tunc non eſt de fide, vt bene aduertit Smiſing. q.1. proemiali; ac proindè, qui eam negaret, non eſset hæreticus, quia motiuum aſsentiendi tali concluſioni non eſt reuelatio, ſed connexio concluſionis cum antecedente, quæ lumine naturali euadit nota. 2. Poteſt concipi, vt eſt immediatè reuelata; & tunc non eſt concluſio theologica, quia non conſideratur, vt deducta ex præmiſſis, ſed vt eſt reuelata; ac proindè qui eam negaret, eſset hæreticus. 3. Sumi poteſt quatenùs continetur in propoſitione reuelata, & appræhenditur per modum vnius, & eiuſdem propoſitionis cum illa; & tunc eſt de fide. Hinc Monothelitæ hæretici reputati ſunt, negando duas voluntates in Chriſto, quia determinatum fuerat ab Eccleſia in Chriſto eſse duplicem naturam, humanam, & diuinam, & conſequentèr duas voluntates. Quod ſi per modum illationis probetur vnam propoſitionem inferri ex alia, vt v.g. Chriſtum eſse riſibilem, quia eſt rationalis; tunc illa conſequentia, non eſt de fide, quia licet riſibilitas identificetur realitèr cum homine, tamen diſtinguitur formalitèr. Verùm quando agitur de prædicatis quidditatiuis metaphyſicis valdè dubito: non enim mihi probatur, ſaluo ſemper meliori iudicio, eſse de fide, hanc propoſitionem. Chriſtus eſt animal rationale, proùt de Chriſto verificatur eſse animal rationale in eſse metaphyſico; poſset ſiquidem quis negare huiuſmodi prædicata metaphyſica; & ſolum admittere, hominem eſse compoſitum ex Anima rationali, & corpore. Quartò denique Concluſio Theologica conſiderari poteſt, vel vt ſequitur ex duabus præmiſſis de fide, vel vt ſequitur ex vna de fide, & altera neceſsaria; vel vt infertur ex vna de fide, & altera probabili; & quidem omnes conſentiunt, hanc tertiam concluſionem eſse tantum probabilem, quia concluſio debiliorem partem ſequitur. Quoad alias verò Aureolus q.2. prologi exiſtimat ex duabus propoſitionibus, quarum vna ſit credita, & altera neceſsaria generari fidem ſupernaturalem. Verùm Scot. in 3. d. 24. docet, ex neutra generari fidem, aut ſcientiam, ſed habitum quendam in-

 ter

ter ſcientiam, & fidem, medium, minùs certum fide, certiorem quacunque ſcientia, quod idem eſt ac dicere, theologiam noſtram eſſe qualibet ſcientia naturali certiorem; talis enìm concluſio dicitur theologica.

I. Conc. Theologia noſtra, quatenùs eſt concluſio deducta, vel ex duabus præmiſſis reuelatis, & creditis, vel ex vna neceſſaria, & alia reuelata eſt certior certitudine obiecti, & motiui quacunquè ſcientia naturali. Hęc videtur germana ſententia Scoti loc. cit. eamque tenent Herincx, Smiſing. Fraſſen, & alij. Prob. Illa ſcientia eſt certior obiectiuè, & motiuè, quæ fertur in obiectum immutabile, & per medium firmiùs, & certiùs; ſed Theologia verſatur circa Deum, qui eſt obiectum ſimplicitèr immutabile, & tendit in eum per media certiſſima, qualia ſunt articuli fidei; ergo &c. mai. eſt clara, minor patet, quia principia Theologiæ nituntur veritati diuinæ, & infallibili, principia verò ſcientiarum naturalium poſſunt etiam eſſe falſa; non enìm eſt impoſſibile, intellectum creatum poſſe circa principia ſcientiæ naturalis errare.

II. Conc. Theologia non eſt certior certitudine ſubiecti ſcientijs naturalibus. Eſt contra Herincx, qui q. 6. prologi exiſtimat, theologiam cæteris paribus eſſe certiorem ex parte ſubiecti ſcientijs naturalibus. Prob. Illa certitudo maior eſt ratione ſubiecti, qua intellectus omnem motum dubitationis excludit, ſed experientia conſtat intellectum excludere omnem dubitationem, dum aſſentitur concluſioni euidentèr deductæ ex principio euidentèr noto, quale eſt hoc. Omne totum eſt maius ſua parte: ſecùs autem dum aſſentitur concluſioni illatæ ex principijs fidei; vnde ait Scot. 3. d. 23. fides non excludit omnem dubitationem, ſed dubitationem trahentem in oppoſitum credibilis; quod indicat etiam Chriſtus Matt. 8. Quid timidi eſtis modicę fidei.

Arg. contra 1. conc. Maior certitudo aſſenſus pendet ex maiori attingentia obiecti, obiectum enim cauſat certitudinem aſſenſus; ſed in ſcientijs naturalibus magis attingitur obiectum; ergo maior eſt certitudo in ſcientia naturali, quàm in theologia: minor patet. Nam in ſcientia naturali habetur certitudo intrinſeca de obiecto ob neceſſariam connexionem prædicati cum ſubiecto; at in theologia

logia extrinſecè tantùm attingitur obiectum, nempe per reuelationem. Reſp. Herincx, maiorem eſſe falſam, quando cauſalitas obiecti ſuppletur per principium externum, quod eſt certius interno, vt habetur in theologia, vbi attingentia, ſeù cauſalitas obiecti ſuppletur per teſtimonium Dei reuelantis, quod omnes veritates naturales ſuperat. Vel reſp. diſting. mai. Quoad attingentiam obiectiuam conc. quoad attingentiam formalem, ſeù motiuam nego. Medium namque, quo attingimus veritates ſupernaturales eſt infallibile ſimpliciter, adeoùt non poſſit ei ſubeſſe falſum, medio autem naturali poteſt ſubeſſe falſum; vel dubitatio; an reuerà ſic ſe habeat.

Dices. Quamuìs concluſio theologica deducta ex vtraque præmiſſa de fide, ſit fortè certior ſcientia naturali, erit tamen incertior ſi inferatur ex vna præmiſſa naturali, cum ab illa ſumat ſuam veritatem; ergo ſi eſt vera maxima Ariſt. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, concluſio illata ex vna de fide, & ex altera naturali, erit minùs certa ipſa præmiſſa naturali, quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem.

Reſp. Nonnullos Theologos, nempe Vegam, Zumel, Præpoſitum, Herincx q. 6. prologi, & alios velle non omnes concluſiones theologicas eſſe certiores ſcientia naturali, ſed illas ſolas, quæ ex vtraque præmiſſa de fide inferuntur. Verùm opinio Smiſing. & Boyuin q. 11. prologi apparet veriſimilior. Dicunt igitur maximam Ariſt. de concluſione ſequente debiliorem partem, tunc ſolum verificari, quando aliquid eſt principium totale, & adæquatum alterius; falſum autem eſſe in noſtro propoſito, vbi concluſio theologica non pendet ſolùm a præmiſſa naturali, ſed etiam a reuelata. Itaque cum concluſio theologica habeat duo principia ſuæ certitudinis; habet ſiquidem aliquem certitudinis gradum propoſitioni naturali correſpondentem, & ex hac parte non eſt certior illa: ſed quia inſuper habet alium gradum à propoſitione reuelata quę eſt maior naturali certitudine; ideò ex hac parte concluſio theologica eſt certior quacumque naturali ſcientia, & ſic patet reſponſio ad inſtantiam.

QVÆSTIO VII.

Vtrum myſteria, ſeù articuli fidei ſint euidentèr credibiles.

ETſi hæc quæſtio reuerà pertineat ad fidei diuinæ diſputationem, tamen hìc eam ponere placuit: tùm pro maiori claritate eorum, quæ in præcedentibus quæſtionibus dicta ſunt; tum etiam pro clariori notitia dicendorum. Igitur not.1. quod fides alia eſt infuſa, alia acquiſita: prior eſt habitus ſupernaturalis a Deo animæ infuſus in baptiſmate, & vocatur fides theologica: poſterior eſt ea, quæ mediante Magiſtro docente addiſcitur a fideli, & hęc dici ſolet actualis, illa habitualis. Inſuper fides actualis diuiditur in explicitam, qua nimirum fidelis explicitè credit Deum eſſe vnum, & trinum, Verbum D. eſſe incarnatum, aliosquè fidei articulos: & in implicitam, qua fidelis credit, quicquid credit Dei Eccleſia. Vnde ſic deſcribi poteſt: fides acquiſita eſt habitus, ſeù actus ſupernaturalis intellectus, quo fidelis firmitèr, ſed obſcurè aſſentitur ijs, quę Deus reuelauit, ſiue immediatè, ſiue mediatè.

Not.2. Quod articulus non ſumitur hìc pro articulo grammaticali, neque pro articulo rethorico, qui conſiſtit in verbis punctuatìm prolatis, ſeù diſpoſitis, vt grando, nix, glacies; neque pro articulo corporis, vt digitus, ſeù iunctura digiti, ſed accipitur pro aliqua veritate catholica: de quo diuerſas definitiones tradunt Antiquiores, non parùm obſcuras, quibus ommiſſis, ſic clarè deſcribitur ex doctrina Recentiorum. Articulus fidei eſt propoſitio catholica, rationem principij in fide habens, ac ſpecialem difficultatem, ab omnibus explicitè credenda. Dicitur propoſitio catholica, quia ſpectat ad fidem vniuerſalem, communem omnibus fidelibus: rationem principij &c. quia pertinet ad præcipua fidei capita, è quibus educuntur concluſiones, & puncta fidei: dicitur ſpecialem difficultatem, quia hoc dogma fidei v.g. Chriſtus eſt paſſus, ſpecialem difficultatem habet diſtinctam ab hoc dogmate, reſurrexit a mortuis; adeòq; eſt articulus diſtinctus ab articulo reſurrectionis. Verùm quod ſit paſſus, mortuus, & ſepultus non habet niſi vnam, & eandem difficultatem, ac

ineui-

ineuidentiam; itaût primo punĉto credito, non ſit intellectui difficile alijs aſſentiri; ac proinde iſta tria punĉta ad vnum articulum pertinent. Denique dicitur explicitè, hoc eſt in ſe, & expreſſis terminis ſuis credenda. Cæterùm dicitur articulus fidei ad ſimilitudinem articuli corporalis; ſicut enìm corpus diuiditur in membra, & artus, hi autem ſubdiuiduntur in minores artus, ſeù articulos: ità fides diuiditur in myſteria, & dogmata, & hęc pariter ſubdiuiduntur in articulos.

Not.3. Quòd euidentia nil aliud eſt, quàm clara,& perſpicua obiecti veritas: quæ quidèm euidentia diſtinguitur in duplicem, nempe intrinſecam, & extrinſecam. Intrinſeca eſt ea, quæ oritur ex ipſa rei manifeſtatione, & præſentia; adeòut intuitiuè conſpici poſſit in ſe; aut ſaltem ex alio euidenter, & intuitiuè cognito, tàm apertè,& neceſſariò deduci, vt intellectus circa tale obiectum habeat certum, & firmum aſſenſum. Extrinſeca eſt ea, quæ oritur ex principijs extrinſecis, cum quibus habet non quidèm naturalem, ac neceſſariam connexionem, ſed tantùm moralem; quatenùs iſta ſint ſigna, ſeù notæ quædam, ex quibus ità euidenter conſtet rem ſic ſe habere, ſicut ab Eccleſia proponitur, vt meritò vir prudens hæſitare nequeat, ſed moraliter ſit certus de veritate fidei; quamuìs, tùm ex parte obiecti, tùm ex parte ſubiecti interueniat obſcuritas ob ineuidentiam metaphyſicam, ſeù intrinſecam, quæ etiam dici ſolet ex obiecto.

Conc. Myſteria fidei, ſeù articuli ſunt euidenter credibilia, non quidèm euidentia intrinſeca, & metaphyſica, ſed extrinſeca, & morali. Eſt communis ſententia SS. Patrum, & Theologorum. Prob.1. auctoritate Sac. Scripturæ ſignantèr Pſal.92. vbi dicitur. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*: quæ verba ita à noſtro ſapientiſſimo Lyrano vniuerſæ Bibliæ interprete expenduntur. Credibilia facta ſunt nimis, ideſt,magis quam principia ſcientiarum.

Prob. 2. ex Scoto, qui decem vijs verè cęleſtibus hanc veritatem inueſtigat, atque firmat. Verùm priuſquàm Scoticas vias afferam, ſuppono cum eodem Doctore, nec non alijs Theologis dari neceſſariò debere religionem aliquam, verè Diuinam, in qua homines rectè Deum colentes tendant ad vltimum finem beatificum; & religionem

hanc non poſſe eſſe niſi vnicam: cum manifeſtam contradictionem implicet religiones eſſe plures, & veras eſſe, atque bonas: ſicut contradictionem dicit eſſe plures Deos verè Deos. Hoc ſuppoſito breuitèr adduco præfatas vias, ſeù rationes.

Prima via, ſeù ratio eſt prænunciatio prophetica, quæ, vt teſtatur D. Aug. lib.12. de Ciuit. cap.10. vera ſe naraſſe præterita ex his, quæ futura pręnunciauit, cum tanta veritate implentur, oſtendit. 2. Eſt Scripturarum concordia: diuerſi enìm Scriptores Sacri Canonis variè diſpoſiti diuerſis locis, & temporibus exiſtentes, de non euidentibus ex terminis, nec euidentiam habentibus ex principijs, omninò concordarunt; quod non videtur poſſibile, niſi à cauſa ſuperiori moueretur intellectus eorum ad aſſenſum. 3. eſt auctoritas Scribentium; vnde dicit Richard. lib.1. de Trin. c. 2. *A ſumma Sanctitatis Viris nobis ſunt hæc tradita*. 4. eſt diligentia Recipientium. Etenim Iudęi magnam curam habuerunt de libris habendis in canone Scripturæ, vt refert D. Aug. & maxima fuit diligentia apud Chriſtianos de libris recipiendis tanquam canonicis. 5. eſt rationabilitas contentorum. Quid enìm rationabilius, quàm Deum tanquàm vltimum finem ſuper omnia diligere, & proximum, ſicut ſe ipſum? in quibus duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ, vt habetur Matt. 22. vj. eſt irrationabilitas ſingulorum errorum aliorum extrà veram, & catholicam Religionem. Quid enim ſtultiùs, quàm fatuitas Paganorum, ſuarum manuum opera colentium? Quid turpiùs, quàm Secta Machometis, ſuis diſcipulis permittens fęlicitatem brutalem, nempè gulam, & coitum? & quid inaniùs eſt, quàm error Iudęorum damnantium nouum Teſtamentum, quod vt declarat Apoſt. ad hebr. c. 1. continetur in veteri? vij. eſt Eccleſiæ ſtabilitas, quæ nec Tyrannorum perſecutionibus, nec hæreticorum peruerſis dogmatibus euelli potuit. viij. eſt myraculorum claritas; vnde dicit Rich. 1. de Trin. c. 2. *Domine ſi eſt error à te decepti ſumus, cum tantis ſignis ſint hæc confirmata, quæ non niſi a te fieri poſſunt*. ix. eſt auctoritas eorum, qui foris ſunt. Nàm Ioſeph hębreus lib. 18. antiquitatum ſic teſtatur. *Fuit yſdem temporibus Ieſus ſapientiſſimus Vir*; & ſequitur. *Chriſtus hic erat, vbi etiam fatetur eius doctrinam, & re-*

ſurrectionem. Refert etiam D. Aug. Sibillas prænunciaſſe multa de Chriſto; ſignanter Sibilla Erithrea, quæ in ſuis verſibus habet hanc ſententiam. *Ie ſus Chriſtus Dei filius Saluator*. x. eſt diuina bonitas, quæ nulli quærenti ſalutem poteſt deeſſe. Multi enìm diligentiſſimè ſalutem quærentes conuerſi ſunt ad fidem Chriſti, pro qua etiam tormenta perpeſſi ſunt, quod non videtur probabile, niſi Deus catholicam fidem Sacræ Scripturæ innitentem infallibiliter approbaret, & ad ſalutem ordinaret.

Arg. contra conc. Si myſteria noſtrę fidei eſſent euidenter credibilia, nemo ſanæ mentis, cui ſufficienter proponerentur, poſſet illa reſpuere, neque iudicare magis credibile, quod illis opponitur, ſed hoc eſt falſum, teſte quotidiana experientia in hæreticis, ergo &c. Min. patet, mai. prob. Nemo ſanæ mentis ſentire poteſt contrarium eius, quod agnoſcit euidenter verum, & iudicat eſſe fide dignum, ergo &c.

Reſp. neg. mai. & ant. probationis. Ratio, quia, licet obiecta fidei ſint euidenter credibilia, nihilominùs negari, & oppugnari poſſunt ab hominibus in ſapientia mundana doctis, & prudentibus; Vel quia eis non debitè proponuntur, vel quia ipſi illa non ponderant diligenti conſideratione, qua poſſent, vel propoſita myſteria fidei examinare refugiunt; vel rationes, & motiua, quibus fiunt euidenter credibilia, infirmare, & contrarijs rationibus obſcurare ſtudent; dum prauo affectu ducuntur, ad propriam Sectam pertinaciter tuendam, & ad temerè impugnandam fidem catholicam.

Arg. 2. Si myſteria noſtræ fidei eſſent euidenter credibilia, ergo quilibet Phyloſophus poſſet naturaliter agnoſcere illorum poſſibilitatem, quando ſufficienter illis proponerentur, ſed hoc non verificatur; vt patet ex dictis, ergo &c. Prob. ſequela mai. Quod iudicatur impoſſibile eſt incredibile, ergo quod iudicatur eſſe euidenter credibile, iudicatur pariter euidenter non eſſe impoſſibile, ſed poſſibile, & non impoſſibile ſunt termini æquiualentes, ergo quod iudicatur non eſſe impoſſibile, iudicatur euidenter eſſe poſſibile.

Reſp. neg. ſequelam mai. ad cuius prob. dicitur, hanc conſequentiam non valere; nempe. Aliquid iudicatur

euiden-

euidenter eſſe credibile, ergo iudicatur euidenter non eſſe impoſſibile; ſed inferri debet; ergo iudicatur euidenter, illud non apparere impoſſibile. Siquidem, vt aliquid ſit credibile non eſt neceſſe, quod iudicetur non eſſe reuerà impoſſibile, ſed ſufficit eius impoſsibilitatem non apparere, hactenùs de hac quæſtione, de qua iterùm redibit ſermo in diſput. de fide Diuina par.3.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum doctrina ſupernaturalis Viatori neceſſaria ſit ſufficientèr tradita in Sacra Scriptura.

NOt. 1. quòd vt refert Scot. q. 2. prologi, plurimæ, & ferè innumeræ ſunt hęreſes damnantes Sacram Scripturam, vel partem eius, vt patet in lib. Damaſc. & Aug. de hæreſibus. Quidam enim hæretici nihil de Scriptura recipiunt, quales ſunt Pagani, Gentiles, & infideles. Quidam non recipiunt Teſtamentum vetus, & Manichęi, qui, vt refert D. Aug. in lib. de vtilitate credendi, dicunt, vetus Teſtamentum eſſe à malo principio. Quidam recipiunt ſolum vetus Teſtamentum, vt Iudæi; Quidem recipiunt aliquid vtriuſque Teſtamenti, vt Seraceni, quibus Machomettus immundus alias innumeras immunditias miſcuit. Quidam denique negant aliquod dictum in nouo Teſtamento, puta hæretici diuerſi, & quaſi infiniti, qui diuerſas ſententias Scripturarum malè intellectas habentes pro fundamento, alias Scripturas negligunt, v. g. ad Rom. 1. 4. *Qui infirmus eſt olus manducet*. Item Iacobi c. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Ex hoc errarunt circa Sacramentum pęnitentię dicentes, illud poſſe adminiſtrari a quocunq; non Sacerdote, ac proindè etiam à fęminis.

Not. 2. Quòd, ſicut in ſcientijs naturalibus Phyloſophi ſtatuerunt quædam principia communia, & loca, ex quibus deſumuntur maximæ, & argumenta ad concluſiones inferendas, & probandas; ità in Sacra Theologia Theologi quædam principia, & loca tradunt, vnde rationes in veritatibus Theologicis eruendis, & confirmandis depromi poſſint; hęc autem principia, ſeù loca Theologica ſunt in duplici differentia; quædam accipiuntur ſtrictim, & rigoro-

goroſè, & ſic tria ſunt, nempe Sac. Scriptura, tàm veteris, quàm noui Teſtamenti, Traditiones Chriſti, & Apoſtolorum, ad quas reuocatur communis SS. Patrum conſenſus in docendo, & fideles in credendo, his enim duobus traditio innoteſcit; & auctoritas Eccleſiæ, quę Conciliorum, & Sum. Pontificum decreta complectitur. Quędam autem accipiuntur latè, & ſunt ſequentia, nimirum auctoritas, & conſenſus Doctorum Scholaſticorum, Iuriſpontificij Peritorum, Iuris Cęſarij Conſultorum, & Philoſophorum naturalium, humanæ, & ciuiles hiſtoriæ; & rationes naturales, de quibus omnibus fusè agunt plures Theologi Recentiores; Vndę pro noſtro inſtituto hęc pro nunc ſufficiat adnotaſſe, in tertia enim parte de his ex profeſſo agetur: Habitus autem principiorum Theologiæ eſt ipſa fides infuſa; hæc enim inclinat ad aſſentiendum ipſis principijs Theologiæ, ſeù propoſitionibus diuinitùs reuelatis.

I. Conc. Doctrina theologica, & ſupernaturalis ſufficienter nobis Viatoribus traditur in Sacra Scriptura. Eſt communis Sententia Theologorum. Prob. breuitèr. Sac. Scriptura oſtendit, quis ſit vltimus finis in particulari hominis; hoc eſt, viſio, & fruitio Dei in Patria, & dilectio Dei ſuper omnia in via: Deinde monſtrat circumſtantias appetibilitatis, nempe, quod poſſidebitur ab homine in Anima, & in corpore vita immortali: & inſuper oſtendit, quæ ſint neceſſaria, & ſufficientia media perueniendi ad huiuſmodi finem beatificum; qualia ſunt diuina præcepta, tàm moralia, quàm theologalia, & ſacramentalia, quorum explicatio, & in credendis, & in ſperandis, & in operandis in multis Scripturæ locis traditur, ergo Doctrina ſupernaturalis, & theologica nobis ſufficienter eſt tradita.

II. Conc. Theologus vtitur omnibus locis, ſeù principijs ſuperiùs recenſitis ad concluſiones theologicas ſtabiliendas; & quidem primis tribus ad firmandas concluſiones certas, & infallibiles, cæteris autem ad roborandas concluſiones probabiles; hæc concluſio de ſe patet. Quamuis enim in rigore loquendo ad Theologiam, quatenùs dicitur ſcientia certa, ſpectent ſolæ concluſiones deductæ per certam conſequentiam ex certis principijs; tamen cum iſtis concluſionibus certis tradi ſolent plurimæ probabi-

babiles, quæ vulgò partes Theologiæ appellantur; quemadmodum proceditur in ſcientijs naturalibus, in quibus præter concluſiones euidentes, & demonſtratiuas admittuntur plures concluſiones dubiæ, & probabiles, ergo &c.

Arg. 1. cont. 1. conc. Doctrina neceſſaria ſaluti Viatorum nunquam defuit generi humano, ſed S. Script. defuit in lege naturæ; ergo &c. min. patet, quia tunc non erat S. Scriptura. Reſp. conc. mai. & diſting. min. defuit S. Script. hoc eſt, non erat litteris mandata, conc. non erat memoriter mandata, neg. min. Siquidem lex naturæ paucioribus erat contenta, quæ memoriter ad filios per Patres deuenerunt; erant enim homines tunc temporis in naturalibus magis præditi, ac proinde ſufficiebat eis modica doctrina diuinitùs inſpirata.

Arg. 2. Sacra Scriptura in Lege Moyſaica non erat tota, quando populo Iſraeli data fuit lex in Tabulis lapideis, ergo &c. Reſp. diſting. ant. Non erat tota explicitè conc. implicitè neg. ant. eſt enim verum, quod in lege Moyſaica non erat Sacra Scriptura explicita, eo modo, quo data eſt hominibus in ſtatu gratiæ, & perfectiori: & talis ordinatus progreſſus Sacræ Scripturæ oſtendit ſapientiam, & prouidentiam ſui æterni Auctoris.

Arg. 3. Multa ſunt, de quibus Scriptura non docet certitudinaliter, an ſint peccata mortalia, vel non, ſed hoc videtur eſſe neceſſarium ſcire, ergo Sac. Scriptura non ſufficienter nos inſtruit. Reſp. diſting. mai. Non docet ea expræſsè, & explicitè, conc. mai. implicitè, & virtualitèr nego. Nam SS. Patres, & Doctores Eccleſiæ, qui in ea fulgent doctrina, & Sanctitate, tradunt expræſsè, quæ ſint peccata mortalia, & quæ venialia; & ſi quæ actiones humanæ ſint dubiæ, an ſint mortalia peccata, vel nec ne, per rationes probabiles poſſunt determinari a Theologis, quod ſint peccaminoſæ mortaliter, vel non; quæ quidem probabilitas ſufficiens eſt in via Domini, ne fidelis, aut mortaliter peccet, aut ad periculum peccandi ſe exponat; cum ſtante probabilitate poſſit vnuſquiſque, vna relicta, alteram partem prudenter eligere, & abſque peccati periculo operari, vt late, Deo dante, oſtendetur in tract. de conſcientia. Reſp. 2. ex Origene homilia de Arca Noè; quod nulla ſcientia omnia ſcienda explicat, ſed ea, ex qui-

bus

bus poſſunt alia ſufficienter deduci. Vnde multæ ſunt veritates neceſſariæ, quæ non exprḝſsè ponuntur in Sacra Scriptura; eſtò ibi virtualitèr includantur, ac proinde deduci poſſunt. Et quamuis dicat Scot. quod homo à dubijs tanquàm à periculoſis debeat cauere, ne, ſe exponendo periculo, incidat in periculum, & in ipſo pereat; non tamen intendit Scotus, quod non poſſit quis dubium deponere, & ſe determinare ad alteram partem contradictionis, ſed non poſſe hominem ſtante dubio ſine periculo peccati operari, ideoque à dubio cauere debet.

Quæres. Quommodò ſint cenſurandæ, vel qualificandæ propoſitiones theologicæ.

Reſp. Quòd huiuſmodi doctrina à Doctoribus tradi ſolet in tract. de fide, quoniàm verò ſæpè ſæpiùs occurrit qualificare propoſitiones, aſſertiones, & concluſiones theologicas, indicando eſſe, vel temerarias, vel erroneas, vel hæreticas, idcircò, ne Magiſter habeat ſemper declararare, & repetere quid ſit propoſitio temeraria, quid erronea, & Studentibus in promptu ſit hæc doctrina valde neceſſaria, modum, & regulas qualificationis, ſeù cenſuræ hìc addere conſultò duxi. Itaque propoſitio hæretica eſt, quæ directè opponitur Verbo ſcripto, vel tradito, vel Verbo à Pontifice definito, ſeù explicato, vel Verbo ab Eccleſia cum Capite, & vt de fide communiter recepto. Propoſitio erronea, ſeù falſa eſt, quæ opponitur concluſioni theologicæ, vt ex principijs fidei euidenter deductḝ, dicitur deductæ, quia explicatḝ opponitur propoſitio hḝretica. Propoſitio proxima errori eſt, quḝ opponitur concluſioni theologicæ, non probabiliter, ſed quaſi euidenter ex principijs fidei illatæ, vt ſi quis negaret in Baptiſmo infundi fidem, ſpem, & charitatem. Propoſitio Sapiens hḝreſim eſt, quæ licet ex ſe catholicum ſenſum habere poſſit, tamen ex circumſtantijs proferentis, meritò ſuſpicari poteſt; vt ſi ab Ariano proferatur hæc propoſitio. Pater eſt maior filio. Quod ſi proferatur eadem à Catholico, non eſt locus dubitandi. Vel eſt, quæ prima ſignificatione verborum, ſeù prima facie ſenſum habet hḝreticum, quàmuis piè intellecta poſſit habere ſenſum catholicum. Vel eſt, quæ aſſerit dogma peruerſum, ex quo ſequitur hæreſis, vt ſi dicatur. Omnis homo Piſauri exiſtens, eſt

eſt in peccato mortali: hæc enim ſapit hæreſim, quia ex ipſa, cum aliquo vero; nempè, quod infans baptizatus eſt Piſauri, ſequitur, talem infantem eſſe in peccato mortali; quod videtur hæreticum: Inſuper illa propoſitio ſapit hæreſim manifeſtam, quæ prima facie prę ſefert ſaporem hæreſis. Propoſitio malè ſonans, ſeù piarum aurium offenſiua, quæ etiam ſcandaloſa dici ſolet, eſt illa, quæ nullam hæreſis ſuſpicionem ingerit, abſurdum tamen, & peregrinum à cõmuni modo loquendi Patrum, & Scholaſticor. ſenſum præſefert, vt ſi dicatur ſimpliciter. Patrem eſſe maiorem filio, Deum in Incarnat. creaturam factum; ſimiles namq; propoſitiones potiùs ſunt exponendę, quam abſolutè pronunciandę. Cæterùm piæ aures non ſunt imperiti Vulgi, ſed piorum ſapientum, quorum eſt iudicium de propoſitionibus theologicis ferre. Propoſitio temeraria eſt, quę nulla ratione ſufficienti munita, vel auctoritate opponitur communi Doctorum ſenſui, vel approbatę hiſtorię. Tum etiam ſi pro certo affirmetur quod nulla ratione, vel auctoritate ſufficienti probari poteſt. Vt ſi quis diceret, Mundus finietur intra quinquaginta annis. Vel paritèr eſt, quę temerè contra modeſtiam Eccleſię aliquid aſſeritur, vel pugnans cum decreto celebris Vniuerſitatis: vt dicere, Beata Virgo Dei genetrix non fuit cum corpore in Cœlum aſſumpta; quæ etiam dici ſolet propoſitio inſolens, & impudens. Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ in Eccleſia, vel Populo Dei viam ſternit ad ſeditiones; ſicut ſchiſmatica ad ſchiſma, ſeù diuiſionem à Capite; vt ſi dicatur, licitum eſt Superiori non obedire &c. Propoſitio periculoſa eſt, cui ſubeſſe poteſt periculi occaſio, aut in fidei Doctrina, aut in moribus, vt ſi dicatur poſſe hominem eſſe perfectum ſine ieiunijs, vel poſſe diù cum mulieribus licitè conuerſari. Propoſitio blaſphema eſt, quæ mediatè, vel immediatè Deo, vel Sanctis iniuriam irrogat, quę quidem propoſitio interdum eſt etiam hęretica, vt Deus eſt Auctor peccati. Vnde propoſitio blaſphema hęreticalis eſt, quę pugnat cum articulis fidei. Propoſitio impia eſt, quę fidei notabilitèr detrahit; vt ſi dicatur, non eſſe orandum pro Animabus Purgatorij, vel indulgentias Eccleſię non eis prodeſſe. Propoſitio non pia eſt, quę licet ſit probabilis, tamen non fauet fidei. Propoſitio

autem

autem fauens hęreticis eſt ſi dicatur, Hęreticos non eſſe puniendos. Propoſitio impertinens eſt, quę nec directè, nec in conſequentia euidenti, vel probabili, vel certa infert aliquid, quod repugnet veritati catholicę, vel augeat. Propoſitio iniurioſa eſt, quę detrahit alicui ſtatui fidelium, vt ſi quis contra Cardinales, Eccleſiaſticos, Religioſos &c. effutire ſoleat. Hęc ſufficiant pro ſtudentibus, qui plura optat conſulat inter alios noſtrum doctiſſimum Cordubam lib. 1. qq. q. 17. & Melchior. Canum lib. de locis theologicis.

QVÆSTIO X.

De ſenſu Sacræ Scripturæ.

IN ſuperiori quæſtione nona ſtatuimus ex doctrina Theologorum, Sac: Scripturam inter principia theologica rigoroſè accepta primum locum tenere, quæ cum ſit difficilis intellectu; tum ob eius nobilitatem, tum ob pluralitatem ſenſuum, quos continet, prolixiorem ſermonem poſtulat. Quò circa in gratiam ſtudentium, & maximè Prędicatorum hanc quęſtionem in octo articulos ſecabo, ne prolixitas faſtidium, atque obſcuritatem pariat. Sit ergo.

ARTICVLVS I.

De nomine, ac definitione Sacræ Scripturæ.

NOt. 1. Quod nomen Scripturę multipliciter vſurpari ſolet. Primò ea dicitur Scriptura Sacra, quæ de rebus Sacris ad Deum pertinentibus agit, cuiuſmodi ſunt SS. Patrum homilię, ſermones, expoſitiones, commentaria, poſtyllę, & id genus ſimilia, quę omnia ſcripta potiùs quàm Sac. Scriptura dicenda ſunt. 2. ſumitur pro ea, quæ Deo inſpirante, & ſi non ſingula verba influente exarata ſit, quoad ſubſtantiam tamen, & principale intentum a veritate infallibili dictata ſunt, & huiuſmodi ſunt decreta Conciliorum generalium. 3. ſumitur pro ea, quę eſt a Deo inſpirante, tum ſententias ſingulas, tum ſingula verba, immò & apices ſingulos, & talis Scriptura eſt illa, quæ

in Sacro Bibliorum volumine continetur, diuiſo in eos libros, quos Trid. ſeſs. 4. enumerat, de quibus in ſequenti notabili.

Not. 2. Quòd Sac. Scriptura diuiditur in Teſtamentum vetus, & in Teſtamentum nouum. Vetus dicitur illud, quod à Spiritu Sancto dictatum fuit ante Redemptoris aduentum, & continet quadraginta ſex libros diſtinguendo lamentationes Hieremiæ ab illius Prophetia, & Prophetiam Baruch à prophetia eiuſdem Hieremiæ. Nouum verò continet libros vigintiſeptem, videlicet quatuor Euangeliorum, vnum Actuum, quatuordecim Epiſtolas D. Pauli, vnam D. Iacobi, duas D. Petri, tres D. Ioannis; vnam D. Iudæ, & denique Apocalipſis librum.

Not. 3. Quod à noſtro ſapientiſſimo Aureolo libri veteris Teſtamenti in quatuor claſſes diuiduntur, vt videre eſt in ſuo Compendio Bibliorum. In prima claſſe reponuntur legales, nempe quinque libri Moyſis; & ſunt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, & Deuteronomium. In 2. collocantur hiſtoriales, quales ſunt libri Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Eſdræ duo cum tertio, & quarto, qui duo vltimi inter apocriphos recenſentur, Tobiæ, Iudit, Eſter, Iob, Pſalmorum, qui ſunt diuerſi generis, & Machabeorum duo. In 3. Sapientiales, quales ſunt libri Prouerbiorum, Eccleſiaſtes, Cantici Canticorum, Sapientię, & Eccleſiaſtici. In 4. prophetales, ad quos reducuntur quatuor libri maiorum Prophetarum, qui ſunt Iſaias, Hieremias, ſub quo includitur Baruch Secretarius Hieremiæ, Ezechiel, & Daniel, atque duodecim libri Prophetarum minorum, qui ſunt Oſeas, Ioel, Amos, Micheas, Abdias, Ionas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, & Malachias; Similiter in quatuor claſſes diuiduntur libri Teſtamenti noui; hac ratione, vt alij reſpondeant libris legalibus Moyſis; nempe quatuor Euangelia Mattei, Marci, Lucæ, & Ioannis. Alij reſpondeant libris hiſtorialibus; vt Acta Apoſtolorum. Alij ſapientialibus, vt Epiſtolæ Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ. Alij denique libris prophetalibus, vt Apocalypſis D. Ioannis Apoſtoli.

Conc. Sacra Scriptura ex communi ſententia benè deſcribitur ſi dicatur, eſt illa, quæ Deo ad ſcribendum de-

rebus

rebus diuinis impellente ſcripta eſt, non quidem humano,ſed diuino ſpiritu,in ſingulis ſententijs,& verbis mentem ſcriptoris, & manum dirrigente ad commune Eccleſiæ vtilitatem. Hæc non indiget probatione, ſed ſola explicatione. Itaque dicitur ſcripta eſt; vt Dei verbum ſcriptum,& exaratum,à non ſcripto,ſeù tradito,vel à traditionibus diſtinguatur, de quibus traditionibus idem Concil. Trident. ſeſs. 4. ſic ait. *Perſpiciensque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt*. Dicitur, de rebus diuinis, & a Deo, vt Sac. Scriptura a Scriptura humana ſecernatur. Dicitur, Diuino, non humano Spiritu, vt ipſam Scripturam Sacram à Concilijs Sacris diſcernatur, in Concilijs enim reperitur vterque Spiritus, ideſt diuinus, & humanus. Dicitur denique mentem, & manum dirrigente; nam cum Spiritus Sanctus Auctor ſit principalis Sacræ Scripturæ, mentem, & manum Sacris Scriptoribus dirrigit, ne vel in minimo errent.

Arg. contra conc. Omnis Scriptura adinuenta eſt, vt ea mediante loquamur abſentibus, ſed Deus non eſt abſens à nobis, ſed nobis intimè præſens; teſte Apoſt. act. 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum*; ergo &c. Reſp. ex D.Io: Chryſoſtomo, quod Deus humani generis Conditor ab initio per ſe ipſum loquebatur, eo modo, quo hominibus eum audire poſſibile erat; quare ſic ad Adam venit, & vocauit; ſic ad Cayn, & increpauit. At vbi in magnam malitiam omne humanum genus degenerauit, non ſe totum ab humano genere ſe auertit, ſed quaſi longè abſentibus litteras mittit,conciliaturus,ſibi,vt ita de D. bonitate loquamur, vniuerſam hominum naturam; ex qua doctrina patet reſponſio ad argumentum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacra Scriptura pluribus polleat ſenſibus.

NOt.1. Quod ſenſus propriè ſignificat potentiam phyſicam ſenſitiuam, aut officium eius, deinde transla-

tum eſt hoc nomen ad ſignificandam intellectus operationem, ac ipſam intelligentiam, ſeù animi ſententiam. Vnde D. Lucas cap. 24. de Chriſto loquente Diſcipulis ait. *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*; Sic Sap. 7. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, ideſt intelligentia*; Sic. Epiſt. 1. ad Cor. Apoſt. *Nos autem Chriſti ſenſum habemus*, hoc eſt, Chriſti ſcientiam, & intelligentiam.

Not. 2. Quod Porphirius, teſte Euſebio lib. 6. hiſt. c. 13. & quamplures hæretici noſtri ſæculi, impudenter, & temerè irrident Doctorum Chriſtianorum varias Sac. Scripturæ interpretationes. Alij enìm, inter quos eſt Lutherus, Iudęorum veſtigijs inhærentes, vnicum Sac. Scripturæ ſenſum, ideſt litteralem admittunt; vnde de D. Dionifio Areopagita loquens Lutherus, dicit, illum Doctorem ludere in allegorijs, quod eſt otioſorũ hominum ſtudium. Alij verò ex oppoſito, ita ſenſum litteralem repudiant, vt ſolum ſpiritualem retineant; ideòque litteram vocant gladium Antichriſti, quo Sancti interficiuntur. Verùm Eccleſia Catholica vtrumque ſenſum recipit, ad cuius mentem ſit.

I. Conc. Sacra Scriptura pluribus pollet ſenſibus, nempe litterali, ſeù hiſtorico, & ſpirituali, ſeù myſtico. Eſt Scoti q. 3. prologi, & omnium Doctorum Eccleſiæ. Prob. conc. abſolutè, ideſt, quod Sacra Scriptura habeat plures ſenſus. Sap. 7. habetur. *Spiritus autem intelligentiæ multiplex, vnicus eſt*; & Apoſt. ad hæb. c. 1. *Qui multifariè, multiſq; modis olim locutus eſt Patribus in Prophetis*; ergo &c.

Prob. 2. Sacra Scriptura interpretanda eſt ſecundùm illos ſenſus, ſecundùm quos exponitur à Sanctis Apoſtolis, ſed Apoſtoli vtuntur ſenſu litterali, & ſpirituali, ergo &c. min. prob. Nàm ex pluribus locis Sacræ Scripturæ oſtendere poſſumus pluralitatem ſenſuum, ideſt litteralis, & ſpiritualis, ſed vnus pro omnibus ſufficiat; & ſit ille D. Pauli 1. ad Cor. c. 10. *Patres noſtri*, ſcribit Apoſt. *ſub nube fuerunt, & omnes Mare tranſierunt, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem ſpiritalem potum biberunt.* Hìc locus, ſi litteraliter explicetur, ſignificat id, quod immediatè denotatur per verba, nempe filios Iſrael tranſijſſe Mare rubrum; Si verò quæratur ſenſus myſticus, tunc per exitum Iſraelitarum ex captiuitate ſignificatur exitus

Chri-

Chriſtianorum à ſeruitute peccati per Chriſtum; Per Mare rubrum denotatur Baptiſmus; per Mannam Corpus Chriſti, & per aquam Sanguis eiuſdem; ergo Sacra Scriptura &c.

II. Conc. Senſus litteralis, ſeù hiſtoricus eſt ille, quem verba immediate ſignificant, vel in propria, vel in metaphorica ſignificatione; Senſus verò Spiritualis, ſeù myſticus eſt ille, quem primò, & per ſe immediatè ſignificant res ſignificatæ per voces, ſeù verba, de quibus erit in ſequentibus articulis explicatio; obſeruandum tamen, quod per ſenſum litteralem in propria ſignificatione &c. non intelligimus ſenſum grammaticalem, multum ſiquidem inter ſe differunt; nam grammaticalis nil aliud importat niſi nudam ſignificationem, ſeù nudum ſenſum verborum, & dictionem, proùt ſonant, quæ, vt notat noſter doctiſſimus Marchant. in quęſt. proemial. noſtræ Regulæ ab alijs dicitur littera Donati: litteralis verò pręter ſignificationem verborum includit etiam intentionem dicentis; quarè ſæpe grammaticalis ſenſus poteſt eſſe falſus eſtò litteralis ſit verus, vt patet ex illo Io: 1. *Non ſum Propheta*. Si grammaticalis ſenſus attendatur, eſt falſa propoſitio, quia Ioannes verè erat Propheta; at ſecundum ſenſum litteralem propoſitio erat vera, quia non erat Propheta Chriſtus, de quo intendebat Ioannes. Cæterùm ſenſus myſticus diuiditur in Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum; qui omnes his verſibus exprimuntur.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

Itaque ſenſus litteralis narrat geſta; Allegoricus pretèr ſenſum litteralem veteris Teſtamenti, aliquid ſignificat credendum in nouo; ſeù gerendum in nouo. Tropologicus, ſeù moralis ſignificat ea, quæ ſunt agenda; & denique Anagogicus ſignificat ea, quæ ſunt ſperanda.

Arg. 1. Sacram Scripturam non habere plures ſenſus ſic. In Sacra Doctrina ſenſus Sanctior, & certior tenendus eſt, ſed ſenſus ſpiritualis eſt ſanctior, & certior; nàm per hunc habentur ea, quæ pertinent ad fidem, ſpem, & charitatem; per litteralem autem habentur ſolum res geſtæ, & materialia; vnde D. Paul. 2. ad Cor. 3. docet, quod *littera occidit, ſpiritus autem viuificat*; ergo Sacra Scriptura non

admittit pluralitatem ſenſuum. Reſp. conc. mai. & diſting. min. Senſus ſpiritualis eſt ſanctior, & certior ex obiecto conc. min. abſolutè neg. Quàmuis enim ſenſus ſpiritualis quoad materiam, & ex intentione Spiritus Sancti videatur perfectior, quia res noui Teſtamenti, quæ ſpiritualitèr ſignificabantur per res veteris Teſtamenti, ſunt digniores; ſicut & res futuræ beatitudinis ſunt præſtantiores illis, quæ ſunt in præſenti vita; attamen quatenùs principaliter ſunt de Deo, ſunt ęqualis perfectionis, & litteralis maioris perfectionis quo ad nos, vt infrà oſtēdetur.

Arg. 2. Multiplicatis ſenſibus Sacræ Doctrinę confunditur intellectus, adeòut nullum poſſit eſſe certum argumentum defendendi, & attingendi veritatem, quia multiplicatis ſenſibus, incertum eſt, de quo ſenſu verè intelligatur; ſed hoc repugnat certitudini Sacræ Scripturæ, ergo non ſunt admittendi plures ſenſus. Reſp. neg. aſſumptum in maiori: etenim pluritas ſenſuum nec confuſionem, nec equiuocationem generat; quia ſicut Deus poteſt plura, & infinita copulatiuè intelligere; ita poteſt copulatiuè ſub eadem littera reuelare, quæ percipiuntur ab eo, cui fit reuelatio, ac proindè non fit confuſio.

Arg. 3. Spiritus Sanctus in Sacra Scriptura inſtruit Viatores ſincerè, & perfectiſſimo modo: *Quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt* ex 15. ad Rom. ſed intellectus perfectiùs inſtruitur per pauciora, ergo vnicus eſt ſenſus Sac. Scripturæ. Reſp. conc. mai. & neg. min. Nam cognitio eò eſt perfectior, quò plura attingit, vt conſtat de viſione Dei, & Chriſti: Quarè littera multiplicitèr intellecta perfectiùs intelligitur, ac proinde intellectus ſic intelligens non fit minus perfectus; ſi ſimul intelligat, quia non diſiunctim, ſed copulatiuè illa percipit, vel ſucceſſiuè, priùs nempe intelligendo ſenſum litteralem, deindè ſenſum ſpiritualem, eo ordine, quo à Voluntate dirrigitur ad credendum.

ARTICVLVS III.

Quid ſit propriè ſenſus litteralis, an ſit cæteris excellentior, & an ſenſus parabolicus ſit litteralis.

NOt. 1. Quòd Sacra Scriptura ſæpiſſimè vtitur metaphoris, & parabolis, vt habetur Matt. 13. *Ideò in parabolis*

bolis loquar eis; quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt, & Lucæ 7. *Simile eſt Regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier &c.* Idque rationabilitèr, quia dulciùs capitur, quod latet ſub aliqua ſententia litterali metaphorica, vel parabolica, quàm ſi eſſet expræſsè dictum, & ad maiorem confert deuotionem; qua ratione velata fuiſſe in veteri Teſtamento, creditur, ea, quæ in nouo ſunt expræſſa, vt teſtatur D. Matt. 13. *Vobis datum eſt, noſſe myſteria Regni Cœlorum illis autem non eſt datum*.

Not. 2. Quòd Tropos, ſeù metaphora ex Quintiliano lib. 8. c. 6. eſt translatio vocis à re, quam propriè ſignificat ad ſignificandam aliam propter ſimilitudinem. Eſt autem duplex tropos, nempè verbi, & ſermonis, ſeù orationis. Tropi in verbis ſunt ſeptem, nimirum Metaphora, Sinecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Onopotopeia, Cathecheſis, & Metalepſis. Tropi verò orationis ſunt quatuor, videlicet, Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, & Hyperbole, de quibus omnibus latè agunt Rhetores, ad quos vos mitto, ſi plenam, & diſtinctam notitiam habere cupitis; vt potè, quæ ex D. Aug. lib. 3. de doctrina chriſtiana eſt neceſſaria ad Sacræ Scripturæ locos intelligendum, quia cum ſenſus ad proprietatem verborum, ſi accipiatur abſurdus eſt, quęrendum eſt vtique, ne forte illo, vel illo tropo dictum ſit, quod intelligimus, & ſic pleraque inuenta ſunt, quę latebant. Verùm ſenſus parabolicus eſt ille, in quo aliquid explicatur per modum hiſtoriæ, quæ non eſt vera, ſed vt facta ſumitur, vti eſt illa Lucæ de filio prodigo. Reducitur autem ad metaphoricum, quia continet metaphoram continuatam, vt inter alios docet Abulenſ. q. 28. cap. 13. Matt.

I. Conc. Senſus litteralis eſt ille, quem immediatè Auctor Sac. Scripturæ Spiritus Sanctus primò, proximè, & principalitèr intendit, ſiuè in propria verborum ſignificatione, ſiue in metaphorica, ſeù tropica. Hęc eſt communis, & maximè apud Recentiores: Singulæ particulæ explicandæ veniunt. Dicitur, primò, proximè, & principalitèr, quia ſenſus litteralis primò vocibus, non rebus ſignificatur, ad differentiam ſenſus myſtici, qui primò rebus, & ſecundariò vocibus ipſis ſignificatur; Dicitur in propria, ſeù metaphorica, & translatitia ſignificatione, ad eſcludendum

dendum pariter ſenſum myſticum; qui, cum denotetur vocibus ipſis remotè, proximè autem rebus, non poteſt ſignificari verbis in communi, & vſitata ſignificatione, neque in metaphorica acceptis; Sicut cum dicit Scriptura, Ionam fuiſſe in ventre Cęti tribus diebus, vſitata vocum ſignificatione exprimitur hiſtoria Ionæ; Chriſtus autem in Sepulchro non denotatur vſitata ſignificatione; nec metaphorica vocum, ſed proximè rebus ipſis, nempè illa hiſtoria Ionæ, vocibus autem remotè, quatenùs per voces exprimitur eadem hiſtoria. Dicitur. Quem Auctor Spiritus Sanctus intendit; Siquidem Spiritus Sanctus eſt tanquam principalis Auctor illius, vt ſupra indicatum eſt, à quo etiam ſecundum apices dictata eſt, quod infrà magis declarabitur in art. de Prophetia.

II. Conc. Senſus parabolicus non eſt propriè ſenſus myſticus, ſed ſenſus litteralis; an verò ſit ille, qui adducitur in exemplum, & ſimilitudinem; vel ille, ad quem parabola applicatur ſub dubio relinquere videtur noſter doctiſſimus Alphonſus a Caſtro lib. 1. contra hęreſes cap. 3. Verùm ex ijs, quæ paulò antè dicta ſunt colligitur ſenſum parabolicum eſſe, qui in exemplum adducitur pro cuius intelligentia obſeruandum, quod in parabolis ſunt duæ partes, altera rei, quæ affertur in ſimilitudinem, altera, quæ ipſam applicat; prior eſt quaſi hiſtoria, poſterior eſt quaſi applicatio ſenſus myſtici, & reconditi; prima habet rem illam ſenſibilem, & rudem, quæ eſt quaſi hiſtoria pro ſenſu litterali. 2. verò pro ſenſu litterali habet myſterium, & rem ſpiritualem, ad quam applicatur parabola. v. g. cum dicitur Matt. c. 13. *Simile eſt Regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier &c.* litterali ſenſu verè ſignificatur factum mulieris, quæ, & fermento, & farina maſſam præparat, vt fiat panis, & hęc eſt res, quæ in exemplum adducitur in priori parte parabolæ: at in poſteriori parte, in qua continetur applicatio illius ſenſus litteralis, denotatur Verbum Euangelij, & efficacitas illius, qui quidem ſenſus dici poteſt myſticus, ſi ad priorem partem referatur, eò quia in re ſenſibili reconditus ſit; ſed relatus ad poſteriorem partem parabolæ reuerà eſt litteralis. Pręterea aduertendum, quod in Sac. Scriptura eſt alia quędam parabola ſatis longa, quam vſurpauit Salomon in Canticis Canticorum, vbi

introducit Sponſum, & Sponſam ſub Perſonis Paſtorum, & verba amoris inter eos, vt ſub tali parabola, & exemplo ſenſibili oſtendat ſpiritualem dilectionem inter Deum, & Animam. Quare eſt ibi duplex ſenſus, alter rei, quæ adducitur in parabolam, & hic eſt materialis; ideſt res quaſi geſta inter Paſtores, non quod reuerà ita acciderit, ſed quia adducitur in parabolam, vt ſub illis perſonis id, quod ſpirituale eſt, ſignificetur, vt cum dicit Sponſa ad Sponſum in cap. 1. Cant. *Dic mihi vbi paſcas, & cubes in meridie &c.* & Sponſus reſpondit *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Quibus Sponſa interrogat de Tugurio, vbi in meridie Sponſus à Solis ardore tegebatur, & reſpondit ille. Si ignoras, ideſt, ſi neſcis, ſine abire greges tuos, & hędos; ipſi enim ſponte gradiuntur in eam partem, in qua me inuenies. Poſterioris autem partis ſubintellectæ, in qua applicanda erat parabola ſenſus litteralis, quem propriè voluit Spiritus Sanctus exprimere, erit ille, qui ad ſpiritualem amorem, & charitatem refertur, vt Interpretes Sacrę Scripturæ variè illum locum commentantur.

III. Conc. Senſus litteralis cæteris ſenſibus Sacræ Scripturæ eſt dignior, & excellentior. Prob. Senſus ille, ad quem pertinet honor Sac. Scripturæ propriè debitus, eſt virtuoſior, & excellentior cæteris, ſed ſenſus litteralis eſt huius modi, ergo &c. min. prob. ex D. Aug. in Epiſt. ad Hieronym. *Solùm enim Scripturarum libris, qui canonici vocantur, habere honorem didici referre, vt nullum Auctorem eorum in ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam*: Sed conſtat, talem honorem non habere S. Scripturam ſecundum ſenſum ſpiritualem, quia, ſi ita eſſet, ex ſenſu ſpirituali poſſet ſumi efficacia argumenta, quod eſt contra eundem Aug. in Epiſt. ad Vincentium, dicentem, quod ex ſolo ſenſu litterali argumentum ſumitur; at de hoc particulari puncto infrà redibit ſermo.

Arg. contra 3. conc. Dignior eſt doctrina, quę habetur per ſenſum ſpiritualem, quàm litteralem, ergo ſenſus ſpiritualis eſt dignior; tenet conſequentia, quia quęcunquè ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Aſſumptum ant. prob. Etenìm per ſenſum allegoricum habentur ea, quæ ſunt credenda, & pertinent ad fidem; per anago-

gicum, quæ pertinent ad ſpem; & per tropologicum, quę ſunt agenda, & pertinent ad charitatem; in quibus tribus virtutibus per Aug. Deus colitur, per ſenſum autem litteralem habetur tantum hiſtoria, quæ multoties non pertinet ad ſalutem, ergo &c. Reſp. neg. aſſumptum, ad probationem neg. per ſenſum litteralem haberi ſolùm hiſtoriam rerum geſtarum. Planè per ipſum habemus, quæ ſunt agenda, vt patet ex præceptis charitatis, in quibus ſecundùm doctrinam Chriſti tota lex pendet, & continetur, habentur pariter per ipſum, quæ ſunt credenda, vt de vnitate Dei, de Trinitate Perſonarum, de Creatione, de Incarnatione &c. Immò D. Thom. 2.2. q.173. art. 4. docet, nihil ſub ſpirituali ſenſu contineri fidei neceſſarium, quod Scriptura per litteralem ſenſum alicubi non tradat. Neque ex hoc, quod in quibuſdam locis ſenſus litteralis ſolum geſta doceat, ſequitur ſimplicitèr, quod per ipſum non habeantur ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis credenda, ſperanda, & agenda.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſub eadem littera plures ſenſus litterales contineantur, & an in quolibet loco Sacræ Scripturæ reperiantur omnes quatuor ſenſus.

NOt. Quòd indubiè quilibet Sac. Scripturæ locus habet ſenſum litteralem, vt perſpicuè docent D. Aug. lib.15. de Ciuit. c.27. D. Greg. homil.2. in Ezech. D. Hier. præfatione in Iſaiam, & communitèr Doctores. Neque noſter doctiſſimus Lyranus, quem malè intelligentes Vaſquez, & alij eum carpunt, contrarium ſentit, vt oſtendit Gillius Minorita lib.1. tract.7. de locis theologicis, Lyranum vindicans ab impoſturis eorum. Itaque nulla ſunt verba Sac. Scripturæ, quæ propriè, aut metaphoricè accepta non habeant ſenſum litteralem; Siquidem ſi in aliquo loco Sac. Scripturæ deeſſet ſenſus litteralis, deeſſet etiam ſenſus myſticus, qui in litterali fundatur, ergo quilibet locus Sacræ Scripturæ habet ſenſum litteralem.

I. Conc. Sub eadem littera plures ſenſus litterales continentur. Eſt D. Aug. lib.12. Confeſs. c.30. D. Thom. p.1.

q.1. art. 10. quam amplectuntur omnes ferè Recentiores. Prob. Deus Auctor Scripturæ eſt ità fæcundus, vt vnico verbo mentali poſſit infinita ſimul exprimere, ergo etiam poteſt vnico verbo ſcripto multa ſignificare; ant. patet, quia ſi homines eloquentia præditi plures ſenſus alicui ſententiæ inſerere potuerint, vt refert Tacitus lib. 1. Annal. de Tiberio; nulla ratione reuocari in dubium debet de Deo, ergo &c. Prob. etiam. Nàm plurima loca Sacræ Scripturæ admittunt plures ſenſus litterales, vt docet communis Theologorum ſententia; & ſignantèr 1. ad Corint. Manna metaphoricè ſumpta ſignificat Euchariſtiam, & Sapient. c. 20. Eloquium Dei. Sic verba Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* intelliguntur ſecundum litteram de æterna, & temporali generatione Chriſti: Sic *in principio creauit Deus &c* Gen. c. 1. nàm ex hoc loco duæ catholicæ veritates ab Eccleſia definiuntur, altera mundum initio temporis cæpiſſe, altera omnia ſimul eodem temporis momento ſpiritualia, & corporalia fuiſſe condita; vt conſtat ex Concil. Lateran. ſub Innoc. iij. & refertur in cap. firmitèr; omitto plures alios textus, vt breuitati ſtudeam.

II. Conc. In principalibus, & maioribus partibus veteris Teſtamenti, non tamen in ſingulis minutiſſimis reperitur ſenſus myſticus. Prob. prima pars ex D. Paulo 1. ad Corint. cap. 10. vbi de Iudęis loquens dicit; *Hæc omnia in figura illis contingebant, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram.* Vnde D. Hier. prologo in Iſaiam docet, quod per hiſtoriæ veritatem ſpiritualiter accipienda ſunt omnia, ſed hæc omnia ſatis indicant in præcipuis partibus veteris Teſtamenti ſenſum myſticum reperiri, ergo &c. Prob. 2. pars ex D. Hier., Epiphan., & ſignantèr D. Aug. qui q. 2. ſuper Gen. ait. In quibuſdam ſolum ſenſum litteralem eſſe quærendum; plura enìm loca veteris Teſtamenti habent ſolùm ſenſum litteralem, vt quando fit mentio de præceptis Decalogi, de Perſonis, de actionibus, Vrbibus, locis, & ſimilibus, quæ nihil aliud redolent, quàm hiſtoriam; nec aliquid ſignificant, quod referatur ad fidem, ad ſpem, & ad charitatem. Cæterùm, quod in multis Sac. Scripturæ locis contineantur omnes quatuor ſenſus, vt ſupra explicati, nulli videtur dubium; nihilominùs pro maiori intelligentia, ac notitia ſtudentium affero vnum, vel alte-

rum

terum locum. Primus ſit ille communis de Hieruſalem, qui locus ſecundum ſenſum litteralem ſignificat Ciuitatem Iudęorum, ſecundùm ſenſum allegoricum Eccleſiam Chriſti, ſecundùm anagogicum Ciuitatem cœleſtis Hieruſalem, & deniquè ſecundùm ſenſum tropologicum ſignificat Animam noſtram. Alius locus eſt de Philiſtęo a Dauid interfecto; litteralitèr quidèm ſignificatur occiſio vera, & realis illius Gigantis; allegoricè, ablatio poteſtatis Dęmonum facta per mortem Chriſti: tropologicè ſignificat bellum, quod quilibet gerit contra vitia, ſuam carnem mortificando: Anagogicè ſignificat victoriam, quam Chriſtus faciet de morte in die Iudicij, iuxtà illud Pauli 1. ad Corint. *Nouiſſima omnium deſtruet mors*, ità Abulenſ. in cap. 13. Matt. 9. 28.

Arg. contra 1. conc. Noſter doctiſſimus Michael Medina, qui lib. 6. de recta in Deum fide tenet oppoſitum. Si ſub eadem littera plures ſenſus litterales continerentur, ſequeretur, quod nihil certi in Scriptura haberetur, ſed hoc eſt maximum abſurdum, ergo &c. Reſp. neg. ſequelam maioris. Tunc enim tale abſurdum ſequeretur, quandò ille ſenſus ſumeretur diſiunctiuè, dicendo ſimplicitèr. Vel ille ſenſus eſt dictatus à Spiritu Sancto, vel ille alius; tunc ex illa diſiunctione nil certi poſſet concludi; at ſi ſumatur coniunctiuè dicendo: Ille ſenſus eſt a Spiritu Sancto reuelatus; ſicùt & ille alius; tunc nullum ſequitur abſurdum.

Arg. ex Origene contra 3. conc. ſic. Ex quolibet textu veteris Teſtamenti poteſt elici aliquid, quod ad fidem, vel mores, vel ad gloriam referatur, ergo ſenſus myſticus qualiſcunque ſit, continetur in quolibet loco, etiam minimo Sacræ Scripturæ. Reſp. Hæc omnia poſſe inferri etiam ex qualibet hiſtoria iuxtà inuentionem Interpretum, non tamen erunt ſenſus myſtici a Spiritu Sancto intenti: etenìm, vt in art. 1. indicauimus per ſenſum Sacræ Scripturæ intelligitur ille, quem ſacra verba ex intentione Spiritus Sancti immediatè, vel mediatè aliquid ſignificant. Non enìm quælibet ſignificatio adhibita verbis Scripturæ pro arbitrio cuiuslibet eſt ſenſus illius, ſed illa ſolùm, quæ a Spiritu S. intenta eſt: ea autem eſt, quam nobis Eccleſia declarat eſſe talem: Ex hoc tamen non improbantur

bantur commentaria Interpretum, tàm Sanctorum, quàm non Sanctorum, ſed ea maximè vtilia fatemur Eccleſiæ Dei eſſe, & Chriſtifidelibus. Immò commentaria Ss. Patrum ſunt neceſſaria, vt de Theologia poſitiua in ſuperioribus quæſtionibus ex communi conſenſu Theologorum dictum eſt.

ARTICVLVS V.

Vtrum præter ſenſum litteralem, & myſticum detur ſenſus per accomodationem.

NOt. Quòd huiuſmodi ſenſu ſæpè ſæpiùs vtuntur Prędicatores, qui vnum textum Sacræ Scripturæ applicant ad perſuadendum Auditores, ſiue de virtutibus exercendis, ſiue de vitijs fugiendis; & ob id dicitur ſenſus per accomodationem, ſeù accommodatitius; qui nec mediatè, nec immediatè eſt a Spiritu Sancto intentus; eſtque duplex alter per extenſionem, alter per alluſionem: Prior eſt, qui per legitimam quandam conſecutionem ex ſenſu litterali, qui eſt de aliquibus rebus, aut Perſonis, ad alias extenditur abſque eo, quod à Spiritu Sancto ſit intenta. Sic v.g. illud Iſaiæ cap.20. *Va genti peccatrici &c.* dicitur pro populo Iſraelitico, & extenditur a Doctoribus ad populum Chriſtianum. Poſterior eſt, quo aliquod dictum de vno per alluſionem, ſeù per ſimilitudinem accomodatur alteri. Sic verba Eccleſ. c.44. *Non eſt inuentus ſimilis illi in gloria*, litteralitèr intelliguntur de Salomone, & per extenſionem attribuuntur cuilibet Pontifici nouæ Legis.

Conc. Præter ſenſum litteralem, & myſticum admittendus eſt etiam ſenſus per accomodationem, dummodò fiat ſano modo, & ſine imperfectione Sacræ Scripturæ. Eſt communis inter Catholicos. Prob. Quòd fit, vel fieri poteſt in alijs libris ſine iniuria Auctoris, id etiam fieri poteſt in Biblijs, ex quibus extrahi poteſt ſenſus accommodatitius ſine præiuditio Sac. Scripturæ, ergo ſicùt ex alijs libris deſumitur accommodatio vnius ad alterum; quando interuenit aliqua ſimilitudo, & analogia; ita pari ratione catholici Prædicatores poſſunt vti ſenſu accommodatitio; qui multum prodeſt ad ſtudium virtutis, ad fugam vitio-

Conc. Senſus myſticus, & ſpiritualis eſt efficax ad arguendum, & ad dogmata fidei probanda, atque firmanda, quandocuuque conſtet de veritate, & idoneitate eiuſdem: Tunc autem conſtat de veritate, & idoneitate quando, vel ab auctoritate Eccleſiæ, vel communi Patrum conſenſu aliquis ſenſus myſticus oſtenditur eſſe intentus a Spiritu Sancto. Prob. conc. auctoritate Apoſtoli, qui cum inſtruere vellet, Magiſtros Verbi Dei alendos eſſe ob labores in prædicando paſſos, adducit illud Deuteronom. cap.25. *Non alligabis os Boui trituranti* ad Galat. cap. 4. quem quidèm locum in veteri Teſtamento litteralitèr intellectum Apoſt. ad ſenſum myſticum adducit. Idem Apoſt. ad Cor. oſtendere volens reperiri duo Teſtamenta, id probat per duos filios, quos habuit Abraham, concludens denique his verbis. *Quæ ſunt per Allegoriam dicta*. Itaquè quotieſcùmq; compertum fuerit ſenſum myſticum eſſe ad mentem Spiritus Sancti, tunc talis ſenſus eſt efficax ad arguendum, ac probanda dogmata fidei, atque firmanda. Cæterùm ſi quæratur. Quiſnam horum ſenſuum ſit efficacior.

Reſpondet noſter Alphonſus a Caſtro lib.1. contra hæreſes cap.3. cui conſonat Molina p.1. q.1. art.10. Senſum litteralem eſſe efficaciorem ad dogmata fidei ſtabilienda. Nihilominùs communis Doctorum opinio tenet, quod, quandocunque conſtiterit, ſenſum myſticum eſſe verè intentum a Spiritu Sancto, ſit æqualis efficaciæ cum ſenſu litterali; & ſi concedi poſſit, ſenſum litteralem abſolutè loquendo eſſe magis efficacem ſpirituali; tùm quia hic primò, & principalitèr intenditur a Spiritu Sancto; tùm quia ſenſus litteralis importatur per voces, myſticus autem per ſignificata vocum.

ARTICVLVS VII.

De Regulis eruendi ſenſum litteralem.

IN hoc articulo aſſignandæ veniunt aliquot Regulæ, quibus facilè dignoſci poſſit, atque elici ſenſus litteralis Sacræ Scripturæ.

I. Regula eſt, quam Concil. Trid. ſeſſ.4. de editione, & vſu ſacrorum librorum tradit. Ad coercenda petulantia

ingenia decernit, vt nemo ſuę prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus cortorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent.

II. Regula. Quoàd fieri poteſt in Scripturæ interpretatione vti oportet vocibus, & verbis in naturali, & propria rerum ſignificatione, niſi tamen neceſſitas nos cogat, & vrgeat confugere ad tropos, metaphoras, & figuras. Ità docet D. Aug. lib.3. de doctrina chriſtiana.

III. Regula. Quandocùnque verba, & voces in Sacra Scriptura accepta ſecundum propriam ſignificationem, vel aliquid falſitatis continent, vel abſurdi, & inconuenientis, vel peccati, & culpæ, tunc relicta naturali ſignificatione oportet recurere ad metaphoricam. Exemplum primi. Matt.10. de S. Io: Baptiſta. *Ipſe eſt Elias dixit Chriſtus*; quia verò falſum eſt, fuiſſe Eliam in perſona, non enìm Ioannes erat Elias; ideò confugiendum eſt ad tropos, atque dicendum; Eliam fuiſſe quidem in ſpiritu, & virtute, non autem in ſuppoſito. Exemplum 2. Dùm Deo tribuuntur, manus, oculi, pedes, ambulationes, & ſimilia, quæ nequeunt Deo competere, qui eſt ſimpliciſſimus Spiritus; ideòque huiuſmodi locutiones figuratè ſunt interpretandæ. Pari ratione, quando dicitur Deum iraſci, & pœnitere alicuius operis iàm facti, cum nulla, vel ira, vel pœnitudo quoad affectum, & paſſionem cadere poſſit in Deo, ſicut in nobis contingere ſæpè ſolet, tales Scripturæ explicandæ ſunt quoad effectus. Exemplum 3. Quicunq; Animam ſuam oderit in hoc mundo, cuſtodiet in vitam æternam. Inſupèr, qui non odit Patrem, & Matrem &c. Rurſus. Si oculus tuus ſcandelizat te erue eum. Certè eruere ſibi oculos, atque ſemetipſum odire, & parentes peccatum eſt; ergo ad metaphoricam expoſitionem confugere neceſſe eſt; & ſic in conſimilibus Sac. Script. locis.

IV. Regula. Quandocùnque in Sac. Scriptura introducitur Perſona loquens, quæ menţiri non poteſt; tunc ſi-
menda-

mendacium interuenerit, metaphoricè, & translatitiè ad Auctorem mendacij eſt referenda. Sic Gen. cap. 3. *Eritis ſicut Dij*, & Lucæ cap.4. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. Indubiè Scriptura in his locis non loquitur, nec refert promiſſiones præfatas ad mentem Spiritus Sancti, ſed ad intentionem, & locutionem Diaboli, & Serpentis. Quarè aduertendum, quod aliud eſt referre hiſtoricè quid factum ſit, aliud autem Auctorem rei geſtæ, vel dictæ. Siquidem Spiritus Sanctus ſolum eſt Auctor hiſtoriæ narrantis, quid actum ſit, non autem de rebus, vel dictis, quę narrantur, ſed ipſi peccatores, & perſonæ introductæ, vel Diabolus, ſunt Auctores mendacij, errorum, & peccatorum, quæ per Scripturam referuntur.

V. Regula. Quandocùnque in Sac. Scriptura continentur ea, quæ iuxtà apparentiam, & grammaticalem corticem videntur parùm conducere homines ad honeſtatem, tunc recurrendum eſt ad metaphoricam, & translatitiam locutionem: Huius modi locutiones habentur in Canticis Salomonis; vt oſculetur me oſculo oris ſui. In lectulo meo per noctem quæſiui; & alia id genus; quæ iuxta ſenſum grammaticalem ſcandalo eſſe poſſunt ignorantibus tropos Sac. Scripturæ, ſecundum quos ex mente Spiritus Sancti omninò ſunt intelligenda. Eſt enìm ille liber totus tropicus ſpiritualia colloquia ſub ratione Sponſi, & Sponſæ, inter Deum, & Animam, vel inter Deum, & Eccleſiam, vel immaculatam Virginem repræſentans; ac proindè ſpiritualiter iuxtà Sanctorum Patrum interpretationes explicanda ſunt.

VI. Regula. Quandòcunq; verba vnius loci alteri Scripturæ loco repugnare videntur, tunc ad conſimilem interpretationem, vt ſupra explicatum eſt, recurrrere oportet. Habetur Matt. cap.19. *Faciliùs per foramen acus Camelum tranſire poſſe quam diuitem in Regnum Cœlorum* (nota hyperbolem Sac. Scripturæ) ex quo concluditur contra diuites, eſſe difficillimam eorum ſaluationem, & ſalutem. Ex oppoſito Abraham Pater credentium fuit valdè diues, Dauid, & alij in veteri, & nouo Teſtamento; qui tamen non fuerunt Viri diuitiarum, ſed diuitiæ Virorum.

VII. Quandòcunq; aliquis Scripturę locus eſt obſcurus, tunc iuxtà doctrinam D. Aug. ex antecedentibus, & conſequentibus ſenſus litteralis eruendus eſt.

VIII.

VIII. Regula, quam tradit pro explicatione parabolæ D. Io: Chryſoſtomus homil. 65. in Matt. In parabolis non oportet omnia in ſingulis verbis cura perangi, ſed cum quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde vtilitate collecta, nil eſt vlterius anxio conatu ampliùs inueſtigandum.

IX. & vltima Regula (vt alias omittam hæ nàmq; ſunt principaliores, & magis neceſſariæ) eſt. Ad intelligentiam Sac. Scripturæ, quàm maximè conducit, immò neceſſaria eſt Sac. Theologia, deindè Phyloſophia, tùm naturalis, tùm moralis. Inſupèr oportet habere cognitionem de proprietatibus rerum, de hiſtorijs Eccleſiaſticis, & etiam de hiſtorijs Paganorum, & Gentilium; & deniquè non eſſe ignarum Adagiorum ſapientum, & Phyloſophorum.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo Spiritus Sanctus Auctor principalis Sacræ Scripturæ ſe habuerit cum Scriptoribus canonicis, & Prophetis, & quid de Prophetia.

NOt. 1. Quòd Scriptores omnes canonici in ſingulis ſententijs, & verbis, ſecundum mentem, & manum directi fuerunt a Spiritu Sancto, adeoùt nec in tantillo errare potuerint, quod indicauimus etiam in deſcriptione Scripturæ Sacræ in primo art. tradita. Quinàm autem ſint Scriptores canonici; & Agiographi, conſtat non ſolùm ex titulis librorum canonicorum, ſed etiam ex prinpio eorumdem librorum clarè patent eorum nomina, & maximè Prophetarum. De aliquibus tamen eſt controuerſia, & videri poteſt apud Sac. Scripturæ Interpretes.

Not. 2. Quòd, vt tradit noſter ſapientiſſimus Aureolus in compendio Bibliæ, vniuerſa Prophetia duo tempora reſpicit, nempè tempus captiuitatis, quod incipiebat, dùm Deus deſtinauit Prophetas ad reducendum Populum; & tempus gratiæ, quod futurum erat in aduentu Meſſiæ. Quarè Prophetæ prædicare cæperunt circa tempora Achaz, & Ezechiæ, in quibus iàm decreuerat Deus eijcere Populum de terra promiſſionis propter eius ſcelera, & ſic ratione diuerſi temporis in quolibet Propheta

erit

erit duplex ſenſus litteralis, quantum ad diuerſas partes commixtim poſitas, vt communitèr tradunt Doctores; modo enim loquebantur directè ad populum præſentem, reuocando eum a peccato, & comminando captiuitatem, niſi reſipiſcerent, & promittendo veniam, & conſolationem, ſi ad Dominum redirent: Modò loquebantur in futurum conuertentes ſe ad Chriſtum: & eſt iunctura difficilis ad intelligendum, ſubdit Aureolus.

I. Conc. Spiritus Sanctus cum ſcriptoribus ſacris, ac eorum ſcriptionibus potuit ſe habuiſſe antecedentèr, & concomitantèr. Ita docet ex communi ſententia noſter Herincx p.3. diſp.4. q.2. Explicatur, & ſimùl probatur conc. Potuit ſe habere antecedentèr, nimirum ſingula ſcribenda, inſpirando, Scriptore nihil de ſuo addente; ſed inſtar Diſcipuli excipientis ex ore Magiſtri, quæ ipſe dictat; & hoc vel per reuelationem extaticam, ſiuè imaginariam; ſiue intellectualem, vel per allocutionem, ſeù viſionem ſenſibilem, vel denique per inſpirationem internam in vigilia, ipſis ſcriptoribus ex lumine ſupernaturali perſpectam, tanquàm diuinam; & hic modus conuenit Prophetis.

Concomitanter verò, dùm non ſe habet inſtar dictantis, ſed dirrigentis ſcriptorem, & impedientis ne erret. Qui quidem modus in ſententia plurium Doctorum videtur ſeruatus in hiſtorijs rerum, viſu, vel fide illorum, qui eas agnouerunt, & retulerunt; vt in Euangelijs, Actis Apoſtolorum, Libris Machabeorum, & ſimilibus; ideòque lib.2. Machab. c.2, proteſtatur Auctor operis ſuſcepti difficultatem, & laborem ſuum, ac proinde in hoc poſteriori modo debet ſcriptor laborare, & attendere ad verba; ac ſi humano ſpiritu ſcriberet. Præterea poteſt communitèr accedere ſcriptis, aut dictis hominis etiam impij, ac diuini ſpiritus afflatu deſtituti, auctoritas Diuina; per hoc, quod poſteà Spiritus Sanctus teſtetur, ea eſſe vera; vti defacto per Apoſtolum probauit illam ſententiam Arati gentilis Poetæ Actorum cap.17. *Ipſius enim, & genus ſumus*, & iſtam Epimenidis ad Tit. prima *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*.

II. Conc. Prophetia rigoroſè ſumpta eſt diuina inſpiratio, vel reuelatio futurorum contingentium euentus certa, & immobili veritate, præuidens, & prænuntians. Ità

Alex. de Aleſ. parte 3. & D. Thom. 2. 2. Explicatur conc. iuxtà intelligentiam Sanctorum Patrum. Dicitur Prophetia rigoroſè ſumpta, quia latè ſumpta; vt ex deffinitione de Prophetia tradita à Caſſiodoro deducit S. Gregorius homilia prima in Ezech. compræhendit tempus præteritum, præſens, & futurum, Prophetia de futuro eſt. *Ecce Virgo concipiet &c.* De præterito. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.* De præſenti ſic. Ioannes Baptiſta Propheta fuit, quia Chriſtum Mundo incognitum manifeſtauit. *Ecce Agnus Dei, ecce &c.* Ergo ſubdit idem S. Gregorius. *Propheta dicitur; non quià prædicit futura, ſed quia prodit occulta;* hoc eſt, quæ vni ſunt aperta, viſa, aut ſcita, fieri poteſt, vt alijs ſint oculta; dicitur ergo Prophetia ſtrictè ſumpta, quia hac ratione Prophetæ vocantur videntes, & prçuiſores; & prophetia viſio. Vndè S. Baſilius præfat. in Iſai. Prophetæ dicti ſunt videntes, quia futura tanquàm præſentia conſpiciunt.

Dicitur diuina, quia ſolus Deus futura contingentia certò præſcire, & præſignificare poteſt. Dicitur futurorum contingentium euentus; ideſt actuum, dependentium a voluntate futura Angeli, vel hominis; hæc enìm ſola propriè ſunt contingentia; alia verò naturalia, quæ Phyſici vocant contingentia, vt pluuiæ, eſtas, frigus, tempeſtas, & huiuſmodi, cum pendeant a cauſis naturalibus determinatis; hinc poſſunt etiam præcognoſci ab Angelis, & à peritis Aſtronomis; Dicitur certa, & immobili veritate ad differentiam prophetiæ comminatoriæ cuiuſmudi fuit iila Ionæ Niniuitis prædicta quæ dicitur etiam conditionata, quia ſublata conditione, per pœnitentiam, ſublatum etiàm fuit flagellum &c. Dicitur præuidens, quià vt docet D. Athanaſius. Prophetę futura tamquàm præſentia videbant, & quę videbant, fieri erat neceſſe, ſi enìm aliter facta fuiſſent, non fuiſſent Prophetæ.

Dicitur prçnuncians. Propheta enìm propriè eſt non qui futura cognoſcit, ſed qui ea prçnunciat. Vnde Propheta latinè eſt idem ac præfor, præloquor, prædico.

Quęres primò. Quotuplex eſt Prophetia.

Reſp. cum D. Thoma 2. 2. q. 174. art. 2. 3. & alijs Theologis eſſe duplicem, intellectualem, & ſenſibilem, ſeù immaginariam, Prima eſt, quę oritur immediatè per lumen

infu-

infuſum intellectui, & per ſpecies intellectuales, de nouo inditas, vel per exiſtentes, & diuina virtute applicatas ad aliquam ſupernaturalem apprehenſionem, vel conceptionem faciendam. Senſibilis, ſeù immaginaria dicitur non quod ad intellectum non pertingat, ſed quia fit primò, & primariò per ſenſibilem, vel immaginariam aliquam repręſentationem, ex qua oritur, mentis conceptio. Prior eſt perfectior poſteriori; quia illa eſt abſtractior, & ſpiritualior; ideòque à ſolo Deo fit; iſta verò etiam ab Angelo, ſiue bono, ſine malo fieri poteſt.

Quęres 2. Quot ſunt genera Prophetię.

Reſp. ex Iſidoro lib.7. Etymol. c.8. quod ſunt ſeptem. Primùm eſt Extaſis, quod eſt mentis exceſſus; ſicùt vidit Petrus vas ſubmiſſum de cœlo cum varijs animalibus. 2. eſt viſio; ſicùt Iſaias dicit. Vidi Dominum ſedentem. 3. eſt ſomnium: ſicùt Iacob dormiens, vidit ſcalam. 4. eſt per nubem; ſicùt ad Moyſen loquebatur Dominus. 5. eſt vox de cęlis; ſicùt ad Abraham dixit Deus. *Ne mittas manum in puerum*. 6. eſt accepta parabola; vti contingit Balaam num. 23. Septimum eſt repletio Spiritus Sancti ſicùt penè apud omnes Prophetas Sanctos; Quidàm enìm prophetantes prophetias diſertè concipiebant, & enuntiabant, ſed quidam ignorabant, ſe prophetare, hoc modo prophetauit, Aſina Balaam, & Caiphas Pontifex prędixit mortem, & reſurrectionem Chriſti, quam tamen non agnouit.

Quęres 3. Vtrum Prophetę prędixerint futura non ſolum verbis, ſed etiam factis.

Reſp. Factis quoquę prophetaſſe; vt cum Iſai. nudus inceſſit c.20. prędixit ſpoliationem, & nuditatem Ægypti, & Ætiopię; cum Hieremias vincula, & compedes collo geſtauit prędixit captiuitatem Babilonicam, & cum Ezechiel trecentis nonaginta diebus in vno latere cubauit, ac firmum Bouum comedit; vt habetur c.4. prędixit obſidionem, & famem Hieroſolymę. Et hęc ſufficiant pro complemento huius materiæ. Qui plura deſiderat, conſulat Commentaria, & Commentatores Sacræ Scripturæ.

✠ ✠ ✠ ✠
✠ † ✠

TRACTATVS PRIMVS
DE DEO VNO
DISPVTATIO PRIMA
De Dei exiſtentia, & ſingularitate.
QVÆSTIO I.
Vtrum Deum eſſe, ſeu exiſtere ſit per ſe notum?

NOt. 1. Quòd nomen Dei in Sac. Scriptura tribuitur pluribus rebus ob aliquam perfectionem in illis repertam; ſiuè talis perfectio ſit vera, ſiuè apparens. Primò ſumitur denominatiuè vt in pſal.95. *Omnes Dij Gentium Demonia*. 2. Adoptiuè, vt in pſal.81. *Ego dixi Dij eſtis*; & ſic quilibet electus, Dei filius dici poteſt. 3. Dignificatiuè, vt Exod.32. *Dijs non detrahes*. 4. Poteſtatiuè, vt Exod.3. vbi Deus conſtituit Moyſem Deum Pharaonis. 5. deprauatiuè, vt Philip.3. *Quorum Deus venter eſt*. 6. tandem propriè, quatenùs conuenit illi ſupręmo enti, quòd verè, & propriè Deus eſt; & ita deſcribi, ſeù definiri poteſt Deus eſt eſſentialitèr ſubſtantia infinita ſpiritualis, intellectualis, viuens &c.

Not.2. Quòd propoſitio per ſe nota eſt ea, quæ, vt docet Scot. eſt euidens ex terminis apud quemcumque intellectum terminos diſtinctè concipientem; nequè per aliam propoſitionem, quæ ſit prior, probari poteſt. Alitèr autem diſcurrunt Thomiſtę; dicunt enim propoſitionem per ſe notam, talem dici per reſpectum ad intellectum; Vndè eadem propoſitio, quę erit per ſe nota vni, non erit per ſe nota alteri intellectui; Quarè ſapientes in dubbium reuocare non poſſunt hanc propoſitionem, Deus eſt; quàm, uis inſipiens dixerit in corde ſuo, non eſt Deus; ideò concludunt, eſſe propoſitionem per ſe notam ſapientibus, non autem inſipientibus.

Not.3. Quòd Deus non poteſt à nobis concipi concep-

tu proprìò, & quidditatiuo; ſed vel ſub aliquo conceptu communi Deo appropriato, vel ſub aliquo conceptu proprio; ſed inadęquate, & confusè; vt cùm dicimus Deus eſt ens, Deus eſt ſubſtantia; Deus eſt ens infinitum, omnipotens, neceſſarium &c.

I. Conc. Deus eſt, ſeù exiſtit eſt propoſitio per ſe nota. Eſt Scoti in 1. d. 2. q. 2. & Thomiſtarum. Prob. Illa propoſitio eſt per ſe nota, in qua prędicatum eſt de eſſentia ſubiecti; ſed in hac propoſitione Deus eſt exiſtens, prędicatum eſt de eſſentia ſubiecti, ergo &c. Prob. 2. Illa dicitur propoſitio per ſe nota, quę ex terminis ſuis cognitis habet euidentem veritatem, quęque eſt immediata, & in primò modo dicendi per ſe, ſed hęc propoſitio Deus eſt exiſtens, eſt huiuſmodi, ergo &c.

II. Conc. Deus eſt, quatenùs concipitur à nobis Viatoribus non eſt per ſe nota. Ità Scot. in 1. d. 2. q. 2. Prob. Per hanc propoſitionem Deus eſt, concipimus Deum, vel vt ens infinitum, vel neceſſariò exiſtens, vel vt ſummum bonum, vel vt primum principium, & cauſam; ſed ſub nullo horum cōceptuum notum eſt per ſe Deum exiſtere, ergo &c. maior eſt certa, min. prob. à Scoto tribus rationibus. 1. Conceptus, qui ſunt demonſtrabiles à priori non ſunt per ſe noti; ſed tales conceptus ſunt huiuſmodi, ergo &c. Prob. min. Poſſunt demonſtrari à priori per Diuinam exiſtentiam, tanquàm per aliquid à quo emanant, ergo ſunt demonſtrabiles à priori. Prob. ant. Omnis proprietas, aùt modus rei demonſtrari poteſt per eſſentiam, à qua emanat; ſed tales conceptus, quos habere poſſumus de Deo ſe habent per modum proprietatis, ſeù modi; ergo demonſtrari poſſunt per exiſtentiam, quę Deo eſſentialitèr competit, vt dicetur inferiùs. Secundam rationem Scoti omitto, ne ſim prolixus nimìs, & pono tertiam, quæ eſt huiuſmodi. Nihil poteſt eſſe notum de conceptu, ſeù de ente non ſimplicitèr ſimplici, hoc eſt, qui includit varios conceptus, niſi ſit notum, illos conceptus inter ſe vniri; non enìm poteſt eſſe notum, quod homo irrationalis ſit animal, niſi ſit notum, quod detur homo irrationalis; imò oppoſitum eius notum eſt; ſed pro hoc ſtatu nullum habemus conceptum de Deo, qui ſit ſimplicitèr ſimplex; alius enìm eſt conceptus entis, alius infiniti, alius cauſę, alius primę cauſę, ergo &c.

 Arg.

Arg. cont. 2. conc. Illa cognitio eſt per ſe nota, quæ à natura nobis inſeritur, ſed talis eſt cognitio Dei exiſtentis, ergo &c. maior de ſe patet, quià non aliundè prima principia cognitionis dicuntur eſſe per ſe nota, niſi quia illorum veritatem percipimus ex ſolo lumine naturali, abſque alio diſcurſu.

Reſp. diſting. mai. Si à natura nobis inſeritur diſtinctè, & neceſſaria appareat eorum connexio conc. mai. ſi confusè, & euidentèr non appareat terminorum connexio, neg. mai. & ſic paritèr ad min. reſp. Nàm termini huius propoſitionis, Deus eſt, ſolùm confusè percipiuntur; nec eorum connexio euidentèr apparet; ac proindè, eſtò, natura docente pateat iſta propoſitio, Deus eſt, tamen non eſt per ſe nota eo modo, quo ſuperiùs explicatum manet. Vel dic à poſteriori, non verò à priori.

Cont. Nobis eſt per ſe notum, quod exiſtat id, quo maius excogitari non poteſt; ſed Deus eſt id, quo maius excogitari non poteſt, ergo &c. mai. patet ex D. Anſel. qui hoc vnico argum. vtitur ad demoſtrandam Dei exiſtentiam; tùm quia oppoſitum prędicati repugnat ſubiecto.

Reſp. diſting. mai. Si per ſe notum intelligatur id, quod facilè probari poteſt conc. Si verò intelligatur id, quod eſt notum ex terminis, quatenùs intellectis terminis neceſſariò intelligatur, & euidentèr terminorum connexio, neg. mai. Vndè D. Anſel. voluit eſſe per ſe notum primò modo, non autem poſteriori modo; propoſitio namque per ſe nota nulla indiget probatione. Vel dic à poſteriori, non verò à priori mai. eſſe veram.

Arg. 1. Per ſe notum eſt veritatem exiſtere, ſed Deus eſt veritas, ergo &c. mai. videtur euidens. Vel enim certò conſtat veritatem eſſe, & ſic habetur intentum, vel certò conſtat eam non eſſe; ac proinde eſſet veritas, quod veritas non exiſteret, & ſic exiſtentia veritatis colligitur ex veritatis negatione.

Reſp. Scot. in argumento comitti fallaciam conſeq. arguitur enim à communi ad ſpeciale, ſeù particulare. Vndè ſicùt non ſequitur animal exiſtit, ergo homo exiſtit, ità non valet in propoſito noſtro, datur veritas in communi, ergo datur Deus; quia Deus eſt veritas non in communi, ſed determinata, ideſt ſingularizata,

Arg. 3. Aliquæ propoſitiones, quorum prędicati connexio cum ſubiecto eſt tantum neceſſaria ſecundum quid, ſunt per ſe notæ, ergo multo magis propoſitiones, quarum prædicatum dicit connexionem neceſſariam ſimplicitèr cum ſubiecto, qualis eſt propoſitiò, Deus eſt; ergo iſta eſt per ſe nota. Mai. patet, quia hæ propoſitiones, omne totum eſt maius ſua parte, homo eſt animal rationale, & ſimiles, habent connexionem ſecundum quid, & ex hypoteſi, quod exiſtant; ſecùs autem de Deo.

Reſp. neg. 1. conſ. & ratio eſt, quia termini huius propoſitionis Deus eſt, quàmuis ſint per ſe noti, tamen nobis pro ſtatu iſto non innoteſcunt, ac proindè non poſſunt euidentèr mouere noſtrum intellectum. Termini verò propoſitionum habentium neceſſariam connexionem ſecundum quid euidenter innoteſcunt nobis; ideòque talis propoſitio eſt nobis per ſe nota.

Arg. vltimò. Scot. q. cit. impugnata ſententia D.Thomæ aſſerentis, propoſitionem per ſe notam diuidi in propoſitionem notam in ſe, & in per ſe notam nobis; concludit, quod quæcunque propoſitio nota in ſe eſt etiam nota cuicunque intellectui, ſed ex prima conc. conſtat hanc propoſitionem Deus eſt, eſſe per ſe notam; ergo erit nota per ſe etiam nobis.

Reſp. conced. totum diſcurſum Scoti, ad cuius mentem etiam nos dicimus, propoſitionem per ſe notam, eſſe per ſe notam nobis, ſi terminos talis propoſitionis diſtinctè perciperemus, quia verò eos comprehendere non poſſumus, ideò non eſt nobis per ſe nota. Itaque ſi terminos propoſitionis, Deus eſt, diſtinctè, & adęquatè intelligeremus, conſequentèr eſſet nobis nota.

QVÆSTIO II.

Vtrum ex fide, & euidenti ratione conſtet Deum eſſe.

NOt. Quòd, licet hæc quæſtio hominibus catholicis ſuperflua videri poſſit, vt potè reuocans in dubium ipſam veritatem, nihilominùs, quemadmodùm inſtituitur diſputatio de alijs, quæ ſunt per fidem certiſſima, non ob aliam rationem niſi vt veritas magis eluceſcat; vtque

fortiùs conuinci poſſint omnes ij, qui vel ad Atheiſmum, vel ad Polytheiſmum accedunt; ità ob eundem finem præſens quæſtio mouetur. Multi enìm hodie reperiuntur, qui cernentes tot ſectas Religionum, veræque Religionis fundamenta non penetrantes, totum Religionis negotium habent pro ſuſpecto, imò pro fabuloſo; ac proinde vitam improbam ducunt, quibus vltimò fauet Machiauellus. Cùm igitur exiſtentia Dei nobis non ſit euidens, inueſtigandum eſt, ex quo capite oſtendi poſſit.

I. Conc. Deum eſſe, nobis conſtat ex fide, ſeù diuina reuelatione. Prob.auct.Sac.Script. & præcipuè ex Apoſt. ad Hæbr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum; quia eſt.* Vndè hic articulus fidei eſt veluti fundamentum cæterorum. Quia teſtimonium Dei, quod eſt motiuum credendi articulis reuelatis, ſupponit Deum eſſe; quia ſi non eſſet, neque teſtimonium haberetur reuelatorum; ergo &c.

II. Conc. Deum eſſe, nobis conſtat etiam ratione naturali; eſt de fide, & prob. Sapient. c.13. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibilitèr poterit Creator horum videri*, & Apoſt.1. ad Rom. *Inuiſibilia Dei à Creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas*

Accedunt etiam rationes Ss. PP. quibus probant eandem conc. Audiamus pro omnibus D. Auguſt. ſerm.55. de verbis Domini, vbi ait. *interroga mundum, interroga omnia, & vide, ſi non ſenſu ſuo tibi reſpondeant Deus fecit nos.*

III. Conc. Ratio euidens, ſeù demonſtratiua, qua probatur Deum exiſtere eſt à poſteriori. Ità Scot.1. d.12. q.2. & alij communitèr. Prob. Exiſtentia Dei non poteſt demonſtrari per cauſam phyſicam; talis enim non datur; neque per cauſam metaphyſicam, quia in Deo nil reperitur priùs exiſtentia; ex quo exiſtentia tanquam paſſio emanare poſſit. Imò quàmuis eſſet proprietas emanans ab aliquo priori in Deo, non tamen poſſet à nobis demonſtrari à priori, quod cónueniat Deo; cuius pro ſtatu iſto non habemus conceptum quidditatiuum, ergo à primo ad vltimum Dei exiſtentia demonſtrari non poteſt, ac proindè demonſtratio erit ſolum à poſteriori, quæ formari poteſt ex pluribus capitibus. Vndè Scot. loc. cit. ſeptem rationes ad probandam Dei exiſtentiam adducit. Quarum

aliquas adducemus in ſequenti quæſtione, vt maiori claritate explicentur.

Arg. cont. 2. conc. auct. D. Auguſt. lib. 10. confeſs. c. 5. vbi ſic loquitur. *Quod de me ſcio, te mihi lucente ſcio*, & c. 16. docet *Cœlum, & Terram ſurdis loqui niſi Deus altiùs miſertus fuerit*; ergo ſine Dei auxilio ſpeciali, Dei notitia haberi non poteſt, ergo &c.

Reſp. in prima auct. D. Aug. loqui de luce, ſeù de lumine naturali intellectus; per quod intelligimus ea, quæ in nobis ſunt, quod lumen eſt à Deo; in poſteriori ſolùm indicat, fruſtra clamare creaturas ad creatorem in ordine ad amandum, & glorificandum, ſicùt oportet; niſi altiùs Deus miſereatur, ità reſpondet Herincx.

Arg. 2. Quòd eſt diſſimile ab aliquo non poteſt ducere in eius cognitionem, ſed creaturę ſunt diſſimiles à Creatore, ergo &c. Reſp. neg. mai. Quià diſſimile mediante diſcurſu ſępè ducit in cognitionem diſſimilis; & maximè, quando diſſimile conuenit cum alio in ratione aliqua ſaltèm tranſcendentali, vti creatura ſe habet in ordine ad Deum. Adde etiàm, diſſimile cognitionem diſſimilis pręſtare, vt ex effectu cognoſcitur cauſa equiuoca, ex opere externo Artifex &c.

Arg. cont. 3. conc. Nempe quod rationes ſint demonſtratiuæ à priori auct. Scoti, qui d. 2. q. 2. videtur docere Deum conceptum, ſub ratione entis infiniti, aut ſimili poſſe demonſtrari à priori per ipſam Deitatem, ergo poſſunt dari rationes demonſtratiuę de exiſtentia Dei.

Reſp. Scotum velle, poſſe demonſtrari per Deitatem, Deum conceptum ſub ratione entis infiniti ab habentibus conceptum definitiuum, ſeù proprium Deitatis; non verò à nobis, qui talem conceptum pro ſtatu iſto habere non poſſumus.

QVÆSTIO III.

Quibus rationibus demonſtrari poſſit Deum exiſtere.

MVltæ, & variæ ſunt rationes, quibus à poſteriori demonſtrari poteſt Dei exiſtentia; quarum aliquæ ex principijs metaphyſicis, aliæ ex phyſicis, aliæ ex moralibus deſumuntur; At cum omnes adducere in medium, eſſet

ſet nimis longa diſputa tio; idcircò efficaciores, & potiores ſolùm afferam. Vndè pro maiori intelligentia.

Not: Quòd vt diximus etiàm in Phyſica, agendo de concurſu cauſæ primæ cum cauſa ſecunda, cauſæ ſunt duplicis ordinis; aliæ ſunt ſubordinantes; ideſt non nullas cauſas ſub ſe continentes; aliæ verò ſunt ſubordinatæ. Subordinari verò alteri poteſt eſſe dupliciter, vel per ſe, vel per accidens. Cauſa ſubordinata per ſe dicitur illa, quæ vt docet Scot. 1. d 2. q. 2. habet tres conditiones. 1. quod iſta dependeat à ſubordinante, vt ſine ea, nec eſſe, nec operari valeat, ſic creatura dicitur ſubordinari Creatori. 2. quod habeat cauſalitatem diuerſæ rationis à cauſa ſubordinante; quia nulla cauſa requirit neceſſariò, & eſſentialitèr aliam cauſam, quæ ſit eiuſdem rationis cum ſe ipſa. 3. quod omnes cauſæ eſſentialiter ſubordinantes debent neceſſariò concurrere ad effectum ſimùl cum cauſa, quæ ſubordinatur, ac proinde ſimùl cum illa debent exiſtere. Hinc Scot. loc. cit. docet in tribus differre cauſas eſſentialiter ſubordinatas à cauſis accidentaliter ſubordinatis. 1. quod in cauſis per ſe ordinatis cauſa ſecunda in quantùm cauſat dependet à prima; in per accidens ordinatis non; licet in eſſe, vel in aliquo alio dependeat. 2. quod in per ſe ordinatis eſt cauſalitas alterius rationis, & alterius ordinis, quia cauſa ſuperior eſt perfectior, in accidentaliter ordinatis non; & hæc ſequitur ex prima; nàm nulla cauſa à cauſa eiuſdem rationis dependet eſſentialiter in cauſando. 3. quod omnes per ſe ſimul requiruntur neceſſariò ad agendum, aliter per ſe aliqua cauſalitas deeſſet effectui: in accidentaliter autem non ſic, quia non requiritur ſimultas cauſarum in cauſando; ex quibus conditionibus infertur deſcriptio vtriuſque cauſæ, & eſt huiuſmodi. Cauſæ eſſentialiter ordinatæ ſunt illæ, quarum poſterior dependet à prima in cauſando; nec vllo modo poteſt agere circumſcripta prima; & ſic omnis cauſa ſecunda ſubordinatur Deo. Cauſæ accidentaliter ſubordinatæ ſunt, quarum poſterior non dependet eſſentialiter à prima, ſed accidentaliter; ſic v. g. filius in humanis dependet à Patre in eſſe, non autem in operari.

Conc. Plures ſunt rationes metaph. quibus demonſtrari poteſt exiſtentia Dei, & maximè tres, quæ inter alias à

Scot. adducuntur in 1. d. 2. q. 2. Prima igitur ratio deſumitur ex eo quod ſit prima cauſa efficiens. Datur ens effectibile, ſeù producibile, ergo datur cauſa producens, ſeù potens producere ens producibile; Prob. conſ. Omne, quod producitur, aut producitur à ſe, aut ab alio, non primum, quia vt dicit D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 1. *Nulla omninò res eſt, quæ ſe ipſam gignat vt ſit*, alioquin eſſet, antequàm eſſet, quod dicit contradictionem, ergo ab alio; ſed non poteſt produci ab alio, & ab alio in infinitum; ergo ſiſtendum eſt in aliqua prima cauſa efficiente, ergo &c.

Prob. min. quam ſoli Athæi negarent. Si daretur proceſſus in infinitum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis, ſequeretur nullam cauſam poſſe agere, quin infinitæ cauſæ numero coagerent, à quibus in agendo dependerent; & ſic requireretur tempus infinitum antequam poneretur actio; quia oportet, quod vna cauſa determinaret aliam, & alia aliam, quo nihil abſurdiùs, ergo &c. Nequè admitti poteſt proceſſus in infinitum in cauſis accidentaliter ſubordinatis, quin admittatur Deus, ſeù prima Cauſa.

Prob. Omne ens, vel eſt factum, vel non eſt factum, ſed omnia entia non ſunt facta; ergo eſt aliquod ens non factum; at hoc eſt Deus, ergo &c. mai. patet, quia eſſet factum, & non factum, quod dicit contradictionem: min. prob. Si omnia eſſent facta, fieri debuiſſent vel à ſe, vel ab alio; non quidem à ſe, quia nihil producit ſe ipſum, nec ab alio omnia ſunt facta; quia illud aliud eſſet productum, ergo ab aliquo improducto, ac proinde nequit dari proceſſus in infinitum in cauſis accidentaliter ſubordinatis quin admittatur prima cauſa, quæ eſt Deus.

II. Ratio deſumitur à fine vltimo. Datur vnicus finis vltimus, ergo datur Deus: prob. ant. Etenim, vel vnus eſt vltimus finis, vel fines ſunt numero infiniti; ſed non ſunt numero infiniti, ergo eſt vnicus finis vltimus: mai. patet, quia ſi nullus aſſignetur finis vltimus, ſequitur neceſſariò quod ſint innumerabiles, ac proinde infiniti. Prob. min. Si eſſent infiniti fines deberent cognoſci, vt appeterentur, appetitus namque elicitus non fertur in incognitum; ſed ab hominibus infiniti fines non poſſunt cognoſci, quia vel cognoſcerentur ſimùl, vel ſucceſſiuè; non primum, quia

intellectus creatus eſt finitus, nec ſecundum,quia ſi eſſent infiniti fines, appetitus noſter nunquàm poſſet tot frui, quin multò plures remanerent fruibiles: ſed falſum eſt noſtrum appetitum nunquam poſſe quieſcere, & ſatiari;cum natura nil agat fruſtra, ergo &c.

Prob. vlteriùs. Si eſſent infiniti fines, ergo nullus eorum eſſet finis, ſed hoc eſt manifeſtè abſurdum, ergo &c. Prob. ſequela mai. Vbi omnia ſunt media nullus eſt finis; ſed ſi eſſent infiniti fines, omnes fines intermedij eſſent media, quia ad alium vlteriorem finem ordinarentur: ergo nullus eorum diceretur finis, aùt eſſet; Sicut enim omnia producta debent habere vltra collectionem productorum aliquod primum improductum, ita pari ratione omnes fines ordinari debent ad vnum vltimum finem.

III. Ratio deſumitur ab ente neceſſario ſic. Admittendum eſt in rerum natura aliquod ens neceſſarium,quod eſſentialitèr, & indipendentèr exiſtat; ſed illud eſt Deus, ergo &c. mai.prob. Si non detur aliquod ens neceſsarium, & eſsentialiter exiſtens, ſequitur, quod omnia entia, quæ ſunt in rerum natura ſint contingentia,ſed hoc eſt falſum; ergo &c. mai. patet. Etenim ſi quidquid exiſtit, non eſt contingens, oportet, vt alterum ſit neceſsarium, vel vt aliquod ſit neceſſariò exiſtens: min. prob. Nàm ſi omnia entia, quæ ſunt in rerum natura ſint contingentia, ſequitur fieri potuiſſe, vt ab æterno nullum ens exiſteret: ſed conſequens eſt falſum, ergo & ant. Si fieri potuit, vt ab æterno nihil exiſteret,ergo oportuit dare aliquid; per quod totum, quod fuit, determinaretur in tempore ad exiſtendum; indeterminatum namque ad exiſtendum debet determinari, vt exiſtat; ſed totum quod fuit, non potuit ſe ipſum determinare ad exiſtendum; ergo nihil fuit, per quod totum illud determinaretur ad exiſtendum: ergo à primo vſque ad vltimum, falſum eſt,omnia entia eſſe contingentia, ac proinde admittendum eſt aliquod ens neceſſarium, quod nomine Dei intelligitur. Itaque per rationes allatas remanet demonſtratum ſaltem à poſteriori, dari aliquod ens ſimplicìter primum ſecundùm rationem cauſæ efficientis, cauſę finalis, & entis neceſſarij, & ſupereminentis; & tale ens primum hac triplici primitate eſt etiam primum ſecundum omnes alias primitates, nempè

primum

primum in duratione, dignitate, imperio, ſapientia, potentia &c.

Cæterùm rationes phyſicæ ad probandam Dei exiſtentiam deſumuntur ex vniuerſa mundi fabrica, ex præcipuis illius partibus, & præſertìm ex homine, qui eſt omnibus nobilior. Rationes verò morales ſunt multæ, ſed potiores cenſentur ſequentes. Prima, quod à conſcientia hominum impiorum non poſſit abradi timor Dei. Secunda, quod ex negatione Dei perit virtutis præmium, & augentur ſcelera; denique quod apertæ inſaniæ, & inſanientis mentis eſt, aſſerere contra totius orbis conſenſum, Deum non eſſe.

Arg. 1. probando, quod Deus non ſit. Quicquid eſt, a nobis poteſt intelligi, ſed Deum eſſe à nobis nequit intelligi, quia nihil eſt in intellectu quin priùs fuerit in ſenſu ex Ariſt. 3. de Ani. ergo Deus non eſt. Reſp. diſting. mai. quicquid eſt poteſt intelligi à nobis aliqualitèr, hoc eſt, ſecundùm conceptum communem, & confuſum, concedo maiorem: diſtinctè, hoc eſt, ſecundùm conceptum proprium Deitatis, nego mai. & ſic dicitur ad minorem. Ad Ariſtotilem dicitur ipſum loqui vel mediatè, vel immediatè in ſenſu; nàm certum eſt noſtrum intellectum ſua virtute diſcurſiua poſſe plura intelligere, & componere, quæ non fuerunt in ſenſu immediatè.

Arg. 2. ex Ariſt. 2. metaph. t. 11. Infinitas non contingit cognoſci; ergo Deus ſi eſſet, non poſſet cognoſci, quia eſſet infinitus. Reſp. Ariſt. loqui de infinito extenſiuo, & ſyncathegorematico, non verò de infinito intenſiuo, cuiuſmodi eſt Deus.

Arg. 3. Non datur aliqua infinita cauſa prima, quia Ariſtot. 8. Phyſ. ait, quod infinitas eſt poſſibilis in cauſis aſcendendo, ergo &c. Reſp. neg. ant. Ad Ariſt. dicimus intelligi debere de cauſis per accidens, ſeù accidentalitèr ordinatis, non autem de cauſis eſſentialitèr ordinatis, cum quo ſtat quod detur prima cauſa productiua cauſarum per accidens, vt ſupra diximus.

Arg. 4. Si eſſet Deus, ergo nullum malum eſſet, ſed datur malum: ergo non datur Deus: mai. patet, quia bonum infinitum formalitèr opponitur formalitèr malo, & virtualitèr bonum infinitum deſtruit omne malum effectiuè;

nè; ſicùt, ſi Sol eſſet infinitè calidus, deſtrueret omne frigidum. Reſp. diſting. conſ. maioris; nullum malum eſſet oppoſitum ſummo bono conc. non enim eſt ex oppoſito aliquod ſummum malum, vt Manichæi ſtultè ſomniarunt; nullum malum eſſet moralitèr; & ſic nego; Deus namque ſicùt condidit hominem liberum, & reliquit eum in manu conſilij ſui, vt habetur Eccleſ. cap.15. ſic permittit tamquam cauſa vniuerſalis aliquod malum, quod quidem malum ſua infinita prouidentia ordinat ad bonum, vt latè in diſp. de Prouidentia Diuina oſtendetur.

Arg. 5. Omnia entia ex ſe habent eſſe; ergo omnia ſunt ex ſe. Prob. ant. eſſentię omnium rerum ſunt entia neceſſaria ex ſe, & exiſtentia eſt modus emanans ab eſsentia; ergo non datur prima cauſa, ac proinde non datur Deus.

Reſp. neg. ant. & diſting. ant. probationis! Sunt entia neceſſaria ſecundum quid, concedo: ſunt entia neceſsaria ſimplicitèr, nego; ſolus namque Deus eſt ens neceſsarium ſimplicitèr, ſed de hoc alibi erit ſermo.

QVÆSTIO IV.

Vtrum exiſtentia, & ſingularitas ſint de eſſentia formali Dei.

NOt. 1. ex Scot. in 1. d. 8. q. 3. Quod alio modo phyloſophandum eſt de exiſtentia in ordine ad creaturas, & alio modo in ordine ad Deum. Nàm creatura cum ſit ens finitum, & limitatum, & contingens eſt in potentia ad exiſtendum; ac proinde exiſtentia eſt modus ipſius eſſentiæ, ſeù rei; & eſt veluti actus perficiens ipſam, non quidem intrinſecè, ſed extrinſecè. Verùm Deus cum ſit ens infinitum, & neceſsarium identificat ſibi omnem perfectionem, & per conſequens nequit intelligi eſſe in potentia ad aliquam perfectionem recipiendam; & tantò minùs ad exiſtentiam; nam implicat concipi Diuinam eſsentiam priùs in ratione eſsendi, & deinde in ratione exiſtendi per exiſtentiam ab illa reſultantem.

Not.2. Quòd per ſingularitatem intelligimus vnitatem, ſeù hæcceitatem; quæ quidem hæcceitas, ſeù differentia indiuidualis in creaturis eſt vltima realitas rei, ſiuè

ſubſtan-

ſubſtantialis, ſiue accidentalis, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis, qua mediante redditur formaliter indiuidua natura communis, cui talis hæcceitas aduenit; & quàmuis de formali dicat negationem diuiſionis, indiuiduum enim eſt indiuiſum à ſe, & diuiſum a quocunque alio, attamen de materiali dicit entitatem, ſeù realitatem poſitiuam, per quam res dicitur indiuidua. Vnde Deus, ſeù eſsentia D. nullo modo concipi poteſt vt contrahibilis per differentiam indiuidualem, quia cum maxima imperfectione conciperetur: ſic enim eſsentia Diuina conciperetur contrahibilis, vt eſsentia hominis in communi per differentias indiuiduales; quod maximam dicit imperfectionem.

I. Conc. Exiſtentia eſt de eſſentia Dei. Ità Scotus in 1. diſt.2. q.2. & alibi, quam concluſionem tenent communiter Scotiſtæ contra paucos alios Scotiſtas, exiſtimantes iuxta mentem Scoti, exiſtentiam diſtingui ſaltem modalitèr à Diuina eſsentia. Prob. conc. primò ex Sac. Scriptura Exod. cap.3. vbi Moyſi quærenti nomen Dei, reſpondit Deus. *Ego ſum, qui ſum, hæc dices filiis Iſrael. Qui eſt miſit me ad vos.* Vnde D. Athanaſ. Epiſt. ad Orthodoxos de Synodis ait. *Cum audis Ego ſum, qui ſum, non aliud quippiam, ſed inconprahenſibile eius, qui eſt, eſsentiam intellige*; & idem orat. contra Gentes ait. *Dei ratio eſt ipſum eſſe*; & ita tradunt omnes SS. Patres, quos videre eſt apud Recentiores.

Prob. ratione. Prima ratio diſtinctiua Dei à creatura eſt, vt paſſim docent Theologi, quod ſit ens per eſsentiam, non ſolum quatenùs eſt à ſe, & ex ſe, ſed etiam quatenùs ex ſui ratione intrinſeca eſt realiter exiſtens: creatura autem non habet eſſe per eſsentiam, ſed per participationem, neque exiſteret, niſi à cauſa extrinſeca efficienti poneretur in eſse, ergo diuina exiſtentia eſt de eſsentia Dei.

Prob.2. Exiſtentia compètit Deo in primo modo dicendi per ſe, ergo eſt de eſsentia Dei: ant. prob. Si exiſtentia non eſset in primo modo dicendi per ſe reſpectu Dei; ſequeretur quod Deo competeret exiſtentia à priori per aliam cauſam; vel quod exiſtentia emanaret ab ipſa eſsentia, tanquam a principio emanatiuo; primum dici nequit, quia Deus eſt prima cauſa, neque ſecundum, quia, quod non eſt actu ens, non poteſt eſse principium emanatiuum dans eſse, ſeù actualitatem; & ſic eſsentia vel eſt actu exi-

ſtens

ſtens ante exiſtentiam; quod implicat contradictionem; vel nequit eſse principium emanatiuum exiſtentiæ; ergo eſsentia Dei ex ſe eſt quidditatiuè exiſtens.

Prob. 3. Illud prædicatum eſt de eſsentia alicuius, ſine quo non poteſt concipi, nec eſse in porentia ad illud; ſed eſsentia Dei nequit concipi in potentia ad eſse, quia nullum eſt agens actu, a quo reducatur ad eſse, ergo non diſtinguitur exiſtentia a Diuina eſsentia, ſed eſt de eſsentia eius.

II. Conc. Deus eſt eſsentialitèr, & quidditatiuè ſubſtantia ſingularis, nec vllo modo ſingularitas, ſeù hæcceitas diſtinguitur ab eſsentia Diuina. Ità Scot. in 1. d. 4. q. 2. vbi dicit. Deitas eſt de ſe hæc; nec ſibi contradicit d. 8. q. 3. ſ. ſed ſaltem quæres, dicendo, quod quaſi per priùs intelligatur aliquo modo infinitas eſse modus entitatis per eſsentiam, quàm ipſa intelligatur eſse hoc. Non enim vult ibi Scot. quod ſicut infinitas non eſt de eſsentia Dei; ſic neque eſse hoc, quod indicat intelligi poſteriùs, ſed ſolum vult, priùs ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum concipi Deum ſub infinitate, quàm ſub ſingularitate.

Prob. ratione. Etenìm, quod res aliqua ſit eſsentialitèr ſingularis, nil aliud eſt, quàm eſsentiam ipſius eſse de ſe hęc abſque vlla formalitate ſuperàddita, indiuiduam, & numero non multiplicabilem, ſed hoc competit Deitati; ergo D. eſsentia eſt de ſe ſingularis; minor patet ex dictis.

Arg. contra 1. conc. Exiſtentia eſt communis Deo, & creaturis, vt docet Scot. in 1. d. 3. & 8. ſed in creatis exiſtentia non eſt idem formalitèr creaturæ: ergo nec etiam eſt idem formaliter D. eſsentiæ: mai. pat. Quia quod eſt commune pluribus, eſt eiuſdem rationis in illis; Vnde ſi exiſtentia eſt communis Deo, & creaturis, per conſequens eiuſdem rationis in illis erit. Reſp. ex Scot. in 1. d. 8. diſting. mai. Eſt communis Deo, & creaturis ſecundùm conceptum communem inadæquatum, & tranſcendentalem, conc. mai. Secundum conceptum adæquarum, ſeù prædicamentalem, adeòut in aliqua communi realitate conueniant, neg. mai. Contra eſsentia, & exiſtentia in ſuis conceptibus ſimpliciſſimis, & abſtractiſſimis non ſe includunt formalitèr, ergo in nulla re particulari poſsunt

inclu-

ſncludi, ac proindè nec in Deo. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ob rationem mox aſſignatam.

Contra. Si exiſtentia eſt de eſſentia Deitatis, ergo erit etiam de eſſentiali conceptu perfectionum attributalium, ſed hoc videtur abſurdùm; eſſet enìm ponere in Deo plures exiſtentias, ergo &c. Reſp. conc. ſequelam mai. Non enìm habemus pro abſurdo, quodlibet D. attributum habere ſuo modo exiſtentiam; immò rationabile cenſemus de mente Scoti, quodlibet attributum poſſidere propriam exiſtentiam, cum nil aliud ſit, quàm ipſa entis, vel formalitatis actualitas.

Arg. 2. Quæſtio an ſit Deus, diſtinguitur à quæſtione quid ſit, ſed per primam quæſtionem quæritur exiſtentia Dei, & per ſecundam eſſentia; ergo eſſentia, & exiſtentia in Deo diſtinguuntur. Reſp. diſting. mai. ex parte obiecti, neg. mai. ex parte intellectus noſtri inadæquatè concipientis, conc. Etenìm intellectus noſter, cum non poſſit peruenire ad conceptum diſtinctum Deitatis diſcurrit de Deo, quaſi eodem modo, quo diſcurrit de creaturis, in quibus diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia; immò nonnulli volunt, nec etiam in creaturis diſtingui exiſtentiam ab eſſentia, ſed eſſe ſolam eſſentiam actu poſitam.

Arg. 3. Scientia abſtrahit ab exiſtentia, ſed de Deo habetur ſcientia, ergo habetur ſcientia de eſſentia abſque exiſtentia; ſubſumo min. Sed a prædicatis in primo modo dicendi per ſe non fit abſtractio, ergo exiſtentia non eſt de eſſentia Dei. Reſp. diſting. mai. in creaturis, in quibus exiſtentia eſt contingens, conc. mai. in Deo, cuius eſſentia neceſſariò eſt; neg. mai.

Arg. 4. Exiſtentia probatur de Deo per infinitatem, vt videtur docere Scot. in 1. d. 2. q. 1. ſed infinitas per Scot. non eſt de eſſentia Dei, ergo tantò minùs exiſtentia, quæ ſequitur ex infinitate. Reſp. neg. aſſumptum. Nàm Scot. ibi non demonſtrat exiſtentiam Dei per infinitatem, ſed ens infinitum eſſe; vnde potiùs probat ipſam infinitatem, quàm per infinitatem probet aliquid aliud. Vel dic. Scot. probare per infinitatem exiſtentiam a poſteriori, non autem a priori.

Vtrum Deum eſſe vnum, nec plures eſſe Deos, ſit certum non ſolum ex fide, ſed etiam ex ratione euidenti.

NOt. Quòd deplorabilis fuit antiquorum Paganorum cæcitas; nàm teſte Cellio lib.22. cap.3. colebant tria millia Deorum, & trecentos Ioues. Radix autem Polytheiſmi, partim prouenit ex deprauatione naturæ humanæ in ſenſuum voluptatibus immerſæ, partim a fallacijs Dęmonum, qui ſemper conantur homines auertere a Deo vero, & diuinos honores ſibi procurare, partim a Principum impietate, partim ab Auaritia, & ambitione Sacerdotum, & partim a ſuperbia hominum diuinos honores affectantium; vnde pro Dijs paulatim habere cœperunt. Quibus cauſis addi poteſt permiſſio Dei relinquentis eos ſecundum deſideria praui cordis, & deprauatæ mentis in iuſtam eorum peſſimæ vitæ punitionem.

Conc. Non poſſe dari, nec eſſe, niſi vnum Deum, eſt fide certiſſimum; immò eſt euidens ratione naturali. Prima pars conc. patet ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & ſignanter Deuter. cap. 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum*, & cap. 32. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* & Marci 12. *Vnus eſt Deus & non eſt alius pratèr eum.* 2. pars eſt communis Principum Theologiæ, nempe Alenſis D. Bonau. D. Thomæ, & Scoti in 1. d.2. q.3. cont. Gugl. Varronem, Ocham, Maiorem, & quoſdam alios exiſtimantes, ſolum probabili ratione ſuaderi poſſe non dari plures Deos. Probat Scot. hanc partem ſeptem rationibus. Prima deſumitur ex infinito intellectu: 2. ex infinita voluntate. 3. ex infinita bonitate. 4. ex infinita potentia. 5. ex ipſa ratione infinitatis. 6. ex neceſſaria exiſtentia. 7. ex omnipotentia; nos autem tribus tantum potioribus contenti erimus. Prima igitur ſit ex parte Voluntatis. Voluntas infinita recta, & ordinata diligit quodcunque diligibile quantum eſt diligibile, & naturalitèr plus diligit eſſe ſuum, quàm eſſe alterius, cuius non eſt pars, nec effectus: ſed ſi eſsent plures Dij, quilibet Deus eſſet infinitum diligibile, & voluntas cuiuſcunque non æquè amaret omne tale diligibile: plùs enim diligeret ſe, quàm

quàm alios, ergo infinitè alterum non diligeret; nam in volitione infinita non habet locum plùs, & minùs circa diligibile infinitum; vel enim vtitur altero; & ſic voluntas vtentis eſſet inordinata; vel fruitur, & ſic eſſet beatus in duobus obiectis, quorum vno deſtructo, eſſet beatus in alio, quod repugnat, ergo vnus ſolus Deus.

II. Ratio ſit ex parte omnipotentiæ. Si eſſent duo, vel plures Dij, forent æquè omnipotentes: tunc ſi vnus illorum vellet producere aliquam creaturam, vel alter poſſet impedire illius creationem, vel productam deſtruere; ſi non, ergo non eſt dicendus omnipotens; ſi poſſet, ſequeretur alterum non eſſe omnipotentem; ergo &c.

III. Ratio ſit ex parte neceſſarij eſſe. Si poſsent multiplicari entia neceſsaria, & à ſe, ergo poſsent multiplicari in infinitum: ſed poſse, & eſse in Diuinis eſt idem, ergo de facto eſsent infiniti Dij, quod eſt falſiſſimnm: Prob. ſequela mai. Ex nullo capite poſset reſtringi ad numerum determinatum, ergo eſsent infiniti: ant. prob. non determinaretur à ſe, quia natura de ſe multiplicabilis eſt indifferens ad quemlibet numerum indiuiduorum, vt euenit in naturis creatis: non ab alio, quia ens neceſsarium, & à ſe nulli ſubeſt potentiæ productiuæ, quæ ipſum determinet ad certum numerum indiuiduorum: ſicut natura multiplicabilis in creatis determinatur ad certum numerum a potentia, & Voluntate Dei, nolens plura producere; ergo ſi poſſent eſſe plures Dij, forent infiniti; hinc Prudentius Poeta attingens hanc rationem deridebat pluritatem Deorum hoc carmine.

Sunt duo? ſunt. Igitur cur non ſunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello eſt?

Arg. cont. conc. ex Sacra Scriptura D. Paul. 1. c. 8. ad Corint. ſic ſcribit. *Sic quidem ſunt Dij multi*: & 2. ad Cor. c. 8. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium*, ergo plures Dij. Reſp. diſting. ant. Sunt plures Dij ſecundum Gentes, conc. ant. ſecundum veritatem neg. Itaque Apoſt. loquitur de Idolis, & ideo ſubdit ibi. *Nobis autem vnus eſt Deus*, quia omnes Dij Gentium Dęmonia; quæ dicuntur Dij huius ſæculi.

Arg. 2. Sicut Deus eſt, quo maius excogitari non poteſt; ita Dij ſunt, quibus maiora cogitari non poſſunt; ſed

 illa,

illa, quibus maiora cogitari non poſſunt, ſunt in re, quia maius eſt, quod eſt in re habens eſſe ſimpliciter, quàm habens eſſe in intellectu cogitante, ergo &c. Reſp. diſting. mai. Dij ſunt, quibus maiora cogitari non poſſunt ſine contradictione, neg. ma. cum contradictione conc. Certè Deus eſt, quo maius excogitari non poteſt ſine contradictione, in cuius autem cogitatione includitur contradictio, non eſt excogitabile ſecundum veritatem eſſe plures Deos, ſed ſolum ſecundum falſam imaginationem, ſeù rationem errantem.

Arg. 3. Quicquid eſt ens per eſſentiam eſt Deus, ſed omne ens per participationem eſt ens per eſſentiam, vt homo pictus habens eſſe per participationem ad hominem per eſſentiam, ſic Leo, ſic Planta &c. ergo omnia entia per eſſentiam ſunt Dii. Reſp. diſting. mai. Quicquid eſt ens per eſſentiam hoc eſt, à ſe independens, eſt Deus, conc. mai. per eſſentiam hoc eſt, habet veram eſsentiam, & quidditatem, & in genere determinato alijs ſub tali genere pręſtantiorem, neg. quod ſit Deus: & ſic patet ad min. reſponſio.

Arg. 4. Plura bona ſunt meliora paucioribus bonis, ſed quæcunque ſunt meliora ſunt ponenda in vniuerſo, ergo plures Dij. Reſp. diſting. mai. Si plura bona ſint poſſibilia, conc. mai. ſi ſint ſimpliciter impoſſibilia, vt ſunt plura bona infinita à ſe, & indipendentia, neg. mai. Siquidem manifeſtam contradictionem includit pluralitas Deorum; non ſic autem plura bona finita, quia ſunt poſſibilia, ac proinde meliora.

DISPVTATIO II.

De Perfectionibus, ſeù attributis Diuinis in communi.

QVÆSTIO I.

Quid ſit attributum, ſeù perfectio Diuina:

NOt. 1. Quòd illæ perfectiones Diuinæ, quas Theologi vocant attributa, D. Dionyſ. & veteres vocarunt nomina diuina; quo ſenſu; deſcribitur, attributum diuinum eſſe nomen eſſentiale poſitiuum, abſolutum, de Deo pro-

propriè prædicabile, tanquàm proprietas. Verùm pro notitia pleniori D. attributi; obſeruandum cum Vorilong. in 1. d.8. quod attributum ſecundum eius triplicem deriuationem dicitur tripliciter: vno modo attributum dicitur, quaſi alicui tributum, quo pacto dicit Ariſt. in illa regula poſter. Quando aliqua ſunt idem, quicquid attribuitur vni, attribuitur & reliquo; & ſic omnia, quæ ſunt idem cum Deo, ſunt attributa eius, quia poſſunt ei de per ſe attribui in prædicatione, dicendo. Eſſentia Diuina eſt ſubſtantia, ſpiritus, ens, Deus &c. 2. modo attributum dicitur, quaſi ab alio tributum; & ſic illa ſola ſunt attributa, quæ ex creaturis Deo tribuuntur ſecundum eminentiam; qualia ex D. Dion. ſunt ſapientia, bonitas, intellectus, voluntas &c. quæ quidem ſunt in nobis, & ſemota imperfectione dicimus de Deo; non quod primò ſint in nobis, quàm in Deo, ſed quia a creaturis aſcendimus ad Deum agnoſcendum, eiuſque diuinas perfectiones, quæ in eo ſuperexcellentiori modo reperiuntur. 3. modo dicitur attributum, quaſi ad tria diſtributum, quo ſenſu appropriata D. Perſonis dicuntur attributa, quia tribus diſtribuuntur, vt Patri potentia, Filio ſapientia, bonitas Spiritui Sancto.

Not. 2. Quòd perfectio in communi ſic deſcribi poteſt, eſt complementum requiſitorum ad rei integritatem; Perfectio autem alia eſt ſimpliciter talis, alia ſecundum quid. Prima eſt illa, quæ vt docet D. Anſel. in Monologio c.14. *Eſt melior ipſa, quàm non ipſa*, quam definitionem explicat Scot. quol.5. §.2. ratio, dicendo, quod hæc definitio, eſt melior ipſa, quàm non ipſa, non intelligitur, itaquod perfectio ſimpliciter ſit melior, quàm ſuum oppoſitum contradictorium, quia ſic omne ens poſitiuum eſſet perfectio ſimpliciter, cum omne ens poſitiuum ſit abſolutè melius ſua negatione, ſed illa particula, non ipſa, intelligitur pro quocunque ſibi incompoſſibili; ideſt altera perfectione ſibi oppoſita; & inſuper illud melius debet intelligi in ordine ad ſuppoſitum abſolutè, quatenùs abſtrahit a natura, non autem in ordine ad naturam propriam alicuius entis, quia ſic illud ſolum eſſet perfectio ſimpliciter, quod conuenit illi naturæ, eſtò imperfectiſſimæ; melius nàmq; eſt ſuppoſito auri, quatenùs aurum eſt, eſſe aurum, quàm

eſſe id, quod eſt incompoſſibile auro, quia hoc deſtrueret naturam auri; Itaque illud dicitur perfectio ſimplicitèr ſimplex, quo melius eſt ipſum, quàm eius oppoſitum in ſuppoſito abſolutè ſumpto, e. g. melius eſt in ente, eſſe videns, quam eſſe cæcum, eſse ſpirituale, quàm corporeum, eſse immortale, quam mortale. Quarè noſter Rich. in 1. d.2. q.3. ait, quod D. attributa ſunt ſuperexcellentiæ perfectionum repertarum in generibus entium; quarum quamlibet eſt melius ſimplicitèr habere per modum rei intrinſecæ, quàm non habere, vt patet per Anſel. Perfectio autem ſecundum quid eſt, quæ in vnoquoque non eſt melior ipſa, quàm non ipſa, hoc eſt, quæ mixtam imperfectionem habet, vel oppoſitionem cum alia perfectione, æquali, vel maiori, ideſt, quid conueniens naturæ rei; ità-ùt in formali ſuo conceptu inuoluat imperfectionem, v.g. irrationale inuoluit rationis priuationem, vel repugnantiam cum perfectione æquali, v. g. frigus cum calore, vel cum maiori, vt corporeum cum ſpirituali.

Not.3. Quod attributa, alia ſunt poſitiua, vt iuſtus, ſanctus, ſapiens &c. quæ ſignificant realem perfectionem de Deo affirmabilem: alia negatiua, vt increatus, immenſus, &c. quæ nomina, eſtò de formali ſignificent negationem, connotant tamen perfectionem; quia imperfectionis excluſio eſt perfectio: alia abſoluta, qualia ſunt, quæ non dicunt reſpectum ad aliud: alia relatiua, ſiue intrinſecè, Deo competant, vt relationes D.; ſiue extrinſecè, vt relationes Creatoris, Redemptoris &c. ſiue ſymbolicè, aut metaphoricè, vt vitis, agnus; ira, dolor &c. alia modalia, vt modi intrinſeci quodammodò afficientes D. eſſenriam, proùt ſunt infinitas, immenſitas &c. Hæc autem omnia dici nequeunt propriè, ſed potiùs prædicata diuina.

Conc. Attributum diuinum eſt nomen eſsentiale, ſeù perfectio ſimpliciter ſimplex, poſitiua, abſoluta, de Deo propriè prædicabilis, eſsentiam D. per modum proprietatis, ſeù qualitatis afficiens. Explicatur deſcriptio. Dicitur perfectio eſsentialis, & ſimpliciter ſimplex, quia competit Deitati, adeòque omnibus tribus perſonis. Poſitiua, ſignificans formalitèr realem perfectionem in Deo exiſtentem. Abſoluta, quia non dicit habitudinem ad aliud ſuppoſitum, ſiuè relationem realem ad intra, vel rationis

ad

ad extra. De Deo propriè, hoc eſt, non metaphoricè, neque figuratiuè dicitur, vt Leo, Agnus &c. tanquam proprietas, & perfectio profluens ab eſsentia D. Addi etiam poteſt vniuocè, vel analogicè à creaturis participata; quia huiuſmodi attributa reperiuntur in creaturis, ſed ſolùm per participationem, qua ſemota, Deo tribuimus: & ob id à ratione attributi rigoroſè ſumpti excluduntur modi intrinſeci.

Arg. contra conc. Omnipotentia eſt attributum: ſed omnipotentia non competit creaturis; ergo non rectè additur in definitione à creaturis participata.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Vt potentia infinita eſt, conc. min. Vt potentia abſolutè ſumpta ſine modo infinito, nego minorem.

QVÆSTIO II.

Vtrum D. attributa, ſeù perfectiones contineantur in eſſentia D. formalitèr, vel eminentèr, vel virtualitèr.

NOt. 1. Quòd aliqua perfectio contineri poteſt in alio tripliciter. Primò formaliter, & actu, vt rationalitas in homine. 2. eminenter, & ſic perfectiones rerum inferiorum dicuntur contineri in ſuperiori per exceſſum entitatiuum, quo ſenſu homo eminenter continet perfectiones creaturarum inferioris entitatis. 3. virtualitèr, quo pacto calor dicitur contineri in Sole, quatenùs eum producere poteſt. Verùm loquendo de continentia eminentiali Dei altiùs eſt diſcurrendum. Siquidem ea eſt qua Deus modo eminentiali omnes creaturas continet, adeo-ùt poſſit & eas omnes producere, & earum operationes, & actiones efficere: eſtque nobiliori modo ſic contentum in continente, nempe in Deo, quàm in ſe ipſo, vt infrà oſtendetur. Continentia autem virtualis in creatis eſt ea qua continens habet virtutem producendi aliquid, ſeù aliud; non autem eius actiones, vt Sol reſpectu caloris: vel habet virtutem producendi actiones contenti. ſed non ipſum contentum; & ſic anima rationalis continet virtualiter animàm ſenſitiuam, & vegetatiuam. Ex quo patet diſcrimen inter continentiam virtualem Dei, & creaturæ.

Not.2. Quòd inter perfectiones Dei, quæ ſunt extra conceptum eſſentiæ D. præter attributa ſunt etiam enumerandi modi intrinſeci. Modus autem intrinſecus in noſtra Schola ſic deſcribi ſolet. Eſt ille, qui additus rei non variat rationem formalem eius, cuius eſt modus, v.g. finitus, & infinitus, cum ſint modi non variant eſsentialiter res, quarum ſunt modi. Etenim ens finitum, & infinitum non differunt formaliter eſsentialiter; ſicut nec linea finita, & infinita, nec albedo vt quatuor, & albedo vt decem. Quarè, licet Deus, qui eſt infinitus, & homo, qui eſt finitus, differant eſsentialiter; attamen talis differentia non oritur à finitate, & infinitate, ſed prouenit ex eo, quod Deus ſit talis naturæ, nempe diuinæ, cui infinitas eſt propria, & homo ſit talis naturæ, cui competit finitas: niſi dicere velimus, & fortè meliùs, infinitatem radicalem eſſe rationem primam conſtitutiuam Deitatis; ac proinde primò diſtinctiuam ab omni eo, quòd non eſt Deus. Ex quo patet diſcrimen inter modum intrinſecum, & differentiam; hæc enim adueniens rei variat rationem formalem rei, v.g. rationalitas adueniens animali conſtituit tertium, quod eſt homo; irrationalitas Brutum, ſumendo irrationalitatem per differentias ſpecificas Brutorum, quas nomine irrationalitatis explicamus: ille autem non conſtituit rem diuerſam ab ea, cui aduenit.

Conc. Perfectiones Diuinæ, ſiue ſint modi intrinſeci, ſiue ſint attributa ſunt in Deo non quidem eminenter, ſed formaliter. Eſt Scoti in 1. d.8. q.4. Si perfectiones diuinę, vt infinitas, bonitas &c. ſolum virtualiter, & eminenter eſſent in Deo; ſequeretur non aliter Deum eſse infinitum, bonum, ſapientem &c. quàm ſit albus, calidus &c. ſed conſequens eſt abſurdum, ergo, & ant. patet ſequela mai.

Cum enim Deus ſit omne ens; & quodlibet ens creatum contineat, vel eminenter ob ſuam infinitam perfectionem, vel virtualiter, quia virtutem habet producendi quodlibet aliud ens à ſe, ſequitur eo modo Deum continere lapidem, albedinem, ac diuinas perfectiones; ac proinde pari ratione dici poſſe, bonum, ſapientem, ac album, ac calidum, quo nihil abſurdiùs, ergo fatendum Diuinas perfectiones contineri formalitèr in Deo.

Prob. 2. Omnis perfectio ſimplicitèr ſimplex eſt forma-

liter in ente perfectiſſimo; perfectio enim ſimpliciter non poteſt alicui conuenire nobiliùs, quàm formaliter, ſed Deus eſt ens perfectiſſimum, & attributa ſunt perfectiones ſimpliciter, ergo Deo conuenire debent formaliter. Mai. patet, quia aliter Deus non eſſet ens perfectiſſimum; poſſet enim excogitari rationabiliter aliud ens, in quo formaliter eſſent tales perfectiones; qua continentia formali eſſet nobilius; nam nobiliùs eſt habere in ſe formaliter, quod ſibi competit, quàm non habere.

Prob. 3. Si perfectio ſimpliciter ſimplex non eſt in Deo formaliter, ſed ſolùm virtualitèr, vel eminentèr, ſequeretur, quod Deus non eſt formaliter perfectus abſolutè, & ſimplicitèr, ſed tantùm virtualitèr, & eminentèr; at hoc implicat; ergo Diuinæ perfectiones ſunt formaliter in Deo: Prob. min. Implicat, relationes perſonales contineri in Deo virtualitèr, ſeù eminentèr, & non formalitèr, quia ſic D. Trinitas eſset Trinitas tantùm virtualitèr, & eminentèr: ſed eadem implicantia currit etiam de attritis, ergo &c.

Arg. 1. cont. conc. Deus continere debet modo nobiliſſimo ea, quæ ſibi competunt, ſed continentia eminentialis, & virtualis eſt nobilior formali; ergo &c. min. pat. de Sole, qui cum contineat calorem virtualitèr eſt perfectior igne continente formaliter calorem.

Reſp. diſting. min. Quando perfectio contenta non eſt ſimplicitèr ſimplex conc. quando eſt ſimplicitèr ſimplex neg. Atttibuta enim, & modi ſunt perfectiones ſimplicitèr ſimplices, ac proindè nobilius eſt ea continere formaliter. Verùm quia poſſet quis vrgere, & inſtare contra iſtam reſponſionem; eò quia relationes perſonales non ſunt perfectiones ſimplicitèr ſimplices, & tamen continentur formaliter in Deo; ideò poſſet aliter reſponderi; diſting. minorem: continentia eminentialis, & virtualis eſt nobilior in ordine ad ea, quæ non pertinent ad propriam eſſentiam, neque tanquam prædicata quidditatiua, neque tanquàm perfectiones afficientes neceſſariò eandem eſſentiam conc. in ordine ad ea, quæ pertinent ad eſſentiam continentis neg. min.

Arg. 2. D. Eſſentia eſt pelagus omnium perfectionum poſſibilium ex D. Damaſc. lib. 1. c. 12. ſed hoc dici nequit

niſi

niſi contineat eminenter attributa, ergo &c. Prob. min. Niſi contineat attributa eminenter, & virtualiter ſequitur, quod ea contineat in primo modo dicendi per ſe, ſed conſ. non admittit Schola Scotica, ergo admittere cogitur ant. ergo eminentèr D. eſsentia continet attributa.

Prob. ſequela mai. Si Eſſentia D. non contineret in primo modo dicendi per ſe attributa, & ſuas perfectiones, ergo non eſset Pelagus omnium perfectionum, quia eſſentia in ſua ratione formali non includit attributa, neque attributa in ſua ratione formali includunt eſſentiam diuinam, ſed conſ. eſt falſum, ergo & ant. Reſp. neg. min. ad primam probationem negatur ſequela mai. ad 2. probationem diſting. conſ. mai. Non eſſet pelagus omnium perfectionum attributalium radicaliter, & per identitatem, neg. formaliter conc. Nam ſufficit, eſsentiam D. continere, vel eminentèr, vel radicalitèr, vel virtualitèr, vel identicè omnem perfectionem poſſibilem.

Arg. 3. Si eſſentia D. contineret attributa formaliter, quatenùs ſunt perfectiones afficientes ſe ipſam; ergo D. eſsentia haberet rationem perfectibilis in ordine ad attributa; ſed hoc eſt inconueniens, quia eſsentia D. haberet rationem ſubiecti, ac proinde includeret aliquam imperfectionem, vel aliqua perfectione careret; ergo dicendum eſt, Eſsentiam D. continere ſuas perfectiones eminenter; & non formaliter per modum qualitatis. Reſp. neg. ſequelam mai. & ratio negationis eſt, quia vt dicemus in ſequentibus quæſtionibus. Eſsentia D. cum ſit infinitè perfecta, vel formalitèr, vel radicalitèr, vel virtualitèr, vel eminentèr nullo modo poteſt habere rationem perfectibilis in ordine ad attributa: & quàmuis attributa afficiant ipſam eſsentiam, attamen non ſunt perfectiones perficientes eam, veluti indigentem aliqua perfectione, quia eſt infinite perfecta, & ab ea tanquàm à pelago omnes perfectiones profluunt, ſed afficiunt eſsentiam D. vt actus puri actum puriſſimum; & ratione infinitatis tranſeunt in perfectam identitatem abſque compoſitione; de qua difficultate inferiùs redibit ſermo; & latiùs de ipſa agetur.

Quæres. An attributa Diuina, ſeù perfectiones ſint numero infinitæ.

Reſp. Quod multi affirmant, quos ſuppreſso nomine refert

fert Vaſquez diſp. 2<. & huius ſententiæ videtur eſse Ocham, & Ferrarienſis apud Smiſing. Verùm negatiuè reſpondendum eſt cum communi ſententia; vt tenent noſtri Smiſing. Herincx, & alij inter quos eſt Fraſsen Doctor Pariſienſ docens, attributa D. & perfectiones modificantes eſse infinitas intenſiuè, non verò extenſiuè. Probatur reſp. quoad primam partem. In ente infinito, & limitato nihil finitum, & limitatum reperiri poteſt; ergo D. perfectiones ſunt intenſiuè infinitæ. Prob. 2. pars. Neque ex Sacra Scriptura, neque ex Sanctis PP. neque ex vllo principio theologico deduci poteſt, D. perfectiones eſse infinitas numero, ergo nec eſt aſserendum eſse infinitas extenſiuè. Nihilominùs ſanè dicere poſsumus eſse infinitas; conſiderando illas per reſpectum ad obiecta: D. enim Sapientia, quatenùs reſpicit obiecta creata, quæ ſunt innumerabilia denominari poteſt infinita extenſiuè; & ſic miſericordia D. &c.

Quæres 2. An attributa abſolutè conſiderata, & ſecundum ſe ſint æqualis perfectionis.

Reſp. affirmatiuè, vt deducitur ex doctrina Scoti, & ratio eſt, quia infinitum non eſt alteri infinito perfectius, ergo cum modi, & attributa D. eſsentię ſint formaliter infinita, vnum non eſt altero perfectius.

Prob. 2. Quæ Deo ſummè identificantur vnum non poteſt eſse perfectius altero; ſed perfectiones D. ſunt huiuſmodi, ergo &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum diuina attributa diſtinguantur ab eſſentia Diuina, & eadem attributa à ſe inuicem.

NOt. 1. Quòd hìc breuiter repetenda ſunt aliqua, quæ de diſtinctione traduntur in Phyloſophia. Alia namque eſt diſtinctio realis, alia rationis, alia formalis; prima patet quid ſit; ſecunda eſt duplex, nempe rationis ratiocinantis, quæ intercedit inter aliqua duo, quorum vnum non eſt aliud ratione tantum intellectus ratiocinantis, vt Petrus eſt Petrus; & rationis ratiocinatæ, quæ vocari ſolet diſtinctio virtualis, quam ſic ex mente, & doctrina, nedum Thomiſtarum, ſed etiam Scoti, & Scotiſta-

rum

rum deſcribi poteſt; eſt ea, quæ fit per plures actus directos intellectus noſtri inadæquatè concipientis rem aliquam, ac ſi haberet plures realitates inter ſe diſtinctas; vt Sol habens virtutem, ſeù potentiam exſiccatiuam luti, & liquefactiuam niuis. Ex qua deſcriptione recte infertur hanc diſtinctionem non eſse fictitiam, ſed habere fundamentum in re: quia licet à parte rei ſit vna realiter, & formaliter, tamen eſt virtualiter multiplex per ſui eminentiam, & æquiualens pluribus à parte rei diſtinctis; vnde intellectus mouetur ad formandos plures conceptus, tum formales, tum obiectiuos inadęquatos. Huius diſtinctionis meminit Scot.7. metaph. q.19. eamque approbat; & in 1. d. 2. q. 7. §. ſed hic reſtat, vbi agit de diſtinctione inter eſsentiam, & relationes originis, & in 1. d. 8. q. 4. §. ad quæſt. vbi agit de diſtinctione inter eſsentiam, & attributa D. Alia denique eſt diſtinctio formalis, media inter realem ſimpliciter, & virtualem; & iſta cadit inter duas formalitates, ſeù realitates, quarum vna, licet non poſſit eſse ſine alia, tamen ex natura rei vna non eſt alia; ac proindè adæquatè concipitur à noſtro intellectu, immò, & à Diuino conceptu perfecto; nàm formalitas, ſeù realitas eſt ratio obiectiua conceptibilis conceptu perfecto, & adęquato diſtincto à conceptu adæquato, quo concipitur alia formalitas, ex oppoſito totuplex eſt identitas, quotuplex eſt diſtinctio; de qua ſatis in Phyloſophia agitur.

Not. 2. Quod Doctor noſter inueſtigauit diſtinctionem formalem ad ſaluanda contradictoria, maximè in Diuinis, vt infrà oſtendetur. Vnde obſeruandum; quod diuerſa generà contradictoriorum reperiuntur. Quædam enim ſunt contradictoria rationis, fundata ſuper diuerſum eſse rationis, vt cum de Petro e. g. in propoſitione identica verificatur, quod eſt ſubiectum, & non ſubiectum, prædicatum, & non prædicatum, & ad hæc ſaluanda ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis. Quædam ſunt contradictoria ſecundum eſse reale, ac entitatiuum, quæ nimirum rei conueniunt ratione totius eſse, & exiſtentiæ, qua de cauſa, vnum de re abſolute negatur, & aliud abſolute affirmatur abſque alia reduplicatione, & citra omnem operationem intellectus; vt eſse, & non eſse, generari, & non generari; & alia huiuſmodi prædicata

ſpe-

ſpectantia ad eſſe entitatiuum rei; & ad hæc componenda requiritur diſtinctio realis, qualis eſt inter rem, & rem. Quædam ſunt contradictoria ſecundùm eſſe formale tantum, quæ videlicet non abſolute réi attribuuntur, ſed cum reduplicatione illius, nempe formalitatis, cui immediate conueniunt, & ratione ipſius toti rei, vt eſſe ſenſitiuum, & diſcurſiuum in homine, qui dicitur ſenſitiuus, quatenus animal, & diſcurſiuus, quatenus rationalis; & ad huiuſmodi contradictoria ſaluanda, eſtò non requiratur diſtinctio realis, exigitur tamen diſtinctio formalis actualis ex natura rei præter opus intellectus. Quædam tandem ſunt contradictoria, quæ partim verificantur per opus intellectus, & partim præter opus intellectus, vt cum dicimus in Sole, idem eſſe principium proximum vtriuſque effectus; e.g. lux ſimpliciſſima ſolaris, ſed tamen virtualiter, & fundamentaliter, quatenus vnica illa virtus duplici virtuti æquiualet, verificatur præter opus intellectus: verificatur autem per opus intellectus actualiter, quando nempe intellectus eandem lucem ſolarem conceptibiliter partitur in duas virtutes, quarum vna ſit calefactiua, & altera exſiccatiua; & ratione vnius affirmat, lucem eſſe calefactiuam, & non deſiccatiuam; & ad hæc contradictoria componenda ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu virtualis.

Not.3. Quòd in hac quæſt. ſunt tres opiniones. Prima eſt Nominalium cum ſuo Principe Ocham, dicentium, nullam intercedere diſtinctionem inter eſſentiam, & attributa, aut ſolam diſtinctionem rationis, ſine vllo fundamento in re, ac proinde diuerſitatem attributorum deſumi à diuerſitate effectuum, quatenus D. Eſſentia ſimpliciſſima diuerſimode reſpicit obiecta creata. Vnde quatenus Eſſentia D. reſpicit miſeriam, dicitur miſericordia, quatenus prouidet, dicitur prouidentia, quatenus punit, dicitur iuſtitia &c. & ita ſentiunt etiam Aureolus, & Rubion cum Ocham, omnes quidem noſtræ Seraphicæ Religionis Doctores, ſed Scholæ Nominalium quoad doctrinam. 2. opinio eſt Thomiſtarum, qui diſtinctionem formalem aborrentes, ſolam diſtinctionem virtualem inter attributa, & D. Eſſentiam admittunt; hæc autem diſtinctio à Thomiſtis moderniſ ſic explicatur. Diſtinctio vir-

virtualis eſt illa, qua res aliqua, licet ſit ſimplex, & indiuiſibilis ſecundum ſe, tamen æquiualet multis, & ita ſe habet reſpectu noſtri modi concipiendi, ac ſi eſset multiplex; vnde fit, vt non ſolum poſſit diuerſimodè concipi, ſed etiam operari inadæquate: ſic in creaturis Anima rationalis, quæ in eadem ſimplici entitate eſt vegetans, ſentiens, & intelligens dicitur triplex virtualiter; ac proinde quando intelligit, dicitur operari inadæquate, quia operatur ſolum, vt intellectiua: ſic pariter lux, quæ in ſua entitate ſimplex eſt, & indiuiſibilis, dicitur tamen triplex virtualiter, quatenùs eſt illuminatiua, exſiccatiua, & calefactiua. Quare ſimili modo diſcurrunt Thomiſtæ de D. Eſsentia; quæ licet ſimplex, & formaliter indiuiſibilis, in ſe tamen dicitur multiplex virtualiter, quia per ſuam infinitatem multis æquiualet, & dicitur diuerſimodè operari inadæquatè, ſiue ad intra generando filium per intellectum, v.g. non per voluntatem, ideſt quatenus habet vim intelligendi, non autem quatenus habet vim volendi; ſiue etiam ad extra, cum v.g. creaturas producit per omnipotentiam. 3. denique opinio eſt Scoti in 1. d.8. q.4. & alibi, ac Scotiſtarum, immò, & multorum extra noſtram Scholam, præſertim de diſtinctione relationum perſonalium ab eſsentia D. aſſerentis inter eſſentiam D. & attributa, & inter attributa à ſe inuicem dari diſtinctionem formalem.

I. Conc. Inter Eſſentiam D. & attributa nulla intercedit diſtinctio realis, & eſſentialis; & idem eſt de Eſſentia D. & relationibus perſonalibus. Hæc eſt de fide. Prob. *In Concil. Lateran c firmitèr definitur, Subſtantiam D eſſe indiuiſibilem, vt potè omninò ſimplicem*, ſed non eſset omninò ſimplex, ſi conſtaret ex attributis, & relationibus à ſe realiter diſtinctis, ergo &c.

Inſuper in Concilijs Toletano xj. & Florentino definitur *In Diuinis omnia eſſe vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*; ſed inter Eſsentiam, & attributa, atque relationes nulla obuiat oppoſitio; relationes namque inter ſe opponuntur, non verò D. Eſſentiæ: ergo &c.

Prob. ratione. Omne infinitum ſibi identificat ea omnia, quæ ſibi ſunt compoſſibilia; ſed Eſſentia D. eſt infinita, ergo identificat ſibi omnia, quæ ſibi ſunt compoſſibilia:

lia: ſubſumo min. Sed perfectiones attributales, & modales ſunt compoſſibiles Eſſentiæ D. ergo ſibi identificat illas: mai. pat. quia ſi infinitum ſibi non identificaret, quæ ſibi compoſſibilia ſunt, deberent ea vniri per compoſitionem ex partibus, quod nullo modo infinitum admittit, quia infinitum non perficitur partibus, cum omnis pars in ratione partis ſit limitata; ergo neceſſe eſt infinitum ſibi identificare, quæ ſunt compoſſibilia.

Prob.2. Si Eſſentia D. & attributa non eſſent idem realiter, ſequeretur Eſſentiam D. cum attributis eſſe quid perfectius ſecundum entitatem, quam eſsentia ſola; ſed hoc eſt falſum, quia aliter Eſſentia non eſſet ens infinitum, cum non includeret omnem entitatem: ergo &c.

II. Conc. Attributa D. non diſtinguuntur ab inuicem, & ab Eſſentia D. ſola varietate nominum. Hæc eſt Scotiſtarum, & Thomiſtarum, & aliorum contra Nominales. Verùm aduertit Herincx diſp.2. q.3. Nominales fortaſſe non diſſentire in re à vulgata opinione, ponente diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Nàm fundamentum generale illorum eſt, vt bene notat Smiſing. quod nulla detur in re diſtinctio rationis, ſed ſolum realis; eo quia diſtinctio rationis deſumi deberet ab extrinſeco, ſcilicet ab actu intellectus; quæ quidem diſtinctio non caderet niſi inter ipſos actus intellectus, & non in re, quæ ſicùt per extrinſecum non conſtituitur ens, ſic nec ab alio diſtinguitur. Neque Nominales negare poſſunt, rem ſimplicem importare diuerſos conceptus inadæquatos; ac proinde intellectum à tali fundamento deſumere occaſionem concipiendi in vna, & eadem re plures conceptus; v.g. Deum concipiendo tanquam bonum, ſapientem, iuſtum &c. Secùs autem videntur ſentire de relationibus perſonalibus.

Confirmatur talis diſcurſus auct. Sanctorum Patrum, qui fatentur in Deo perfectionum varietatem, multiplicitatem; vnum attributum præſtare aliquid, quod non alterum; agnoſcunt etiam attributa eſſe velut qualitates D. ſubſtantiæ; & relationes eſſe proprietates Diuinæ naturę; ergo non ſola nominum varietate diſtinguuntur ab inuicem attributa, & etiam ab Eſſentia D.

III. Conc. Attributa inter ſe, & ab Eſſentia D. non diſtinguuntur virtualitèr, ſeù ratione ratiocinata, ſed formali-

maliter ex natura rei. Eſt Scot. in 1. d.2. q.7. & diſt.8. q.4. & Scotiſtarum nec non aliquorum extra noſtram Scholam. Prima verò pars vniuerſaliter eſt contra Thomiſtas. Prob. Si attributa diſtinguerentur per operationem intellectus, vel ratione ratiocinata; quęro; an talis diſtinctio fiat actualis per operationem intellectus Diuini, vel per actum intellectus creati: non per intellectum D. quia eſt attributum D. ac proinde non poteſt per ſuam operationem actu diſtingui; omnis enim operatio ſupponit potentiam actualem; neque per operationem intellectus creati, quia conſideratio eius nil cauſat in Deo, niſi ſolam relationem rationis, & denominationem extrinſecam, ergo non facit diſtinctionem inter eſſentiam, & attributa, & per conſequens D. attributa ex ſe ipſis ex natura rei ſunt ab eſſentia diſtincta: eadem ratio militat etiam de relationibus perſonalibus.

Prob.2. Si intellectus, & Voluntas in Deo non eſſent diſtincta ex natura rei, ſed tantum virtualiter, ſequeretur, productionem Verbi D. non eſſe diſtinctam à proceſſione Spiritus S. ſed conſequens eſt falſum, ergo, & ant. min. patet ex doctrina SS. Patrum, & Conciliorum. Etenim *Filius*, vt dicitur in Symbolo D. Athanaſij, *à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus S. à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*: mai. prob. Illa diuerſitas emanationum non aliunde deduci poteſt, quàm ex diuerſitate intellectus, & voluntatis, tanquam à diuinis principijs productiuis: ergo non virtualiter tantùm, ſed formaliter diſtinguuntur D. perfectiones.

Prob.2. pars. Et in primis ex illo Io: cap.10. *Ego, & Pater vnum ſumus*, quæ verba ſic à D. Aug. explicantur lib.7. de Trin. cap. 6. *Et vnum dixit, & ſumus; vnum ſecundùm eſſentiam, quod idem Deus; ſumus ſecundùm relationem, quo ille Pater, ego Filius*; ergo eſsentia, & relatio formaliter ex natura rei ſunt diſtinctæ inter ſe.

Prob. 2. ex Concilijs. In Lateran. ſub Innoc. III. ita fuit definitum. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam eſt indiuidua & ſecundum perſonales proprietates diſcreta.* In Toletan. ſancitum eſt. *In relatione perſonarum numerus cernitur, in Diuinitatis verò ſubſtantia, quid numeratum ſit, non comprahenditur*, & in Florent. in litteris vnionis habetur.

Patrem

Patrem omnia communicaſse filio, præter eſſe Patrem ſed hęc omnia nequeunt verificari ſine diſtinctione formali ex natura rei, ergo &c. Prob.3. auctoritate SS.Patrum. D.Damaſc. lib.1. cap.4. ait. *Si iuſtum, ſi bonum, ſi quid tale dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ circa naturam.* Aug. lib. 15. de Trin. cap. 6. *Si dicam æternus, ſapiens, iuſtus, bonus, ſpiritus, horum omnium nouiſſimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera verò huius ſubſtantiæ qualitates*; & idem docet, comparando proprietates relatiuas cum attributis; ità enim habet lib. 7. de Trin. cap. 2. *Verbum ſapientia eſt, ſed non eò Verbum, quo ſapientia, Verbum enim relatiuè, ſapientia verò eſsentialitèr dicitur*: & eodem modo, & ſenſu loquuntur cæteri SS. Patres, quos videre poteſtis apud Doctores noſtrę Scholę.

Prob.4. ratione, & quidem efficaciſſima. Illa, de quibus ante intellectus operationem, vel apud intellectum concipientem poſſunt affirmari, vel verificari contradictoria, diſtinguuntur, non per ſolam rationem, ſed formaliter ex natura rei; at ſic res ſe habet in Eſſentia D. & perfectionibus eius; ergo ante operetionem vllam intellectus ex natura rei diſtinguuntur, non realiter, ob repugnantiam paulò ſuperiùs aſſignatam, ergo formaliter: mai. eſt euidens: eò quia de ijs, quæ ſunt omninò idem non poteſt ſimul eſſe vera affirmatio, & negatio; ac proindè ſi ſit vera affirmatio, & negatio, ſequitur, illa non eſſe ante mentis operationem omninò eadem, ſed diſtincta; & confirmari poteſt à paritate; nàm ſicut ex ſeparabilitate reali colligitur diſtinctio realis; ità ex ſeparabilitate apud intellectum perfectè concipientem, arguitur diſtinctio formalis ex natura rei: min.prob. primò comparando Eſsentiam D. cum attributis.

Ante omnem mentis operationem, etiam apud intellectum D. Eſsentia D. eſt principium vniuerſale, non autem particulare quò procedunt, ſeù producuntur ſecunda, & tertia Perſona; intellectus eſt principium particulare productiuum Verbi; & ſimiliter Voluntas Spiritus S. 2. comparando attributa inter ſe. Siquidem à parte rei intellectus D. eſt principium generationis D. non ſpirationis; è contra Voluntas eſt principium ſpirationis, non generationis. 3. comparando Eſsentiam cum relationibus. Eſsentia eſt communicabilis tribus Perſonis, relatio perſonalis

ſonalis non: Eſsentia identificat perſonas, relatio non, ſed illas diſtinguit &c. 4. comparandq attributa cum relationibus. Attributa ſunt communia tribus Perſonis, & ſunt perfectiones ſimpliciter, relationes non. Intellectus, & Voluntas ſunt principia diuinarum proceſſionum; non autem relatio, ſaltem ſpiratio paſſiua, ergo à primo vſque ad vltimum ante quamcunque operationem intellectus datur in Diuinis diſtinctio ex natura rei formalis, realis non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Reſp. Thomiſtæ, nec non alij eiuſdem opinionis; ſaluari ſufficienter contradictoria per diſtinctionem virtualem, ſeù eminentialem, quatenùs eadem res æquiualet pluribus diſtinctis; ex quo ſequitur non eſſe veram contradictionem; quæ nimirum debet eſse de eodem ſecundum idem: Pater enim generat per intellectum, non per voluntatem, ſalua omnimoda intellectus, & Voluntatis D. identitate, hoc ſenſu, Pater in quantùm ęquiualet virtuti intellectiuæ creatæ generat, non inquantùm æquiualet virtuti volitiuæ; idq; citra negotiationem intellectus, vt patet de Sole, de luce ſolari, & de alijs exemplis ſuperiùs allatis in explicatione diſtinctionis virtualis.

Verùm hæc reſponſio, vt inſufficiens ſic à Scotiſtis improbatur. Omnis contradictio actualis ſupponit actualitatem in fundamento, cui ineſt, ſed ab æterno ſunt veræ hæ contradictiones. Intellectus D. eſt principium productiuum Verbi, Voluntas non: ergo illarum fundamenta non ſolum virtualiter, ſed actu formaliter ex natura rei ſunt in Deo diſtincta. Inſupèr. Illa diuerſa æquiualentia D. Eſsentiæ, vel importat in Deo aliquam diuerſitatem à parte rei, vel tantùm noſtrum modum concipiendi. Si primum, ſtat noſtræ concluſionis veritas: ſi ſecundum: ergo ordo D. proceſſionum eſset immaginarius, & à ſolo noſtro intellectu excogitatus, quod eſt falſiſſimum. & hæreticum. Cæterùm neque exempla de Sole, & de luce vrgent; non enìm valet dicere lux ſolaris inquantùm humectat non deſiccat, quia ſic deſiccaret ceram, & humectaret lutum, non valet, inquam, quia ly inquantùm, vt diſertè docet Mayron non reduplicat principium, ſed actionem, nàm per idem principium Sol humectat, & deſiccat; at non per idem principium Pater intelligit, & vult,

vult, adeòut ſit diſtinctio ſolùm per connotata, ſed per diuerſa principia intrinſeca; ac proindè diſtinctio virtualis non ſufficit ad componenda contradictoria, ſed exigitur formalis.

Replicant Thomiſtæ. Contradictoria à nobis allata de intellectu, & voluntate non eſſe vera contradictoria; quia propoſitiones contradictoriæ ſunt affirmatio, & negatio eiuſdem prædicati de eodem termino, vt homo habet intellectum, ſeù eſt intellectiuus, & non eſt intellectiuus, intellectus autem, & voluntas ſunt duo termini, ſeù prædicata.

At hæc replica manifeſtè oſtendit, Aduerſarios non benè intelligere rationes Scoticas. Etenìm, ſi per illos nulla ſit diſtinctio ante operationem intellectus in Deo inter intellectum, & voluntatem, conſequens eſt, vt ſit prorſus idem terminus ſubiectum, & prædicatum, quìa per Thomiſtas idem pęnitùs eſt intellectus, & voluntas, ac proinde erit contradictio de eodem reſpectu eiuſdem.

Arg.1. cont.1. conc. Perfectibile,& perfectiuum diſtinguntur realitèr, ſed attributa ſunt perfectiones D. Eſſentiæ, ergo &c. mai. patet,quia nihil eſt perfectiuum ſui ipſius. Reſp. diſting. mai. Si perfectiuum ſit quid diſtinctum realiter, ſe habens per modum formæ informantis ſubiectum, conc. mai. ſi ſit tantum formalitas, vt eſt in propoſito afficiens eſſentiam, à qua profluit, perfectiuum per modum proprietatis, & actus puriſſimi intrinſeci, nego maiorem.

Arg. 2. Illa, de quibus verificantur contradictoria diſtinguntur realitèr; ſed de Eſſentia D. & attributis verificari poſſunt contradictoria, ergo diſtinguntur realitèr. Reſp. neg. aſſumptum in maiori, nam, vt ſupra notauimus, ad ſaluanda contradictoria ſufficit diſtinctio formalis inter eſſentiam, & attributa.

Arg. 1. contra 3. conc. auctoritate SS. Conciliorum, & SS. Patrum. Patres latini in Concil. Florent. ſeſs. 25. in confeſs. fidei, ab Eugen. iv. approbata, dixerunt; *Eſſentiam D. non re differre, ſed ratione tantùm; & modo intelligendi*: & ſeſs. 18. dixerat Ioan. Theologus, dictus de Montenigro Ordinis Prædicatorum: *Differre tantùm modo intelligendi*; & ſeſs. 14. Andreas Archiepiſc. Colloſſenſ. eiuſdem Ordinis dixerat,

xerat, *Differre apprahenſione tantùm, & intelligentia*, quæ omnia apertè videntur militare contra noſtram conc.erg.&c.

Accedunt deciſa à S. Bernardo, & Epiſcopis Gallicanis contra Gilbertum, approbante Eugenio iij. Nàm Bernardus ſerm. 80. in Cant. contrà Gilbertum oſtendit, magis propriè veram eſſe hanc, nempe iuxtà ſtatum realem, Pater eſt veritas, quàm Pater eſt verus; quod de póſteriori contendebat Gilb. & ſimilitèr admittere debent Scotiſtæ. Et Epiſcopi Gallicani in confeſſione Fidei dixerunt; nullo catholico ſenſu poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, poterit autem ſecundùm Scotiſtas; nempè, quod non ſit formalitèr Deus. Inſuper in cap. Damnamus de ſum. Trin. deffinit Concil. Lateran. Quod id, quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. eſt idem omninò; & ſic etiam ſonant auctoritates Sanctorum Patrum, quas breuitatis cauſa omitto. Reſp. Scotiſtæ, & ſignantèr noſter Herincx prima p. ſum. Theol. & Fraſsen. Doct. Pariſienſ. prima p. ſum. Theol. Scoti: Concilia, ſeù Conciliorum auctoritates non agere de præfata controuerſia in Scholis agitata; nec quidem leuitèr velle præiudicare, tàm ſolemni doctrinæ de diſtinctione formali. Quare verba Conciliorum intelligenda ſunt ſecundùm mentem, & ſcopum ipſorum Patrum, qui contra Gilbertum, ponentem diſtinctionem realem inter Eſſentiam, & relationes perſonales loquebantur. Itaque Patres Concilij damnarunt Gilbertum, & eius realem diſtinctionem inter Eſſentiam, & relationes. Cæterùm auctoritas Io: Theologi; vt optimè aduertunt Macedo in 1. ſent. & Herincx non eſt irrefragabilis; immò ſuperiora verba benè conſonant noſtrę doctrinę de diſtinctione formali; formalitas namque à nobis deſcribitur eſſe rationem obiectiuam, quæ non eſt res, ſed realitas rei, appręhenſa, & concepta modo imperfecto, quo concipimus diuinas perfectiones ad inſtar formæ. Ad obiecta ex Bernardo. Reſp. etiam ſecundùm nos magis propriè, veram eſſe prædicationem in abſtracto; ſiuè magis exprimere ipſam veritatem, quàm prædicatum in concreto, eò quia illa exigit inter extrema realem identitatem; hęc quę formalis eſt, ſeù denominatiua, reperitur etiàm in realitèr diſtinctis inuicem connotantibus, ſeù ſignificantibus. Quarè negamus Eugenium iij. approbaſſe Synodum, quæ ſine

Sedis

Sedis Apoſt. auctoritate facta fuit; & diſſoluta Synodo ſolum damnauit Eugenius articulum Gilberti de diſtinctione reali, vt ſupra &c.

Ad alias auctoritates adductas, & quæ afferri poſſunt. Reſp. non contradicere noſtrę diſtinctioni formali, immò fauere, vt pat. in probatione noſtrę concluſionis, ſed contradicunt diſtinctioni reali; vel intendunt maximam vnitatem, & ſimplicitatem in Deo adſtruere; quæ omnia optimè cohęrent doctrinæ Scoticæ, vt infrà patebit.

Arg. ratione. Deus, & Perſonæ D. ſunt ens ſummè ſimplex, vt definitur in cap. firmitèr; ſed diſtinctio formalis infert aliquam compoſitionem, & multiplicitatem; poſita enim tali diſtinctione Deitas non eſſet formalitèr relatio, neque relationes eſſent de eſſentia Deitatis, & è contra, quod videtur eſſe contra Concilia, & Ss. Patres, vbi ſupra ergo &c. Reſp. conc. mai. & diſting. min. infert multiplicitatem realitatum conc. rerum neg. Nec tamen ſequitur compoſitio, quia omnes realitates tranſeunt in perfectam identitatem ratione infinitatis, & ratione eiuſdem infinitatis excludunt omnem compoſitionem, ad quam exigitur quod vnum ſe habeat, vt potentia, & alterum vt actus; Contra. Simplicitas, & Vnitas D. ſunt perfectiones ſimplicitèr ſimplices; ac proindè in Deo admittendæ ſunt ſecundum maximum gradum ſimplicitèr, & vnitatem excogitabilem, ſed ille eſt maximus gradus, qui omnem compoſitionem, multiplicitatem, & diuerſitatem, nedùm realem, ſed etiam formalem excludit, ergo &c. mai. pat. min. etiam eſt clara, quia res, quæ nullam in ſe admittit diſtinctionem, etiam formalem, eſt ſimplicior, & magis vna, quàm quæ pluralitatem formalitatum inuoluit; ergo &c. Reſp. diſt. mai. ſunt admittendę ſecundum maximum gradum ſimplicitèr, & vnitatis, compoſſibilem cum Eſſentia D. conc. ſecùs neg. non enim maximus gradus ſimplicitèr, & vnitatis à nobis excogitandæ, eſt compoſſibilis cum Eſſentia D. Immò nec eſt excogitabilis ſecundum veritatem: quia nequit dari alia res, quæ ſit magis ſimplex Eſſentia D. quacunque enim data eſset Deitas, ac proinde fęcunda, & productiua tam ad intrà, quàm ad extrà. Et idem dicendum de ſimplicitate excludente omnem formalitatem, ob rationes ſuprà aſſignatas. Vndè ſi

 vale-

valeret argumentum, militaret etiàm contra Aduerſarios ponentes diſtinctionem virtualem; eò quia maior vnitas eſſet ſine tali diſtinctione quàm cum ipſa.

Arg. 3. Si Eſsentia D. diſtingueretur a parte rei à ſuis attributis, & è contra, ſequeretur quod neutrum eorum eſſet infinitum; immò nec Deus adæquatè ſumptus eſset infinitus: ſed hoc eſt falſum, ergo etiam ant. patet ſequela, quia Eſsentia in ſuo conceptu non includeret omnem perfectionem ſimplicitèr, nec paritèr attributa eſsent infinita, quia vnum non includeret perfectionem illius, à quo formaliter diſcreparet; ergo vel attributa non diſtinguuntur formalitèr, vel Deus non eſt infinitus. Reſp. neg. ſequelam; quodlibet enim eorum infinitum eſt in ſuo genere; eſsentia quidem in ratione entitatis, ſecundùm quam includit formalitèr omnem perfectionem eſſentialem: Sapientia eſset infinita in ratione qualitatis, & ſic etiam cætera attributa; omnia autem ſimùl ſumpta conſtituunt rem ſimpliciſſimam realitèr, quæ eſt ſimplicitèr infinita.

Contra. D. Eſſentia, vt formalitèr diſtinguitur a ſapientia, v. g. non includit illam formalitèr; ergo non eſt infinitè perfecta; conſ. probatur. Illud non eſt infinitè perfectum, quod non includit formalitèr omnem perfectionem ſimplicitèr ſimplicem, ſed Eſsentia D. vt præſcindens à ſapientia non includeret formalitèr omnem perfectionem ſimplicitèr ſimplicem, ergo non eſſet infinitè perfecta. Reſp. neg. conſequentiam; non enim ex diſtinctione formali licet inferre aliquid non eſse tale, ſed ſolum non eſſe conceptibile, vt tale, quod idem eſt ac dicere, cognitione præciſiua Eſsentia D. vt præſcinditur à Sapientia, non concipitur vt Sapiens; ex hoc tamen non benè infertur, quod non ſit ſapiens, quia ſic fit tranſitus à cognitione præciſiua ad diuiſiuam. Ad prob. conc. mai. & neg. min. nàm aliud eſt dicere, eſsentia D. vt præſcindens à ſapientia non includit &c. aliud non intelligitur tunc, vt ſapiens formaliter, quamuis intelligatur ſapiens radicaliter.

Contra. Si reſponſio eſſet vera, ſequeretur, eſsentiam D. perfici ab attributis, cum in illo priori non includat in ſuo eſse quidditatiuo attributa; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. patet ſequela mai. nàm in illo primo ſigno naturæ erit

ræ erit eſſentia D. ad illa in potentia, ac proinde perfectibilis ab eis. Reſp. neg. ſequelam mai. ob rationem in ſuperiori reſponſione adductam. Neque ob id dici poteſt eſſe in potentia ad attributa; eò quia non dicitur aliquod eſſe in potentia, niſi ad id, quod eſt à ſe diſtinctum realiter, cum nihil dicatur in potentia ad ſe ipſum, qua ratione, non dicimus, hominem eſse in potentia ad riſibilitatem, ſed ad albedinem. Itaque Eſsentia D. vt docet Scot. quol. 1. in ſuo eſse quidditatiuo, vt prior attributis eſt perfectiſſima formaliter quoad perfectiones primarias importatas per prædicata quidditatiua, & quo ad alias radicalitèr, quæ continentia radicalis operatur ne dici poſſit per eas perfectibilis; cum ex fæcunditate infinita eiuſdem D. Eſſentiæ huiuſmodi perfectiones profluant.

Arg. 4. Quæ diſtinguuntur formalitèr non prædicantur de ſe inuicem in abſtracto; hæc enim non eſt bona prędicatio. Rationalitas eſt animalitas; ſed attributa D. de ſe inuicem prædicantur in abſtracto; nàm hæc eſt vera, ſapientia eſt iuſtitia, ergo non diſtinguuntur formalitèr.

Reſp. diſting. mai. in creatis conc. mai. in Diuinis neg. mai. ratio autem diſparitatis eſt, quia intellectus concipiens abſtracta creata, non relinquit inter illa vinculum aliquod vnionis, ratione cuius vnum poſſit prædicari de altero à ſe formalitèr diſtincto; ſecùs autem in Diuinis, quià cum attributa ſint infinita formalitèr, infinitas ipſa eſt vinculum vnionis, & identificationis. Siquidem infinitas de ſui ratione poſtulat ſibi identificari quamlibet perfectionem ſibi compoſſibilem; adeòut ſi perimpoſſibile non vnirentur in eſſentia D. adhuc ratione infinitatis vnirentur inter ſe; & de ſe inuicem identicè prædicarentur; quod non reperitur in realitatibus creatis, quæ ſi non vniantur in tertio, nulla inter eas eſſet identitas. Immò cum realitates, e. g. animalitas, & rationalitas in homine ſint formalitates finitæ, & non perfectè inter ſe identificatæ, ſed tantum ratione tertij, in quo vniuntur, verè, & propriè vna eſt in potentia ad aliam, idq; ſufficit ad compoſitionem metaphyſicam; quæ Diuinæ ſimplicitati repugnat.

Arg. 5. Si attributa diſtinguuntur formalitèr, ergo & prædicata quidditatiua, qualia ſunt ens, ſubſtantia, ſpiritus &c.

eus &c. diſtinguuntur formalitèr; ſed conſequens à vobis non admittitur, ergo nec ant. eſt admittendum. prob. prima conſ. Etenìm Deus per rationem entis conuenit cum creaturis, per Deitatem non; tum quia non eo Deus, quo ens: ergo ratio entitatis, & Deitatis diſtinguuntur ex natura rei, quæ ſunt contradictoria, quę ſaluantur per vos non admittentes inter prædicata quidditatiua diſtinctionem formalem, ſed ſolam virtualem; ergo vel attributa non diſtinguuntur formaliter, vel ſi diſtinguuntur formaliter, etiam prædicata quidditatiua ſic diſtinguuntur.

Reſp. neg. primam conſ. Ad prob. dicimus diſting. ant, in re, & ex natura rei neg. ex parte noſtri intellectus inadęquatè concipientis rationem entis; Subſtantię &c. conc. ant. adeòque admittimus ſolam diſtinctionem virtualem inter prædicata quidditatiua, quæ ſufficit ad huiuſmodi contradictoria componenda, vt ſupra &c. & ſi nonnulli Scotiſtæ etiam inter prædicata quidditatiua aſtruant formalem diſtinctionem.

DISPVTATIO III.

De infinitate, ſimplicitate, immutabilitate, æternitate, immenſitate, & ineffabilitate Dei.

QVESTIO I.

Vtrum Deum ſit infinitæ perfectionis?

NOt. 1. Quod hìc non loquimur de infinito in genere, cuiuſmodi eſſet, ſi daretur infinitum in quantitate, vel continua, vt linea, vel diſcreta, vt numerus infinitus hominum, lapidum; neque de infinito in qualitate, vt gratia, quæ haberet infinitos gradus, vel albedo &c. ſed agimus de infinito in entitate, & extra genus. Huiuſmodi autem infinitum poteſt ſumi dupliciter, vno modo pro materiali, hoc eſt pro entitate, ſeu re infinita, ad quam ſequitur neceſſariò negatio finis, & termini; alio modo pro formali, & ſic dicit carentiam, & negationem finis, & termini; vnde licet infinitas à parte rei videatur importare negationem limitis, & termini; tamen accepta quoad

ſignificatum rei eſt aliqua entitas infinita, ſeù infinitas perfectionis: Quam Scot. optimè explicat quol. 5. in primis abſolutè hoc modo. Infinitum eſt illud, cui nihil entitatis, ſeù perfectionis deeſt eo modo, quo poſſibile eſt illud haberi in aliquo vno; notanter dicitur, quo poſſibile eſt illud haberi, quia impoſſibile eſt, quod aliquid omnem omninò entitatem formaliter, & realiter contineat. 2. explicat comparatiuè ſic. Infinitum eſt, quod excedit quodcunque ens finitum, vltra omnem determinatam, vel determinabilem proportionem.

Not. 2. ex Scot. in 4. d. 13. q. 1. quod duplex eſt infinitas in Deo, alia radicalis, ſeù fundamentalis, alia formalis; prima competit eſsentiæ D. per modum prædicati quidditatiui, & veluti ratio conſtitutiua Deitatis. 2. competit diuinis perfectionibus; vtque perſpicuè pateat mens noſtri Doctoris, produco eius præciſa verba ex 1. d. 8. q. 3. Ens autem, vt conuenit Deo, ſcilicet ens per eſſentiam eſt ipſum eſſe infinitum; & non aliquid, cui tantum conuenit ipſum eſſe, & ideò ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum, vt quaſi per priùs intelligatur aliquo modo infinitas eſſe modus entitatis per eſſentiam, quàm ipſum intelligatur eſse hoc, & ideò non opportet quærere, quomodo hoc ens ſit infinitum; tale enim primò determinatur ex ſe, vt ſit tale per eſſentiam, & vt ſit infinitum tale, & vt ſit hoc de ſe; hæc Scot. in §. reſpondeo quod quando, in calce quæſt. cit. Hinc doctiſſimus Scoti Commentator in 1. d. 8. q. 2. reſpondendo ad argumenta principalia ſic habet. Dico primò, quod fortè non eſſet inconueniens, & ad mentem Scoti ponere, ipſam infinitatem eſſe de eſſentia, & ratione formali Dei; neque obſtare videtur Scot. dixiſſe, infinitatem eſſe modum; ac proinde non eſſe de ratione formali Deitatis; non obſtat, inquam, ſiquidem Scot. tunc loquitur ſecundùm conceptum inadæquatum, quatenùs eſt modus diuidens ens tranſcendens, non verò ſecundùm conceptum adæquatum, quatenùs eſt propria ratio Deitatis, quam indicamus per infinitatem radicalem Deitatis, cui repugnat etiam concipi præciſa ab infinitate, quia ſi Deitas eſt Deitas, eſt formaliter infinita, vel ſaltem eam *inuoluit in* ſuo conceptu quidditatiuo; ſicut creatura finitatem in ſua entitate creata.

§. Conc.

I. Conc. Deus eſt ens ſimpliciter infinitum in perfectione. Eſt de fide, & habetur expræſsè in Sac. Script. vt in pſal.44. *Magnitudinis eius non eſt finis*. Baruch. 3. *Magnus eſt, & non habet finem excelſus, & immenſus*, quæ propriè accipiuntur à Theologis, & à SS. Patribus de infinitate perfectionis; idem traditur in cap. firmiter de ſum. Trinit. vnde D. Dion. de diuinis nominibus p.2. ait. *Eius magnitudo omnem numerum excedens, omnem tranſiliens infinitatem*.

Prob. etiam ratione naturali, & euidenti, eſtò Ocham, & alij exiſtiment non poſſe ratione naturali infinitatem demonſtrari à poſteriori, ſed poſſe ſolum afferri ad hoc probandum rationes probabiles. Nullum datur ens limitatum, niſi habeat aliquam cauſam ſuæ limitationis, vt patet de entibus creatis, ſed Deus à nullo poteſt limitari, ergo &c.

Prob. 2. Omni ente finito poteſt dari aliquid maius, ſed ſi Deo poſſet dari maius, Deus non eſſet Deus; nomine enim Dei intelligimus quoddam ens omnium entium perfectiſſimum; ergo &c.

Prob. 3. Infinita potentia arguit infinitam eſſentiam, ac proinde cæteras perfectiones infinitas, ſed in Deo eſt infinita potentia, quia quantùm eſt ex ſe poteſt producere infinita ſpecie diſtincta, ſi forent tot creabilia ſine imperfectione producibilia in eſſe exiſtentiæ: adde etiam quod modus producendi indipendenter à ſubiecto, & ex nihilo non eſt potentiæ finitæ; alioquìn creatura ex nihilo poſſet aliquid producere, ergo Deus eſt ens infinitum in perfectione. Confirmatur. Etenìm nulla eſt perfectio actualis, vel poſſibilis, quæ in Deo non reperiatur in gradu infinito: eſt namque infinitus in duratione ratione æternitatis; habet infinitam exiſtentiam ratione ſuæ immenſitatis; eſt infinitè bonus, intelligens, ſapiens, volens &c. ergo Deus eſt ſimpliciter, & abſolutè ens Infinitum.

II. Conc. In Deo ſunt perfectiones omnium rerum. Eſt de fide, & traditur expræſse in Sac. Script. & ſignanter: ad Rom.11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, pſal.93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Eandem veritatem docent vnanimi conſenſu SS. Patres. Immò, & hoc idem nouerunt Phyloſophi gentiles, qui appellauerunt Deum Pan, ideſt Vniuerſum, teſte Eugubino

lib.3.

lib. 3. de perenni Phyloſophia c. 8. Prob. ratione. Omnis perfectio eſt, vel increata, & hæc ſoli Deo competit, vel eſt creata, & hæc paritèr non poteſt non eſſe in Deo, cum ipſe ſit cauſa vniuerſalis, & principalis omnium perfectionum creaturarum, & creabilium; vnde D. Petrus docuit, *Quod Deus eſt omnia in omnibus*, ergo Deus continet perfectiones omnium creaturarum, productarum, & poſſibilium ad produci, non quidem formaliter, ſed eminenter, vt ſupra dictum eſt.

Arg. cont. 1. conc. Finitum, & infinitum conueniunt quantitati ex 1. phyſ. ſed Deus non eſt quantus, quia non eſt corpus, ergo &c. Reſp. diſting. mai Infinitum in potentia conuenit quantitati, conc. mai infinitum in actu, neg. & in hoc ſenſu locutus eſt Ariſt.

Arg. 2. Quòd ita eſt hic, quod non eſt alibi, eſt finitum ſecundùm locum, ergo quod ita eſt hoc, quod non eſt aliud, eſt finitum ſecundum ſubſtantiam, ſed Deus eſt hoc, & non eſt aliud; non enim eſt lapis, neque lignum &c. ergo Deus non eſt infinitus. Reſp. ex Scot. in 1. d. 2. q. 2. ƒ. ad 3. Quod conſequentia non valet, niſi illud, quod eſset in loco ſit finitum. Exemplum: ſi eſset aliquod vbi infinitum per impoſſibile, & corpus infinitum repleret illud, non ſequeretur, hoc corpus eſt hic; ità quod non alibi, ergo eſt finitum ſecundum vbi; quia ly (hic) non demonſtrat, niſi infinitum, ità in propoſito non valet conſequentia.

Arg. 3. Infinitum ſecundum ſubſtantiam eſt infinitæ virtutis, ſed virtus infinita non datur, quia nullus effectus infinitus datur talis virtutis, ergo nec datur virtus infinita; minor patet, quia effectus debet proportionari virtuti illum producenti. Reſp. neg. min. & ratio eſt, quia Deus eſt infinitæ virtutis, ſed liberum ad extra; libere ſe determinans ad ea, quæ vult producere, ac proinde liberè agit ad extra, & non neceſſariò, vt ſomniarunt Phyloſophi ponentes, primam cauſam nihil contingenter producere, ſed neceſſariò ſecundùm vltimum ſuæ virtutis. Quare effectus creatus, cum de ſua ratione non poſſit eſſe infinitus in entitate, non debet ſuæ cauſæ infinitæ proportionari entitatiuè, ſed ſufficit, vt ei proportionetur quoad modum, vt ſupra tactum fuit.

Arg.

Arg.4. Finitum ab infinito in infinitum diſtat, ſed Deus non diſtat in infinitum à creaturis, quæ ſunt finitæ; alioquin omnes creaturæ eſſent æqualis perfectionis, cum diſtantia infinita non poſſit eſſe maior, vel minor, ergo Deus non eſt ens infinitum. Reſp. conc. mai. & neg. min. Ratio, quia inter extrema tanta eſt diſtantia, quanta eſt entitas extremorum: e.g. Deus diſtat in infinitum à creatura, etiam data ſuprema poſſibili, ratione ſuæ infinitatis; cum hoc tamen ſtat, quod creatura vna minùs diſtat à Deo, quàm altera ob ſui maiorem perfectionem; & quando dicitur, quod omnes creaturæ eſsent æquales in perfectione, reſp. diſting. quatenùs omnes ſunt ens creatum, & limitatum; & ſic eſt verum, creaturas æqualitèr diſtare à Deo; quatenùs verò vna magis participat de entitatiua perfectione, & altera minus, & ſic non eſt verum eſſe ęquales inter ſe, & æqualitèr diſtare à Deo.

Quæres. An aliquid aliud à Deo poſſit eſſe infinitum per eſsentiam.

Reſp. negatiuè, & ratio eſt, quia quodlibet ens creatum eſt ens per participationem, participare autem eſt partem capere, ergo nihil præter Deum poteſt eſse infinitum per eſsentiam. Tùm quia ens infinitum per eſsentiam poſtulat eſse à ſe, & ex ſe; at nulla creatura poteſt eſse talis, nec per Dei potentiam, ergo nulla creatura poteſt eſse infinita per eſsentiam, aliàs non eſset creatura, ſed Deus, quod manifeſtam dicit contradictionem. Ex quo euidentèr infertur, infinitatem entitatiuam eſse ita propriam Dei, vt ne quidem de potentia abſoluta poſſit à Deo communicari creaturæ, & ſi poſſint ei communicari ęternitas, immenſitas &c. hæc enim reperiri poſsunt in creatura abſque independentia; & perfectione entitatiuè infinita, cum non ab intrinſeco, & ſua virtute, ſed Dei potentia eſset talis: at infinitas entitatiua identificat ſibi omnem perfectionem ſibi poſſibilem.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus ſit perfectè, & ſummè ſimplex.

NOt. 1. Quòd ſimplicitas generatìm ſumpta diuiditur in naturalem, ſeù entis; & in moralem, ſeù virtutis;

& hanc maximè commendat Chriſtus Matt. 10. *Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices, ſicut Columbæ*; tali namque ſimplicitate perficitur homo ſpiritualis, qui debet eſſe ſimplex in mente, in corde, in ore, & in opere; & de hac hìc non agitur, benè tamen de ſimplicitate entis: Ens autem aliud dicitur ſimpliciter ſimplex, & eſt illud, quod in ſua ratione formali non eſt reſolubilis in plures conceptus; ſic vltimæ differentiæ: aliud dicitur ſummè ſimplex, eſtque id, quod non eſt componibile ex his, neque cum his; eſtò in ſua adæquata ratione includat plures conceptus; & ſic ſolus Deus dicitur ſummè ſimplex. Vndè ſimplicitas, prout eſt perfectio D. ſic deſcribitur ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter, ſecundùm quam Deus ſibi vindicat omnem actualitatem, & perfectionem, ſine vlla compoſitione, vel componibilitate. Hinc patet diſcrimen inter ſimplicitatem, identitatem, & vnitatem; nàm ſimplicitas opponitur compoſitioni, identitas diſtinctioni, & vnitas multitudini. Simplicitas igitur quaſi media videtur inter vnitatem, & identitatem, quia ſtrictior eſt vnitate quæ partes componentes admittit, latior autem identitate, quæ omnem diſtinctionem excludit:

Not. 2. Quòd præter duplicem generalem compoſitionem, nempe phyſicam, & metaph. duplex inſuper compoſitionis genus aſſignatur à Scot. in 1. d. 8. q. 2. Aliud quidem ex actualitate, & poſſibilitate, ex quo fit, vt, cum nulla creatura à ſe, & ex ſe exiſtat neceſſariò, cumque nulla creatura ſit potens exiſtere, quælibet creatura componatur ex actualitate, & poſſibilitate. Aliud genus compoſitionis eſt ex entitate poſitiua, & priuatione alicuius gradus, & perfectionis entis. Creatura ſiquidem, cum non contineat omnes perfectiones entis, conſequens eſt, vt componatur, tùm ex perfectionibus, quas habet; tùm ex negatione perfectionum, quas non habet. Itaque quælibet creatura componitur ex poſitiuo, & priuatiuo, ſeù carentia alicuius perfectionis.

Conc. Deus eſt perfectè, & ſummè ſimplex. Eſt de fide, & habetur in cap. firmiter de ſum. Trin. *Vbi tres Perſonæ dicuntur eſſe vna eſſentia, ſubſtantia, ſeù natura ſimplex omninò*, & hoc idem vnanimi conſenſu docent SS. Patres.

Prob. ratione. Infinitum, neque poteſt componi ex parti-

partibus, neque eſse pars, ergo &c. Primum patet, quia partes deberent eſſe infinitæ, nàm ex finitis, & limitatis non conſtituitur infinitum: ſecundum pariter eſt manifeſtum. Siquidem infinitum ſi eſſet pars, careret perfectione alterius, & totius: implicat autem, infinitum non habere in ſe totalitatem eſſe, & perfectionis; ergo non poteſt eſſe pars, neque materialis, neque formalis, neque integralis, neque compoſiti accidentalis; cum Deus ſit ſimpliciſſima ſubſtantia, & nullius accidentis ſubiectum.

Prob. 2. Si Deus componeretur ex partibus, vel partes eſſent contingentes, vel neceſſariæ; nòn contingentes, quia eſſent ab alio, & poſſent non eſſe; non neceſſariẹ, quia ſic eſſent plura entia neceſſaria, ac proindè plures Dij, quod eſt manifeſtè falſum; ergo Deus non componitur, neque componi poteſt ex partibus; nec in compoſitionem aliorum venire poteſt.

Arg. 1. Quod corporaliter alicui inexiſtit eſt corpus, ſed Deus corporaliter inexiſtit humanitati Chriſti, vt ſcribit Apoſt. ad Coloſ. 1. *In Christo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter*, ergo &c. Reſp. neg. minorem: auctoritas autem D. Pauli intelligenda eſt in hoc ſenſu; ideſt habitare corporaliter, quatenùs ly corporaliter opponitur figuratè, non verò ſecundum rationem materialem corporis; vel ly corporalitèr ſumitur pro ſubſtantialitèr.

Arg. 2. In eo, in quo eſt determinans, & determinabile, ſiue actus, & potentia eſt compoſitio, ſed natura D. eſt determinabilis per diuinas perſonalitates, tanquàm per formas perſonales, ergo in Deo eſt compoſitio, ſaltem ex actu, & potentia.

Confirmatur ex D. Aug. 7. de Trin. vbi ſic docet. *Non eo pater, quo Deus; ſicut nec eo Verbum quo ſapientia*, ergo datur in Deo alia ratio formalis, qua conſtituitur in eſſe Dei, diſtincta ab ea, quæ conſtituitur in eſſe Patris, & Verbi, ergo datur in Deo compoſitio. Reſp. conc. mai. & neg. minorem, quia, vt docet Scot. in 1. d 8. q. 3. Eſſentia D. nullo modo eſt potentialis ad relationes perſonales; ſed eſt in ſumma actualitate; ac proinde in Deo non eſt ratio determinantis, & determinabilis. Ad confirmationem dicendum, D. Aug. tantùm velle inter Perſonas D. & eſſentiam

eſſe aliquam diſtinctionem; & non eſſe formaliter idem Perſonalitatem, & Eſſentiam D. quia ſic ſequeretur, quod eo Pater. quo Deus; neque tamen ex hoc inferri poteſt, dari in Deo compoſitionem, cum in eo nulla ſit potentialitas ad actum recipiendum.

Arg. 3. Quòd vni non eſt ſubſtantia, nulli eſt ſubſtantia ex Ariſt. 1. phyſ. ſed ſapientia in nobis eſt accidens, ergo & in Deo; ergo in Deo datur ſaltem compoſitio ex accidente, & ſubſtantia: eſt namque in Deo ſapientia ſecundùm eandem rationem vniuocam, ac in nobis; ſicut eſt vniuoca ratio entis, & veri ex 2. metaph. Reſp. neg. mai. ex Scot. in 1. d. 8. q. 1. §. ad 2. dico, & ratio eſt, quia ſapientia, ſcientia, & huiuſmodi dicuntur de diuina, & de noſtra æquiuocè, ac proinde non oportet, quod ſit accidens in ipſo, ſicut in nobis, quia non eſt niſi conuenientia nominis; ſicut homo eſt accidens reſpectu picti, & hominis veri ſubſtantia: igitur de æquiuocis propoſitio maior non tenet; ſed de vniuocis tantum.

Dices Sapientia vt ſic prædicatur de creata, & increata ſecundùm rationem vniuocam, ergo non dicitur æquiuocè, ſed vniuocè de creata, & increata, & per conſequens tenet propoſitio. Reſp. diſt. ant. prædicatur &c. ſecundum conceptum inadæquatum, & tranſcendentem conc. ant. ſecundum conceptum adæquatum nego. Vnde ſcientia, ſeù ſapientia abſolutè conſiderata non eſt ſubſtantia, nec accidens, ſed tranſcendens, & ad vtrumq; indifferens; ſicut animal ex ſe non eſt rationale, nec irrationale, ſed in homine eſt rationale, in Brutis irrationale; ſic ſapientia in Deo eſt ſubſtantia, in nobis accidens. Quarè cum ſit indifferens ad vtrumque nullum eſt abſurdum, ſi hoc modo varietur. Quod autem ſit modo prædicto tranſcendens patet quia & ſi non ſit vnum de tranſcendentibus conuertibilibus cum ente, vt vnum, bonum verum, aliquid, res &c. hæc enim ſunt tranſcendentiſſima, & omnibus entibus realibus communia; eſt tamen vnum de tranſcendentibus, quæ nimirum in aliquo genere non clauduntur ſecundum ſe, quo pacto omnia, quæ Deo, & creaturis communia ſunt, ſe habent, vt ſcientia, ſapientia, bonitas, voluntas &c. & quàmuis ſecundùm hanc doctrinam, ſapientia in Deo, & in nobis non ſit equiuocè dicta; attamen

ſecun-

ſecundum conceptum adæquatum, æquiuocè dicitur.

Arg. 4. Illud non eſt ſummè ſimplex, in quo eſt ordo prioris ad poſterius, ſed in Deo eſt huiuſmodi ordo: attributa namque ſunt immediatiora Eſſentiæ D. quàm relationes; intellectus, quàm voluntas, ergo &c. Reſp. diſting. mai. Vbi eſt prioritas durationis, conc. mai. vbi, ſeù in quo eſt prioritas naturæ, vel originis, neg. mai. Vnde D. Aug. 7. de Trin. ait. *Quod eſt ſapientia ſapere, & potentia poſſe, & æternitati æternum eſse, & iuſtitia iuſtum eſse, hoc eſt eſse ipſum eſse.*

Arg. 5. In Deo eſt multiplicitas realitatum, & relationum, quæ ab Eſſentia D. formaliter ex ſententia Scotica diſtinguuntur; ſed id, quod eſt omninò ſimplex excludit omnem multiplicitatem, ergo Deus non eſt omninò ſimplex. Reſp. conc. mai. & neg. min. Quia ſimplicitas non opponitur multitudini, niſi quando multitudo præſefert neceſſariò compoſitionem, ſed aduerſatur compoſitioni. Quare, licet in Deo ponantur realitates, & relationes, quę neceſſariò ponendæ ſunt aliquo modo diſtinctæ, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter, vt volùnt Thomiſtę, nihilominus, quia ratione infiniratis tranſeunt in perfectam identitatem abſque vlla potentialitate vnius ad alteram, ſtat multiplicitas realitatum abſque compoſitione.

Quæres 1. An in Deo admitti poſſit compoſitio metaphyſica.

Reſp. negatiuè ex Scoto in 1. d. 8. q. 3. Ratio eſt, quia talis compoſitio inuoluit imperfectionem, ſeù potentialitatem in partibus componentibus, ac proinde non eſt in Deo ponenda. Quod ſi aliquis contendat, poſse poni in Deo huiuſmodi compoſitionem ex genere, & differentia, ſecluſis omnibus imperfectionibus, vt videtur opinari noſter Poncius; dicimus, tunc eſſe potiùs quæſtionem de nomine, quam de re. Itaque præſtat non deuiare à terminis Scholæ, & noſtrorum Magiſtrorum, docentium compoſitionem ex genere, & differentia repugnare ſimplicitati diuinæ.

Quæres 2. An ſimplicitas dicat quid poſitiuum, vel quid negatiuum.

Reſp. ex Scot. in 1. diſt. 8. q. 5. eſſe quid poſitiuum; ad quod poſitiuum ſequitur negatio. Ratio eſt, quia ſimplicitas

citas eſt perfectio ſimplicitèr ſimplex : nulla autem negatio dici poteſt perfectio ſimpliciter ſimplex, cum negatio ſolùm excludat imperfectionem, & non ponat perfectionem, ergo &c.

Quæres 3. An ſimplicitas ſoli Deo competat.

Reſp. affirmatiuè; eò quia omnis creatura, vt ſupra monſtrauimus, vel eſt compoſita, vel componibilis,& hoc ex ſui natura; adeòut nec per Dei potentiam fieri poſſit creatura aliqua, quæ non ſit aliquo modo compoſita, vel componibilis.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus ſit omninò immutabilis?

NOt. Quòd immutabilitas explicatur per negationem mutabilitatis : mutabile autem dicitur id, quod eſt capax mutationis. Vnde quot ſunt ſpecies mutabilitatis, tot è contra ſunt ſpecies immutabilitatis. Et quidem mutatio generatìm dicitur tranſitus de vno ad aliud, qui tranſitus diuerſo modo fit. Primò quando res aliqua tranſit de non eſse ſimplicitèr ad eſſe, & è contra; quę quidem mutatio eſt de potentia obiectiua ad actum exiſtentiæ. 2. quando ſubiectum tranſit à priuatione formæ ad formam, vel è contra; ſiue ab vna forma ad aliam, vel ſubſtantialem, vel accidentalem. 3. quando non ſolùm ſubiectum, ſed etiam terminus conuerſionis ſubſtantialis dicitur mutari, ſiue conuerti in alterum; v. g. lignum in ignem, panis in Corpus Chriſti, quæ vocatur mutatio conuerſiua. 4. agens rationale dicitur mutari quoad intellectum, & voluntatem; dum incipit, aut deſinit aliquid intelligere, aut velle: quod contingit in creatis per mutationem ſubiectiuam, tranſeundo de vno actu ad alterum. 5. denique datur mutatio de vno loco ad alterum. Ex quo fit, quod tot modis oppoſitis aliquid immutabile dici poteſt;& quidem omnes ſupradicti modi Deo competunt, vt in ſequentibus concluſionibus oſtendetur, excepto vltimo, de quo erit ſermo in quæſtione de immenſitate.

I. Conc. Deus eſt omninò immutabilis quoad eſſe ſimplicitèr; & etiam ſubiectiuè. Eſt de fide, & probatur quoad primam partem ex cap. firmitèr de ſum. Trin. vbi Deus

dicitur incommutabilis. Item ex Sac. Script. Malach. cap. 3. *Ego Dominus, & non mutor*: & Iacob prima. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Probari etiam poteſt rationibus ſuperiùs adductis; & maſſimè abſoluta neceſſitate eſſendi, quæ Deo enti à ſe neceſſariò competit; tùm quia oppoſitum eſset in Deo magna imperfectio.

Prob. conc. quòad 2. part. Deus eſt actus puriſſimus excludens omnem potentialitatem ad quamlibet formam, tàm ſubſtantialem, quàm accidentalem; tùm quia ratione ſimplicitatis Deus nullam formam, ſiue abſolutam, ſiue relatiuam poteſt in tempore recipere, ergò ſubiectiuè Deus eſt immutabilis.

II. Conc. Deus eſt immutabilis conuerſiuè, ideſt, non poteſt eſſe terminus conuerſionis, qua conuertatur in aliud, & aliud in ipſum Deum. Hæc conc. pat. ex notione entis neceſſarij, & incauſati; quod ſicut non poteſt Deus per aliquam cauſam incipere, aut deſinere eſſe ſimpliciter, ſic nec poteſt incipere, aut deſinere cum ordine ad deſitionem, vel inceptionem alterius termini poſitiui. Pro confirmatione huius concluſionis faciunt etiam probationes primæ conc.

III. Conc. Deus eſt immutabilis terminatiuè quoad intellectum, & voluntatem, adeòut non poſſit in tempore aliquid intelligere, aut velle. Ità Alenſ. D. Thom. D. Bonau. Scot. & alij communitèr; & probatur ex Sac. Script. in 1. lib. Reg. 15. *Pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, vt agat pænitentiam*. Num. 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur*, & ità habetur in multis alijs locis Sac. Script. ergo &c.

Probatur ratione. Subſtantia Dei eſt immutabilis ex dictis; ſed intellectio, & volitio ſunt de ſubſtantia Dei; ergo ſunt immutabiles, & neceſſatiæ.

Probatur etiam. Intellectus D. neceſsariò ſemper intelligit omne verum, & intelligibile ob ſuam infinitatem; ſed in obiecto intellegibili non poteſt cadere variatio, quod eſt euidens, quoad obiectum increatum, & res merè poſſibiles, quæ ſemper, & neceſsariò ſunt tales: ergo intellectus D. quoad intellectionem eſt immutabilis: neque poteſt eſse vlla variatio quoad obiecta contingentia; quia

hæc deberet prouenire ex inſtabilitate D. Voluntatis; ſed Voluntas nequit alitèr, & alitèr ſe habere circa contingentia; ergo neque intellectus. Prob. min. Quia ſi aliqua in Deo eſſet variatio volitionis, & intellectionis; eſset pariter in eo ignoratio, & incoſtantia: Ignoratio quidem; nàm ſi Deus aliquid de nouo, aut alio modo cognoſceret, euidentèr ſequeretur, quod Deus illud antea ignoraſſet, vel non perfectè nouiſſet. Pari ratione ſi deſineret omninò aliquid cognoſcere, vel alio modo; iàm in eo eſset, vel fuiſſet illius rei ignorantia, aut imperfecta eius notitia: eſset pariter in Deo leuitas, & incoſtantia, ſi aliter ſe haberet eius voluntas, quàm anteà circa obiectum ità perfectè ab æterno cognitum, vt illius maiorem, & perfectiorem cognitionem habere non potuerit; nàm inconſtans in voluntate cenſetur ille, qui nulla præſuppoſita noua ratione cur aliter ità velit, aut nolit, aliter ſe habet, quàm antea in volendo, & nolendo, quod eſt maxima imperfectio: ergo Deus eſt immutabilis quoad intellectiones, & volitiones: ac proinde ab eo lòngè eſt leuitas, & inconſtantia, cum omnia omnibus modis ab æterno nouerit, & ſua infinita ſapientia diſpoſuerit, & diſponat in tempore.

Arg. cont. 1. conc. quoad 2. part. & deſumitur argumentum ex D. libertate ſic. Deus aliqua decreta modo habet, quæ potuit ſaltem ab æterno non habuiſse; ergo Deus non eſt immutabilis ſubiectiuè; conſ. pat. quia tales volitiones videntur eſse perfectiones contingentes Deo realitèr ſuperadditæ, ſine quibus potuit exiſtere, ſi ab æterno potuit illas non habere. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt quia actus liberi nil intrinſecum ſuperaddunt volitioni eſsentiali Dei, quæ eſt ei identificata; ac proinde non lædere D. immutabilitatem. Qualiter autem id eſſe poſſit cum eo, quod potuerit abeſſe à Deo; ingenio humano redditur valdè difficile captu. Nihilominùs in diſputat. de volnntate Dei vbi agetur de libera volitione Dei, diffusè pertractabitur huiuſmodi difficultas.

Arg. 2. Vnio hypoſtatica naturæ humanæ cum Verbo, quæ eſt vnio intrinſeca, non videtur potuiſse fieri ſine mutatione intrinſeca ipſius Diuini Verbi, ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nàm vnio hypoſtatica, quamuis ſit intrinſeca, nullam mutationem ponit in Verbo D. cum in ſe non

ſe non ſuſceperit nouam formam, vel accidens; ſed ſolùm terminauit vnionem intrinſecam humanitatis, in qua ſola tota mutatio cadit; vt latè oſtendetur in tract. de Incarnatione part. 3.

Arg. 3. Multæ, & variæ relationes adueniunt Deo in tempore, puta Creatoris, Conſeruatoris, Domini &c. ergo cum Deus ab æterno non habuerit tales relationes eſt aliquo modo ſubiectiuè mutatus, ergo &c. Reſp. diſting. ant. Adueniunt in tempore Deo extrinſecè conc. intrinſecè neg. ant. tales enim denominationes non competunt Deo ratione alicuius formæ; vel relationis, quę in tempore Deo adueniat; ſed ratione termini producti per ſolam relationem rationis in Deo; eſtò in creatura ſit realis ad Deum creantem, & ſanctificantem.

Arg. cont. 2. conc. Scot. quol. 10. inſinuat aliquid manens in eodem eſſe prius habito, nulla facta circa ipſum nouitate, probabiliter poſſe eſſe terminum nouæ conuerſionis; ergo Deus eſt mutabilis conuerſiuè; loco enim cit. Scot. ponit tres concluſiones, quarum tertia docet poſſe fieri abſque vlla penitùs nouitate, tàm intrinſeca, quàm extrinſeca in termino ad quem fit conuerſio. Reſp. Doct. loc. cit. loqui non aſſertiuè, ſed dubitatiuè, & diſputatiuè, vt bene aduertit Herincx. Vndè in 4. d. 11. q. 3. expræſsè affirmat tranſubſtantiationem neceſsariò aliquid efficere nouum in termino, ideſt in Corpore Chriſti. Quia omnis actio conuerſiua eſt productiua termini ad quem ſecundùm eſse ſimpliciter, vel ſecundùm quid: at cum Deus nullo modo ſit producibilis, per conſequens non eſt conuerſibilis; & eò vel maximè, quia ibidem Scot. exigit, vt ſaltem terminus conuerſionis conſeruetur dependenter à deſitione alterius, quod Deo manifeſtè repugnat.

Arg. cont. 3. conc. auctoritate Sac. Script. & 1. Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia*: ergo Deus eſt mutabilis quoad cognitiones, & volitiones. Reſp. cum Alenſ. & D. Bonau. intelligi Scripturam allatam cauſalitèr, non formalitèr. Quaſi dicat, ſapientia omnibus mouentibus eſt magis motiua, cum in eius virtute omnia moueantur.

Dices Scriptura Deo adſcribit pęnitentiam facti Gen. 6. *Pœnitet me feciſſe eos*. Item Ierem. c. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui*

gitaui vt facerem ei. Inſuper nonnulla prædixit Deus ſe facturum, quæ poſteà non fecit; v. g. ſubuerſurum ſe Niniuen, vt habetur Ionæ c. 3. Denique Deus odit peccatores tempore, quo ſunt tales; & iterùm eos diligit, dùm ſunt iuſti, quæ omnia videntur ſigna mutatæ Voluntatis; ergo Deus eſt mutabilis quoad volitiones. Reſp. ad omnes auctoritates adductas, & ad conſimiles hac doctrina generali. Omnia Decreta, ſeù volitiones, quæ in Deo ſunt, ſemper eodem modo in ipſo manent abſque vlla retractatione, aut oppoſitione; vnde mutatio ſolùm eſt in effectibus, ſiue obiectis reſpicientibus diuerſa tempora. Itaque Deus ab æterno, & in æternum habet decretum creandi hominem pro tali tempore, & deſtruendi prc tali tempore: diligit etiam nunc Iudam conſideratum pro tempore, quo erat iuſtus; odit pro tempore, quo eſt peccator, & damnatus; vult Saul eſſe Regem pro tali tempore, & pro alio tempore nequaquàm; quæ quidem ſimultas decretorum non eſt oppoſita; ſed tantùm ſimultas obiectorum, vel effectuum pro eodem tempore. Vnde reſpondetur in forma, & dicimus Deum pęnitere, mutare ſententiam, ſi nouerit peccator mutare vitam; & alia ſimilia quoad effectum, non quoad affectum, & iudicium, ſeù propoſitum ipſius D. Voluntatis. Inſuper obſeruandum, quod in Sac. Scrip. alię ſunt cōminationes abſolutæ, quæ infallibilitèr exequuntur: alię ſunt conditionatæ, quę nimirum dependentes ab hominis emendatione intelliguntur: huiuſmodi ſunt cōminationes Niniu. Ezech. cui dixit: ***Diſpone domui tuæ, quia morieris tù, & non viues***; & tamen eius vita fuit diuinitùs prorogata: Verùm hęc potiùs fuit prædictio, ſpectato curſu cauſarum naturalium. Vnde D. Thom. p. p. art. 3. & quæſt. 19. art. 7. ad 2. docet, quod Deus aliquando pronunciat aliquid futurum ſecundùm quod continetur in ordine cauſarum inferiorum, puta ſecundùm diſpoſitionem naturæ, vel meritorum, quod tamen non fit, quia aliter eſt in cauſa ſuperiori, vt de Ezechia &c.

Quando verò prædictio ſit abſoluta, vel comminatoria, & conditionata; ex textu Sacræ Scripturæ, ex circuſtantijs, & effectibus, ex ſenſu Patrum, vel Eccleſiæ traditione eſt colligendum; vt notauimus in quæſt. de ſenſibus Sacræ Scripturæ artic. 7. de Regulis; & dicetur

in diſput. de Scientia conditionata Dei, & præſertìm in diſput. de Diuina Voluntate quæſt. 4.

QVÆSTIO IV.
Vtrum Deo propriè competat æternitas.

NOt. 1. Quòd pro maiori intelligentia huius quæſtionis ſunt aliqua reuocanda, de quibus agitur in phyloſophia. Vnde ſciendum eſt, quod duratio nil aliud eſt, quàm exiſtentia, ſeù permanentia rei, ſi pro materiali ſumatur: pro formali autem duratio eſt negatio deſitionis rei, cuius eſt duratio; quæ quidem duratio, vt ſic diuiditur in increatam, quæ ſoli Deo competit, & dicitur æternitas; & creatam, quæ creaturis eſt communis. Creata ſubdiuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam: prior eſt, cuius omnes partes ſunt ſimùl: poſterior autem, cuius partes ſucceſſiuè acquiruntur. Permanens, vel caret fine, & dicitur æuum, qualis eſt Angelorum, & hominum poſt generalem reſurrectionem duratio; vel habet finem, & dicitur modus æuui, qualis eſſet v. g. duratio Angeli, qui hodie produceretur, & poſt duas, vel tres horas anihillaretur; ſucceſſiua eſt tempus. Ex qua doctrina infertur, quod duratio habet ſub ſe tres ſpecies, nempe æternitatem, æuuiternitatem, & tempus; ac proinde duratio eſt veluti genus in ordine ad illas.

Not. 2. Quod æternitas varijs modis in Sacris litteris vſurpatur. Primò pro ſæculo, ſeù periodo cuiuslibet rei, quo ſenſu Exod. c. 3. dicitur *Dominus regnabit in æternum, & vltrà*; vbi alia verſio, vt obſeruat D. Thom. habet, *regnabit in ſæculum*. 2. pro antiquitate, quo ſenſu in Sac. Script. dicuntur *Montes æterni*. 3. pro longa duratione, eſtò habeat principium, & finem; quo ſenſu Gen. c. 17. Deus dixit Abrahæ, *Dabo tibi, & ſemini tuo omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam*. 4. pro æternitate participata; quatenùs à Deo obtinent immutabilitatem aliquam, & ſic in Eccl. c. 1. dicitur. *Terra autem in æternum ſtat*; & hoc modo æternitas coincidit cum euiternitate. 5. æternitas ſumitur pro duratione, cuius principium, aut finis nec datur, nec dari poteſt; ac proinde caret etiam principio dependentiæ, & hæc eſt propria æternitatis acceptio, & in hoc ſenſu ſoli Deo competit.

Vnde

Vnde æternitas ſic ſumpta definitur à Boetio lib. 5. de conſolat. proſa 6. *Eſt interminabilis vitæ tota ſimùl, & perfecta poſſeſſio*; dicitur interminabilis, quia caret principio, & fine; ponitur vita pro quacunque perfectione eſſendi, vt notat Scot. quol. 6. Tota ſimùl ſignificat non dari ſuceſſionem vllam in æternitate, ſed totum eſſe rei æternæ haberi ſimùl. Perfecta poſſeſſio ſignificat vitam, ſiue perfectionem omnem actualitèr haberi ex intrinſeca naturæ neceſſitate, vt docet Scot. vbi ſupra. Hæc autem deſcriptio non eſt formalis, vt aduertit Herincx; æternitas enim formalitèr non eſt vita Dei, ſed eius ſtabilis duratio.

Not. 3. Quòd Æuuiternitas eſt duratio rei permanentis, & incorruptibilis ab intrinſeco; ex qua deſcriptione patet diſcrimen inter æternitatem, & æuum. Nàm æuum, & ſi iuxta idioma græcum, ac latinum coincidat cum æternitate; vſu tamen Doctorum ſumitur pro duratione rei permanentis quidem, ſed dependentis, & terminabilis, vt Angeli, Animæ &c. Tempus verò, vt docent Phyloſophi diuiditur in tempus intrinſecum, & extrinſecum, de quo ſatis in Phyſicis egimus: ideo &c.

Not. 4. cum Smiſing. diſp. 4. q. 1. æternitatem coincidere cum immutabilitate, & in hoc ſolùm ab ea differre, quod æternitas addit ſupra immutabilitatem reſpectum aptitudinalem coexitendi cuilibet durationi creatæ, ac proinde dici poteſt ratio proxima fundandi æternitatem, & ob id plerumque concipimus æternitatem ratione durationis ſub quadam extenſione in ordine ad tempus verum, ſiue immaginarium, qui reſpectus non videtur inuolui in conceptu immutabilitatis; hæc enìm intelligeretur in Deo, eſtò nulla creata duratio eſſet poſſibilis; cui doctrinæ ſubſcribitur Herincx. Hinc patet qualiter in æternitate ſit ſucceſſio virtualis; ideſt quatenùs coexiſtere poteſt ſucceſſiuæ durationi, ſeù omnibus temporis differentijs. Non tamen coexiſtit æternitas ſemper cuilibet temporis differentiæ: non enim tempori præterito, dum eſt præteritum, aut futuro, dum eſt futurum; cum nil poſſit realiter coexiſtere, niſi rei realiter exiſtenti. Nihilominùs neceſſariò coexiſtit omni tempori, quatenùs nullum eſt tempus præteritum, cui non extiterit; præſens, cui non coexiſtat; futurum, cui non coexiſtet, & poſſibile,

cui non coexiſtere poſſit. Itaque omnia ſunt æternitati præſentia, toti æternitati quidem, ſed non totalitèr, ſeù non ſemper, ſed ſingula pro parte ſuæ durationis; ſicùt omnia ſunt præſentia immenſitati, ſed non vbique his notatis.

Conc. Æternitas propriè dicta conuenit Deo. Hæc eſt de fide ex cap. firmitèr de ſum. Trin. & ex Symbolo D. Athanaſij; vbi dicitur *Æternus Pater æternus filius, eternus Spiritus Sanctus*. Item pſal.89. *A ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus*; & Eccl.18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*.

Prob. etiam euidenti ratione. Si Deus non eſſet æternus, ſequeretur, ipſum ab alio originem accepiſſe; ac proinde non eſſe primam omnium cauſam,& independentem, & per conſequens nec eſſe Deum,quod ſolus inſipiens hoc dixerit.

Præterea ſi Deus ab æterno non fuit: vel aliud ante ipſum exiſtit, vel nihil: ſi aliquid aliud fuit, hoc eſſet Deo melius, & perfectius, quod Deitati repugnat: ſi nihil omninò fuit, conſequens eſt, nec aliquid etiam futurum eſſe, ergo &c.

Prob. 2. ratione deſumpta ex D. Eſſentiæ plenitudine; ſeù exiſtendi per Eſſentiam. Nihil poteſt eſſe à ſe ipſo, & continere in ſe totam eſſendi plenitudinem, niſi ſit ab æterno, ergo Deus neceſſariò eſt æternus. Vnde D. Anſel. in Monologio cap.22. ſic ait. *Tu verò es quod es, quia quidquid aliquando aùt modò es, hoc totus, & ſemper es; & quià propriè, & ſimplicitèr es non habes fuiſſe, aùt futurum eſſe ſed tantum preſens eſſe, nec potes cogitari aliquando non eſſe*. Hanc catholicam veritatem agnouerunt etiam Sapientes gentiles;vt liquidò patet apud Doctores.

Arg. 1. cont. conc. Nihil factum poteſt dici de Deo; ſed ęternitas eſt aliquid factum; nàm teſte Auguſt. lib.83.q.q. *Deus eſt Auctor æternitatis*, & Boet. lib. de Trinit. ait. *Quod nunc fluens facit tempus, nunc ſtans facit æternitatem*, ergo Deo non competit æternitas.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Æternitas ſumpta pro æuuo conc. pro intrinſeca duratione Dei neg.min.D. Auguſt. & Boetius intelligendi ſunt de æternitate ſumpta pro æuuo.

Arg. 2. Quòd eſt ante æternitatem, & poſt æternitatem

non

non menſuratur æternitate, ſed Deus eſt antè, & poſt æternitatem, dicitur enim Exod. 3. *Dominus regnabit in æternum, & vltra*, ergo Deo non competit æternitas.

Reſp. diſting. mai. quod eſt ante æternitatem propriè dictam conc. mai. quod eſt ante æternitatem ſumptam pro æuiternitate non menſuratur æternitate propriè dicta nego. Vnde Deus eſt ante, & poſt æternitatem, ideſt æuiternitatem.

Contra. Æternitas eſt menſura, ſed Deo non conuenit eſse menſuratum, ergo neque ei competit æternitas.

Reſp. diſt. mai. ſecundum noſtrum modum concipiendi conc. ſecundum rem, & à parte rei nego mai. Quia ſi eſſet menſura, vel eſſet actiua, vel eſſet paſſiua, neutrum autem dici poteſt; menſura namque paſſiua dicitur tantùm reſpectu actiuæ, at nulla eſt menſura extra Deum; tùm quià de ratione menſuræ eſt ducere in cognitionem quantitatis alterius; ęternitas autem eſt duratio Diuini eſſe; ac proinde non poteſt hanc durationem metiri, alias diceretur menſura ſui ipſius, & in ſui ipſius notitiam ducere.

Arg. 3. Æternitas eſt duratio quædam, ſed omnis duratio eſt diuiſibilis, quælibet enim duratio alteri comparata, vel eſt maior, vel minor; & Deus quoad ſuum eſſe eſt immutabilis, & indiuiſibilis, ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſt. min. intrinſecè, quatenùs eſt ſtabilis permanentia Diuini eſſe, nego; extrinſecè, quatenùs coexiſtit omnibus temporis differentiis conc. min.

Arg. 4. Si Deus eſſet æternus, ergo etiam filius eſſet æternus; ſed in pſal. 2. videtur inſinuari non eſſe æternum, dum dicit Pater æternus; *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, ergo &c.

Reſp. conc. mai. cum ſequela, & neg. min. Generatio namque D. eſt æterna, & nunquam tranſijt in præteritum, ſed ſemper fuit, nunc eſt, & in æternum duratura. Explicatur autem in Sac. Scriptura per tempus præteritum ad denotandum illam eſſe totam ſimùl, completam, & perfectam.

Quæres 1. Vtrum Æternitas ſoli Deo competat.

Reſp. Æternitas propriè dicta, vt eam ſupra deſcripſimus, ſoli Deo conuenit. Ratio eſt, quia talis æternitas præſefert neceſſariò totam perfectionem eſſendi, ac proinde ex

de ex ſe, & independentèr. Quarè ſi Deus creaſſet Angelum ab æterno, diceretur æternus imprpopriè, ideſt æternitate dependenti, & participata, quæ longè diſtaret ab æternitate Dei, quæ eſt ex ſe, & idependentèr ab alio.

Dices eſſentiæ creaturarum dicuntur æternę, & propoſitiones, in quibus prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, dicuntur æternæ veritatis; ergo ęternitas propriè dicta poteſt competere creaturis.

Reſp. Æternitatem eſſentiæ creaturarum non eſſe æternitatem alicuius entis veri, & poſitiui, ſed ſolum priuatiui, ſeù non repugnantię ad eſſe, vt elegantèr explicat Scot. in 1. d. 36. hic autem agitur de ente exiſtente, & poſitiuo.

Quęres 2. Vtrum res temporales coexiſtant æternitati ab æterno.

Reſp. Res temporales non coexiſtere ęternitati ab ęterno, quia coexiſtere ſupponit exiſtere, res autem temporales ab æterno non exiſtunt; ac proinde non coexiſtunt; coexiſtunt tamen æternitati, quandò exiſtunt in tempore, quatenùs æternitas coexiſtit cuicunque differentiæ temporis.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus ſit immenſus, & vbiquè.

NOt. 1. Quòd immenſitas Dei eſt modus intrinſecus naturæ D. quo Deus aptus eſt, eſſe præſens omni loco. Quarè ex immenſitate, quæ eſt ęterna, ſequitur vbiquitas in tempore, tamquàm actus ſecundus ex actu primò; itàut vbiquitas ſit præſentia actualis, qua Deus dicitur actualiter præſens in rebus, quæ quidem præſentia alio nomine vocatur inexiſtentia. Itaque immenſitas eſt quid abſolutum Deo ab æterno conueniens; vbiquitas autem eſt quid relatiuum Deo in tempore aduenjens; nàm Deus per vbiquitatem habet relationem rationis ad loca in quibus eſt.

Not. 2. quod tres ſunt modi communes, quibus Deus dicitur in omnibus rebus inexiſtere; nimirum per eſſentiam; per præſentiam, & per potentiam. Eſſe in rebus per eſſentiam eſt Dei eſſentiam, & ſubſtantiam eſſe indiſtantem à quacunque re, ſicut Anima eſt indiſtans à corpore:

Eſſe

Eſse in rebus per præſentiam eſt eſse in illis per ſcientiam, & cognitionum, quatenùs omnia diſtinctè, & perfectè cognoſcit: denique eſse in rebus per potentiam eſt eſse in illis per operationem, quatenùs Deus immediatè, non ſolùm immediatione virtutis, ſed etiam ſuppoſiti omnia operatur in nobis; vt habetur in 1. ad Corint. cap. 2. Præter hos modos communes dantur etiam modi ſpeciales, quibus dicitur Deum in nobis exiſtere: primo modo eſt in humanitate aſſumpta per vnionem hypoſtaticam; vnde Paulus ad Corint. 2 cap. 5. *Erat Deus in Chriſto ſibi mundum reconcilians*. 2. eſt in iuſtis per gratiam, & auxilia ſpecialia, & hoc modo dicitur Deus adeſse, & abeſse, vt Prouerb. 13. *Longè eſt Deus ab impijs*. 3. eſt in Beatis, & in Cœlo per gloriam. 4. eſt in Inferno, & in damnatis per iuſtitiam ponitiuam, & vindicatiuam. 5. eſt in Eccleſia per aſſiſtentiam, & directionem ſpecialem. 6. eſt in Templis per exauditionem. 7. in aliquibus hominibus per gratias gratis datas. 8. eſt in locis, & in rebus inanimatis per viſiones, & apparitiones, vt in rubo ardenti, & in Monte Sinai.

Not. 3. Quòd non eſt omninò idem, Deum inexiſtere omnibus rebus realitèr intimè preſentem, & Deum eſſe vbique; nam primo modo inquirimus præſentiam Dei ſubſtantialem præcisè ſpectatam in omnibus rebus; vt res ſunt formalitèr tales ſecundùm naturam; ſecundo vero modo intelligimus realem Dei præſentiam in omni loco; vt præcisè locus eſt, ſeù præſentiam eius in rebus, quæ rationem loci fundare poſſunt; Aduerbium enim hoc (Vbique) locum propriè ſignat, cuius ratio non in omnibus rebus reperitur, nàm locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis, vt declarat Scot. in 2. d. 2. q. 6. ac proinde loci ratio tantùm in rebus materialibus, & quantis reperitur, non verò in rebus ſpiritualibus. Itaque non eſt idem, Deum eſſe in omnibus rebus intimè præſentem, & vbique; cum præſens ſit omnibus ſubſtantijs, ſub præciſa ratione ſubſtantiæ, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis, præſcindendo ab omni quantitate, in qua ſolum ratio loci reperitur, & ratione cuius dicitur eſſe Deus in loco, non quidem formalitèr, vt corpora, ſed formalitèr ſecundùm modum eſſendi, quo ſubſtantiæ ſpirituales locum formalitèr replere dicuntur, nempe ob ſimplicem exhibitionem propriæ ſub-

ſtan-

ſtantiæ per totum locum indiuiſibilitèr diffuſę: cum hoc tamen diſcrimine, quod ſubſtantię ſpirituales creatę ſunt in loco diffinitiuè, ideſt; ita in vno loco, vt non poſſint eſse naturalitèr eodem tempore in alio; idque ratione finitæ entitatis: Deus autem, cum ſit infinitus, & immenſus, neque circumſcribitur, neque diffinitur, ſeù determinatur à loco, ſed eſt vbiquè.

Conc. Deus eſt immenſus, & vbiquè. Hæc eſt de fide, vt habetur definitum in cap. firmitèr de ſum. Trin. & in Symbolo D. Athanaſij, & clarè patet ex Sac. Script. vt Ieremiæ c.23. *Cœlum, & Terram ego impleo*; pſal.138. *Si aſcendero in Cœlum tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades*; & Iſaiæ c. 66. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*. Accedit etiam Sanctorum Patrum communis conſenſus: ergo de fide habemus hanc concluſionem.

Prob. ratione. Deus ratione ſuę infinitatis excludit terminum perfectionis eſſentialis, durationis, potentiæ &c. ergo etiam terminum præſentialitatis excludit; ac proinde eſt vbiquè.

Præterea nullo coarctari loco, ſed poſſe, & neceſſariò eſſe vbiquè, dicit perfectionem, è contra verò coarctari loco dicit imperfectionem; ergo immenſitas, & vbiquitas Deo neceſſariò competit; cum omnipræſentia ſit perfectio ſimplicitèr ſimplex. Rurſùs prob. Aut Deus nullibi eſt, aùt tantùm alicubi eſt, aùt vbiquè eſt: ſed non poteſt dici, quod Deus nullibi ſit, quia ex communi axiomate, quod nullibi eſt, nihil eſt; nec dici poteſt, quod ſit alicubi tantùm; quia quod eſt in illo loco, eſt ibi vel per voluntatem, vel per eſſentiam: non liberè, & per voluntatem eſt in loco, quia Deus voluntariè mutaretur de vno loco ad alium, quod inuoluit imperfectionem: neque per naturam, quia eſſet ad illum determinatus: vel eſſet in loco, vt conſeruaretur à loco, vel vt perficeretur ab illo, vel vt operaretur in illo; at omnia iſta ſunt manifeſtè falſa; ergo Deus eſt vbiquè, & tales rationes etiam oſtendunt, poſſe naturali ratione demonſtrari Dei immenſitatem.

Verùm D. Thom. q. 8. art.1. & alij probant Deum eſſe vbiquè ex eo quod vbique operetur ſed inefficacitèr, vt elegantèr Scot. in 1. d.37. oſtendit. Quia valdè probabilitèr poteſt etiam creatura immediatè agere indiſtans; tum quia,

quia, & ſi id non poſſet naturalitèr, ſaltem poteſt ſupernaturalitèr; ac proinde idem poſſet Deus, ſi per impoſſibile non eſſet vbiquè, tùm quia, eſtò foret impoſſibile actionem inchoare à diſtanti, non tamen requiritur intima præſentia, ſed ſufficit approximatio; ergo non ſufficientèr à Thomiſtis oſtenditur Dei immenſitas, & vbiquitas per operationem, neque per conſequentiam formalem, ſed materialem id inferunt.

Arg. 1. cont. conc. Quod continet in ſe omnia, omnia ſunt in ipſo, & non ipſe in omnibus; ſed Deus continet in ſe omnia; ergo omnia ſunt in Deo, & non Deus in omnibus: Vnde dicit D. Auguſt. lib. 83. q. q. *Quod in Deo potiùs ſunt omnia, quàm Deus alicubi*.

Reſp. diſting. mai. Quod continet omnia, omnia ſunt in ipſo, vt in cauſa conc. ratione immenſitatis nego mai. nàm per immenſitatem ſuæ eſsentię Deus eſt in omnibus rebus, vt ſupra explicatum fuit, & ſic patet reſponſio ad D. Auguſt.

Arg. 2. Si Deus eſſet in omnibus rebus; ergo Deus mutaretur, quia de nouo acquireret præſentiam in rebus, quæ de nouo producuntur, & amitteret præſentiam in rebus, quæ deſinunt eſse; ſed hoc eſt abſurdum, & falſum, ergo &c. Reſp. diſting. ſequelam mai. mutaretur Deus, terminatiuè, & extrinſecè conc. intrinſecè, & formalitèr nego maiorem. Dices, Deus dicitur accedere, & recedere, deſcendere, ambulare, ſtare de longè, quæ omnia denotant Deum non eſſe in omnibus præſentem: ergo &c. Reſp. hæc omnia eſſe metaphoricè intelligenda, vt oſtendatur per ſenſibilia aliquod inſenſibile; vti euenit in nobis, vt quaſi ſenſibilitèr intelligamus, quommodo Deus recedit à nobis, quando peccamus, & accedit per gratiam.

Arg. 3. Eſse vbique ſignificat eſſe in omni loco; ſed eſſe in omni loco repugnat Deo; incorporalia enim ex Boet. non ſunt in loco, ergo &c. Reſp. conc. mai. & diſt. min. Repugnat Deo eſſe in loco, circumſcriptiuè, & diffinitiuè conc. incircumſcriptiuè, & ratione ſuæ immenſitatis nego. Boetius ergo loquitur de vbicatione circumſcriptiua, & diffinitiua, non verò de vbicatione immenſitatis.

Arg. 3. Quod eſt totum alicubi, nihil eius eſt extrà illum locum, ſed Deus eſt totus in aliquo loco, ergo non eſt vbi-

vbique, ſed in illo loco, in quo eſt totus. Reſp. diſt. mai. Si illud totum ſit finitum, & limitatum conc. mai. ſi infinitum; vt eſt in propoſito noſtro, nego maiorem.

Arg. 4. Si Deus eſſet vbique, eſſet vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; ſed ſic nequit eſſe vbique, ergo &c. Prob. min. Si Deus eſſet vbique per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, ſequeretur quod diceretur eſſe in omnibus rebus, etiam per ſcientiam, aùt voluntatem, aùt per gratiam; & ſimilitèr per alias ſuas perfectiones.

Reſp. conc. ſequelam mai. & neg. min. Ad probat. conc. ſequelam, diuerſo tamen modo; nàm Deus dicitur eſſe in rebus per ſcientiam, per voluntatem, & per cæteras Diuinas perfectiones, quatenùs Deus illapſu generali illabitur ſua voluntate cuilibet creaturæ; & cuilibet creaturæ adeſt præſens; & ſua ſcientia omnia intuetur, & intuitiuè attingit: Sicùt enim cuncta in eſſe cognito, ſunt in ipſa ſcientia Dei; & in eſſe volito in voluntate ipſius Dei, in quantum ab æterno iſtæ potentiæ producunt talia in tali eſſe; ità in tempore Deus per eaſdem potentias dicitur eſſe terminatiuè in rebus productis in eſſe ſimplicitèr, tanquàm in effectibus ſibi realitèr coexiſtentibus, & ab eo eſſentialitèr dependentibus: eſt autem Deus vbique per ſuam eſſentiam, quatenùs Eſſentia D. per ſuam infinitam entitatem diffunditur quodammodo in omnibus rebus, & locis; & conſequentèr eſt in omnibus etiam per præſentiam, & potentiam &c.

Quæres 1. Vtrum Deus per ſuam immenſitatem ſit extrà Cœlum in ſpatijs imaginarijs.

Priuſquàm reſpondeam quæſito; ſuppono ex ijs, quæ tradita fuere in phyloſophia ſpatium imaginarium dici vacuum interminatum, ſicùt vacuum terminatum dicitur ſpatium paritèr imaginarium. Itaque per ſpatium imaginarium intelligimus quandam inanitatem, vel vacuitatem, maiorem, & maiorem in infinitum; cui poſſet correſpondere quicquid Deus poſſet, ac vellet creare; & hæc vacuitas dicitur ſpatium non quod vere ſit aliquod corpus continens, ſeù aptum continere, vel quodcunque aliud poſitiuum; ſed quia in illa concipimus capacitatem quandam negatiuam, quam explicamus per non repugnantiam ad recipienda quęcunque locabilia; neque exiſtiman-

mandum eſt dici imaginarium, quaſi ſit aliquid fictitium, vt multi imaginantur, ſed quia in illo concipimus ſuperficies, lineas, puncta; vt reuerà ſunt in ſpatio reali poſitiuo.

Præterea ſuppono, quod Deus poteſt concipi eſſe extrà mundum duobus modis, nempe negatiuè, & poſitiuè, primo modo ſignificat, Deum non limitari, nec coarctari intrà ambitum Vniuerſi. 2. modo denotatur quod Deus ſit poſitiuè, & eodem modo diffuſus per ſpatia imaginaria, quo per vniuerſum mundum Diuina ſubſtantia diffunditur his prænotatis.

Reſp. 1. Deus reuerà non eſt præſens ſpatijs imaginarijs; vt docet Scot. in 1. d. 57. q. vnica, & ratio eſt manifeſta; quia Deus non poteſt eſſe præſens nihilo; ſed ſpatia imaginaria ſunt nihil; non enim habent eſſe poſitiuum, quia tunc eſſet ens creatum poſitiuum, ergo &c.

Reſp. 2. Deus eſt extrà mundum, & in ſpatijs imaginarijs, non quidem poſitiuè, ſed negatiuè; prob. vtraq; pars reſp. breuitèr, & clarè iuxtà principia noſtræ Scholæ. Poteſt Angelus e. g. eſſe in vacuo terminato; ergo poteſt Deus eſſe in vacuo, ſeù ſpatio interminato; ant. pat. quia per Scotum in 2. Sent. Si daretur Vacuum poſſet in eo fieri motus, vel Angeli, vel etiam lapidis; ac proinde Angelus eſſet in illo ſpatio imaginario abſque alterius corporis exiſtentia: conſ. prob. Nulla poteſt adduci ratio, quare potiùs Angelus poſſit eſſe in hac Schola, ſi à Deo quodlibet corpus de medio eiuſdem Scholæ tolleretur, & non poſſit eſſe Deus extrà Cœlum in ſpatijs imaginarijs; quæ ſunt Vacuum interminatum; ergo Deus poteſt eſſe in ſpatijs imaginarijs, non quidem poſitiuè, ſed negatiuè. Vnde elegantèr D. Auguſt. in pſal. 122. & lib. de fide contrà Manichęos inquirentes, vbi erat Deus, antequàm Terra, & Cœlum fierent: Antequàm faceret Deus Cœlum, & Terram, vbi habitabat? Sic Manichęi interrogabant: reſpondit: *In ſe habitabat, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus; Quomodò, inquit, vbique ſi in ſe ipſo? Vbique ſcilicèt quià nuſquàm eſt abſens; in ſe ipſo autem quià non continetur ab eis, quibus eſt præſens;* & D. Greg. Nazianz. Apolog. 1 docet, *Deus in vniuerſo eſt, & ſupra vniuerſum*; & ſic loquuntur cæteri Patres, quos longum eſſet referre.

Ita-

Itaque vbicunquè imaginamur creaturam intrà mundum produci poſſe, ibi (eſtò impropriè dicatur vbi, & ibi) Deus de facto eſt cum aptitudine coexiſtendi creaturæ ibi creabili; itaùt ratio quare Deus extra mundum non ſit alicubi, vel in aliquo, ſolùm ſit defectus termini, cui dici poſſit præſens, vel reſpectu cuius dici poſſit, alicubi eſſe: vel vt docet D. Bonau. in 1. d.37. q.3. *Id non ſit propter limitationem ſui ſed loci defectionem*.

Quæres 2. An immenſitas ſit aliqua ſpecialis perfectio Dei.

Reſp. affirmatiuè contra Theodorum Smyſing. inſignem Scotiſtam, qui opinatur eam non diſtingui ab immutabilitate, & infinitate. Verùm etſi intelligatur immenſitas oriri aliqualitèr ab infinitate, & immutabilitate, probabiliùs tamen eſt, ipſam præcisè ſumptam ab vtraque diſtingui. Ratio eſt, quia conſtituere Deum pręſentem in rebus eſt effectus diſtinctus ab effectu aliarum perfectionum, ergo immenſitas eſt ſpecialis Dei perfectio: prob. ant. Etenìm ſi illa præſentialitas oriretur ab alia perfectione, maximè ab infinitate, vt putat Smyſing. quod non apparet verum: quia vel procederet ab infinitate attributorum, quod dici nequit, vel ab infinitate eſſentiæ D. quod etiam non videtur probabile, quia infinitas eſſentiæ nil aliud importat niſi quod prædicata eſſentialia ſint infinita, at hoc non facit Deum eſſe præſentem omnibus rebus ſubſtantialitèr; eſtò enim, quod Deus per impoſſibile non eſſet in rebus pręſens ſubſtantialiter, non eſſet tamen minus infinitus in eſſentia; cum talis præſentia non dicat perfectionem, ſed tantùm reſpectum rationis ad res, quibus inexiſtit; ergo fatendum eſt, immenſitatem eſſe ſpecialem Dei perfectionem ab infinitate diſtinctam.

Ex dictis liquidò patet, quàm manifeſtè à veritate deuiarunt nedùm Phyloſophi antiquiores, qui diuerſimodè de exiſtentia Dei ſentientes, limitabant Deum; & quidem nonnulli ad quandam Spheram igneam; alij ad circumferentiam Vniuerſi: alij ad centrum: alij extra mundum circa conuexam Cœli ſuperficiem, inſtar figuli aſſidentis rotæ, quam mouet; verùm etiam Iudęi ab ipſo Deo edocti à vera doctrina aberrarunt, credentes, teſte D. Hieron. in illud Iſaiæ cap. 66. Cœlum ſedes mea, Deum concludi poſſe

poſſe Templo Hieroſolymitano. Immò quod peiùs eſt, quidam hęretici aſſerentes, Deum eſſe corporeum, in loco determinato concludebant, & inter Recentiores hęreticos non erubeſcit Voſtrius, ſtatuere Deum diuiſibilem; ac proinde non totum in toto mundo, & in qualibet eius minima parte exiſtere. Quæ omnia ſunt manifeſtè falſa, & hæretica, vt ſupra monſtrauimus ex Sac. Script. & SS. Patribus, docentibus, Deum eſſe vbique per ſuam immenſitatem, idque eſſe ita proprium Dei, vt nulli creaturæ communicari poſſit immenſitas ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco, & paſſiuè, ſi poſſibile foret, eſſe creaturam in locis infinitis per replicationem præſentiarum eiuſdem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Deus ſit ineffabilis, & quomodò.

NOt. 1. Quòd non agitur hìc de ineffabilitate mentali, quæ coincidit cum incognoſcibilitate, de qua erit proxima diſputatio, ſed agitur de ineffabilitate vocali, quo ſenſu illud dicitur ineffabile, quod verbis exprimere, vel nominare non poſſumus. Hinc obſeruandum ſecundùm Guill. in 1. d. 22. quod nomen dicitur à notamine, quaſi notamen; & ſecundùm quod habetur lib. Catholicon hoc ideò quia per ipſum ſubſtantiam, & qualitatem propriam, vel communem alicuius, notamus. Vnde ſecundùm Grammaticos nomen ſignat ſubſtantiam cum qualitate propria, vel communi. Hinc Ariſt. primo Perhier. dicit. Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſed ad propoſitum de Deo.

Not. 2. ex Guill. Varrilong. Quòd Deus cognoſcitur à nobis tripliciter, & ſic triplici genere nominari poteſt. Primò, cognoſcitur per modum cauſalitatis. 2. per modum eminentiæ. 3. per modum remotionis. Primo modo, ſcilicet per viam cauſalitatis, accipiuntur in diuinis nomina phyſica, vt innuit Dionyſ. in Epiſt. ad Titum, ſicùt ſunt iſta nomina phyſica, ſcilicet cauſa, mouens, vel primus motor, immobile, primum ens, & huiuſmodi. Secundò, per viam eminentiæ, accipiuntur nomina analoga, ſecundùm eundem Dionyſ. de myſtica Theologia; ſicùt

cùt dicimus Deum non ſolùm ſapientem, & bonum, ſed ſuper ſapientem, ſuper bonum, ſuper eſſentialem, & huiuſmodi. Et talia poſſunt dici nomina myſtica à myſterio abſcondito. Et nota, quod nomina myſtica tripliciter capiuntur ſecundum eumdem Guill. Primò, pro nomine reperto in Deo, non in creaturis, & ſic Creator, vel diuinitas eſt nomen myſticum. 2. pro nomine ſcilicet translato à creaturis ſpiritualibus, cuius tamen res eſt primariè in Deo, vt ſapientia, intellectus, & ſic Dionyſ. ibidem dicit, Deus eſt intellectus animæ. 3. pro nomine translato à ſpiritualibus, cuius primò res eſt in creatura, & ſecundò, quędam ſimilitudo in Deo reperitur, ſicut eſt ratio; Nàm ratio, primò in anima reperta eſt, vt potè diſcurſiua; Deinde propter quandam ſimilitudinem transfertur ad Deum, qui ſine diſcurſu intelligit. Tertiò, per viam remotionis accipiuntur aliqua nomina, ſicùt dicimus, Deum infinitum, incorporeum &c. inquantum negamus ab eo finitatem, & corporeitatem; & iſta dicuntur ſymbolica. Vnde dicitur nomen ſymbolicum in diuinis, quando nomen creaturæ ſenſibilis, Deo attribuitur. Ità tamen quod propriè conuenit creaturis, ſed Deo impropriè, ſicùt dum dicimus de Deo, leo, petra, lux, ſpeculum, & huiuſmodi.

Verùm iſtorum nominum ſymbolicorum tres ſunt differentiæ. Aliqua enim ſunt, quorum ſola negatio ponitur in Deo, & nunquàm affirmatio, ſicut eſt infinitum, incorporeum, incompræhenſibile; nunquàm enim eſt finitus &c. ſed ſemper infinitus Deus. 2. aliqua ſunt, quorum nomen repertum eſt primo in creaturis corporalibus, tamen res nominis priùs eſt in Deo, vt paternitas; nàm Epheſ. 3. *Ex quo ſcilicèt Deo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur*, licet nomen paternitatis priùs reperiatur in creaturis ſecundum noſtrum vſum loquendi, vel cognoſcendi, tamen res eius priùs in Deo eſt. 3. aliqua ſunt, quorum proprietas priùs eſt in creatura corporali, & ſecundò in Deo: & talia nomina ſunt propriè ſymbolica, vt dùm dico, Deus eſt leo, vel petra; Leo enim priùs eſt in creatura, & per quandam proprietatem fortitudinis ad diuina transfertur &c. Vnde talia nomina ſymbolica per viam remotionis, dicuntur de Deo, quia veriùs negatur de Deo, quod ſit leo, & petra, & huiuſmodi, quam iſta prædicentur: cum pro-

propriè ſint in creaturis, ſed quædam ſimilitudo in Deo reperitùr, vnde propriè hæc eſt vera, Deus non eſt leo, ſed impropriè hæc eſt vera, Deus eſt leo; hinc Dionyſ. de Diuin. nomin. dicit, quod negationes de Deo ſunt veræ, ſed affirmationes incompactæ, ideſt non habentes concordantiam, a b in, quod eſt non, & pactum ideſt concordantia; hæc ex Guillelmo Vorrilong.

Not. 3. Quòd apud Hebræos varia fuerunt nomina, quibus Deum nominare ſolebant, ſed præſertìm decem, quæ refert, & explicat S. Hieronym. Epiſt. 136. Primum eſt El, quod Deum fortem ſignificat. 2. eſt Elohì, quod Deum prouidentem, gubernantem, & videntem denotat. 3. eſt Elohim, quod eſt plurale præcedentis. 4. Sabaoth, quod ſemper cum alio Dei nomine coniunctum eſt, vt Adonai, Sabaoth, ideſt Dominus virtutum, vel exercituum. 5. Elion, ideſt excelſus. 6. Elie, eſcer, eie, ideſt ſum, qui ſum, vel qui eſt. 7. Adonai, quod Dominus Dominantium interpretatur. 8. Ià, quod ſonat in fine Alleluia; Alleluia enim componitur ex Allelu, ideſt laudate, & Ià, ideſt Deum. 9. Sadai, quod munificum, liberalem, & omnipotentem ſignificat. 10. eſt nomen Tetragrammaton, quod componitur ex tetra, ideſt quatuor, & ex gramma, ideſt littera, & idem ſonat ac nomen quatuor litteris; hebraicè Semhammiphoras, ideſt nomen expoſitum, quod videlicet, vt notat noſter doctiſſimus Galatinus lib. 2. de Arcan. Sac. Relig. cap. 90. nunquàm, ſicùt ſcribebatur, legi poterat niſi à Sacerdote, dùm populo in Sanctuario benedicebat, & quoties extrà Sanctuarium pronuntiandum occurrebat, eius loco proferebant. Adonai, & nomen Tetragrammaton, vulgò dictum Iehoua.

Not. 4. Quòd in hac quæſt. ſunt duæ opiniones. Prima eſt Henrici de Gandauo in ſum. art. 22. q. 1. qui, vt refert Scot. in 1. d. 22. q. 2. & in Report. q. vn. tenet, rem in ſe debere intelligi ab eo, qui nomen illi imponit, ex quo infert primò, Deum ſolum poſſe ſe nominare, quà immenſus eſt, quia Deus à ſe ſolo cognoſcitur ſub ratione immenſitatis. 2. quia à Beatis videtur in ſe, ab eis etiam eſt nominabilis. 3. quia aliquo modo cognoſcitur à Viatore, etiam aliquo modo ab eodem nominari poteſt, ſed nomine ipſi Deo impoſito, non à creaturis ad Deum translato. 4. hoc

nomen Deus ex impoſitione ſua ſignificat, quod eſt perfectionis ſimpliciter, quaſi in ſumma, & in generali reſpectu aliorum nominum, quæ quaſi particulariter exprimunt aliquid, quod rationem dignitatis habet in Deo, vt ſapiens, bonus &c. Ratio fundamentalis ipſius Doct. eſt, quia nomen, ſiue verbum vocis debet eſſe ſymbolum inter loquentem, & illum, cui loquitur ſic quod res ſignificata ſit nota vtrique in ſe, & notum etiam ſit vtrique, quod nomen ad ſignificandam ipſam rem ſit inſtitutum: ſed vnitas D. eſſentiæ nota eſt ipſi Deo ſoli, quoad rationem immenſitatis ſuæ, ergo ſolus Deus nomen ſibi proprium vocale poſſet appropriari: huic opinioni videntur conſentire Caiet. & Suarez. Alia plura habet, quæ videri poſſunt apud Scotum loc. cit. qui etiam huiuſmodi opinionem, quoad alia improbat. 2. eſt Scoti aſſerentis, quod poſſit quis nomen imponere ad aliquam rem ſignificandam diſtinctiùs, quàm ipſe cognoſcat, vnde pro maiori claritate aduertit Doct. Nomen proprium illud dici, quod ſignificat hoc ſub propria eius ratione, quia ſolum tale eſt proprium ſignum vocale. 2. notat perfecte vti nomine, eſſe, quando quis vtitur eo vt ſigno proprij conceptus, nec requiritur quod eo vtatur vt ſigno conceptus ab alio habendi; hoc tamen requiritur ad perfectum ſignum inter duos ex Auguſt. 3. ait vti nomine contingere quadrupliciter. Primò, vt re tali. 2. vt ſigno ad placitum, de quo tantùm ſcit vtens, quod eſt ſignificatiuum. 3. vt ſigno alicuius, cuius vtens habet tantùm conceptum vniuerſalem, vt entis, intendit tamen ſignificare ſpeciale. 4 vt ſigno expræſſiuo proprij conceptus. Quare reſoluit Deum eſſe nominabilem à Viatore tribus primis modis, non quarto modo, quia non requiritur quod æquè diſtinctè concipiat imponens, vel vtens nomine, ac nomen ſignificat; vt oſtendent ſequentes concluſiones.

Conc. 1. Certùm eſt Deum eſſe naturalitèr, & quidditatiuè ineffabilem reſpectu Viatorum, non habentium aliquem diſtinctum conceptum Dei. Hoc ſenſu docent Patres. Dei neque nomen, neque ſermonem eſſe, Deo nomen imponi non poſſe, Deum nullis verbis explicari poſſe &c. & prob. conc. ex cap. firmiter de ſum. Trin. vbi expræſsè definitur, *Deum eſſe ineffabilem, ac proindè concluſio in*

ſenſu

ſenſu explicato intellecta eſt de fide. Prob. ratione deſumpta ex naturali inuiſibilate, & incognoſcibilitate quidditatiua. Viatores diſtinctè, vel quidditatiuè nequeunt intuitiue Deum cognoſcere: ergo Viatores non poſſunt Deum quidditatiuè verbis explicare, vt inde quis aſſurgat in conceptum intuitiuum, vel quidditatiuum Dei. Prætereà etiamſi loquens clare Deum videret non poſſet tamen loquendo, claram, aut diſtinctam notitiam ingerere audienti, qui non ſit inſtructus ſufficientibus principijs, nempe lumine gloriæ, vel ſpecie Deum diſtincte repræſentante: ergo &c. Quare non ſolùm Viatores, ſed nec ipſi Beati, immò nec ipſe Deus poteſt loqui Deum Viatoribus quidditatiue; poſito, quod ſufficientibus principijs non inſtruantur Viatores audientes: eò quia qui loquitur non tribuit audienti principia ſciendi, ſed occaſionem, vt audita voce intelligatur ſignificatum eo modo, quo eſt inſtructus: ergo, ſi audiens non ſit tantæ virtutis, vt poſſit percipere quidditatiue nomen auditum, nequit ſignificatum eius intelligere à quouis proferatur.

Conc. 2. Poteſt Viator Deo nomen imponere, ipſum quidditatiue ſignificans, aliquibus nempe Angelis, vel Beatis. Eſt Scot. in 1. d.22. q.1. quem præter Scotiſtas ſequuntur Nominales, Molina, Vaſquez, Arriaga, & multi Recentiores.

Prob. Scot. loc. cit. ſic. Si à Viatoribus non poſſet fieri talis nominis impoſitio, & ſignificatio; hoc maximè prouenir et, quia ad impoſitionem nominis requiritur, vt nomen non ſignificet rem perfectiùs, quàm concipiatur ab eo, qui nomen imponit: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Prob. min. Si non poſſemus deſignare nomina ad ſignificandas res perfectiori modo, quàm à nobis concipiantur, ſequeretur quòd nullum nomen à nobis excogitatum ad ſignificandam ſubſtantiam, ipſius ſubſtantiæ quidditatem verè ſignificaret; ſed ſolùm proprietates, & effectus ſenſibiles illius notificaret: ſed conſequens eſt falſum, ergo & ant. pat. min. quia pro hoc ſtatu non poſſumus habere conceptum ſubſtantiæ quidditatiuum in particulari, puta de homine, de æquo &c.

Prob. 2. Menſura ſignificationis nominis non eſt ſumenda ex eo, qui nomen imponit, neque præciſe ex eo,

 qui

qui nomine vtitur, ſed ex audiente, & intelligente conceptum loquentis: at quandò Viatores proferunt nomen (Deus) Beati intelligunt quidditatiue id, quod hoc nomine Viatores ſignificant, ergo illud nomen prolatum à Viatoribus diſtinctè ſignificare poteſt quidditatem naturæ Diuinæ.

Arg. 1. contra conc. Deum non poſſe à nobis nominari. Oportet eſſe proportionem nominis ad rem nominatam: ſed omne nomen eſt finitum, & Deus eſt infinitus, & finiti ad finitum nulla eſt proportio; ergo &c.

Reſp. diſting. mai. Oportet eſſe proportionem entitatiuam, neg. mai. ſigni ad ſignatum, conc. Non enim eſt neceſſe, quod nomen habeat aliam proportionem præter aſſignatam; alioquin nulla res poſſet ab vllo perfectè nominari, cum nomen valde ſemper deficiat à rei perfectione, quæ nominatur.

Arg. 2. Omne nomen ſignificat cum qualitate, & verbum, & participium cum tempore; at in Deo nec qualitas, nec tempus eſt: ergo nec per nomen, nec per verbum, nec per participium Deus eſt nominabilis, ergo nec per alias partes orationis, cum iſtæ ſint principaliores.

Reſp. cum noſtro Richard. in 1. d. 22. q. 1. quod nomen ſignificare cum qualitate eſt ſignificare per modum habitus, & quietis ſub intentione proprij, ſi eſt nomen proprium, vel communis, ſi eſt nomen commune; quamuìs autem in Deo nulla ſit qualitas, tamen Deus ſignificari poteſt per modum habitus, & quietis, & ideò per nomen nominari poteſt: Et vt meliùs dicam, inquit Richard. magis Deus debet dici ſignificari per modum per ſe ſtantis, quàm per modum quietis, & habitus.

Arg. Caietanus, qui nititur probare, neminem poſſe rem diſtinctiùs exprimere, quàm cognoſcat. Voces ſignificant res medijs conceptibus formalibus, quos habet vocis impoſitor, & vtens ea ad rem exprimendam; ergo diſtincta vocis ſignificatio, & nominis oritur ex diſtincta cognitione imponentis, & vtentis.

Reſp. neg. aſſumptum; nàm voces principaliter, & directè ſignificant ipſam rem; idque iuxta diſpoſitionem audientis, indirectè autem, & quaſi arguitiuè indicant, loquentem habere de eadem re aliquem conceptum; vnde

locutio eſt occaſio, vt excitentur ſpecies rei ſignificatæ, ſeù conceptus audientis, cuius quidem conceptus cauſa phyſica etiam propria eſt ipſe audiens. Ex quo infertur, quod locutio ex ſe eſt indifferens ad ſignificandum perfectè, vel imperfectè, quidditatiuè, vel diſtinctè, & confusè.

Contra. Nomen non poteſt habere vllam ſignificationem diſtinctam niſi ab imponente, ſed imponens nequit dare, quod non habet, ideſt diſtinctam cognitionem; ergo &c.

Reſp. neg. aſſumptum: quia etſi imponens non habeat diſtinctam cognitionem; attamen habet vox inſtituta vim excitandi ſpecies ad diſtinctam cognitionem. Vnde quatuor exiguntur, vt quis perfectam, & diſtinctam vocis, & nominis ſignificationem poſſit habere: primò, vt audiens ſciat vocem eſſe impoſitam ad hanc rem determinate ſignificandam: 2. vt habeat conceptum, & cognitionem rei ſignificandę priuſquàm eam per tale nomen percipiat: 3. agnoſcere debet loquentem vti vocibus ad rem ita ſignificandam, ad quam ſignificationem ordinatæ ſunt: 4. denique tàm loquens, quàm audiens debent in promptu habere, tum verba, tum meminiſſe ſignificationis verborum, quibus vtuntur ad rem ſignificandam, & exprimendam; ex qua doctrina conſtat, quid ad alias obiectiones ſit reſpondendum.

Quæres 1. Quodnàm eſt nomen magis principale Dei, & magis exprimens eſſentiam Diuinam.

Reſp. ex Scoto, D. Thom. Richard. & alijs; quod hoc nomen, qui eſt, eſt principalius, & magis exprimens D. eſſentiam. Vnde Exod. cap. 4. Moyſi, cum interrogaſſet nomen Domini, quod eſſet, Angelus in Perſona Dei reſpondit. *Ego ſum qui ſum; ſic dices filys Iſrael. Qui eſt miſit me*; & hoc idem nomen ex Scoto in Report. & Vorrilong. in hebręo videtur dici nomen Dei Tetragrammaton. Vnde notat Pelbartus, non bene loqui Burgenſem, qui in additionibus Poſtillæ Lyrani ait quod nomen Tetragrammaton eſt principaliùs, quàm qui eſt.

Quæres 2. An propoſitiones affirmatiuæ poſſint formari de Deo.

Reſp. Aliquibus videtur, non poſſe formari huiuſmodì propoſitiones, fundamento deſumpto ex D. Dionyſ. de

myſtica theol. cap. 5. vbi docet, *Quod Deus, neque Anima eſt, neque intellectus, & ſequitur neque lux, neque vita, neque ſapientia, neque Deitas, aut bonitas, neque ſpiritus, neque filiatio, neque Paternitas*, & idem de cęleſti Hierarch. cap. 1. *Affirmationes, inquit, dicta de Deo ſunt incompacta, negationes vera ſimpliciter;* cui conſonat D. Damaſc. cap. 12. de fide orthodoxa cap. 4. *In Deo autem, quid eſt dicere impoſſibile eſt, & familiarius eſt ex omnium ablatione de eo facere ſermonem.*

Verùm dicendum cum Scoto quol. 1. ℱ. de primo, propoſitiones affirmatiuas vere formari de Deo: Eſt enim ens à ſe, & vnus, & trinus, & ſubſtantia ſpiritualis iuxta illud Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus;* Summè viuens, & cuncta intelligens iuxta D. Aug. cap. 15. de Trin. cap. 4. Quare docet Scot. in 1. d. 3. q. 2. ℱ. in prima quęſt. quod nullas negationes cognoſcimus de Deo, niſi per affirmationes, per quas remouemus incompoſſibilia aliqua; ſicùt remouetur compoſitio per ſimplicitatem, vel aliquid aliud. Negatio autem præcisè ſumpta, vt non lapis, æquè conuenit nihilo, ſicut Deo; & ſic per puram negationem non magis Deus intelligitur, quàm nihil: oportet ergo, vt negatio dicta de Deo ſit vera, præſupponi conceptum affirmatiuum, & ſic affirmantur aliqua de Deo ſymbolicè, vt cum dicitur lapis, leo, aura &c. quorum negationes de Deo proprie dicuntur. Alia affirmantur myſticè per ſuperexcellentiam; vt vita, bonitas, & huiuſmodi, quorum negationes de eo etiam dicuntur ſecundùm noſtram compræhenſionem; nec tales negationes opponuntur affirmationibus. Quare Scot. in 1. d. 8. q. 3. ℱ. hæc eſt via Diony. ait, quod quando remouentur à Deo omnia, quę ſunt communia creaturis, cognitionem noſtram non ſiſtere, aùt terminari præcisè ad negationem, quia tunc non magis cognoſceretur Deus, quàm chimera, quia negatio eſt communis enti, & non enti; ac proinde illud poſitiuum, cui attribuitur negatio, vere de Deo affirmantur; quo ſenſu locutus eſt etiam D. Damaſc, quia, cum non compræhendantur à nobis, niſi ſecundùm conceptum inadæquatum, hinc eſt, quòd familiariùs de Deo ſermonem facimus, ex omnium ablatione, ſicùt à nobis concipitur. Quod idem Damaſc. expræſsè docet, dum ſubdit. *Si eorum, quæ ſunt, cognitiones noſtræ ſunt, quod ſuper cognitionem eſt omninò, & ſuper*

ſubſtan-

ſubſtantiam erit, ſupple ipſe Deus, & D.Dionyſ. de myſt.Theolog. cap.4. ſic habet. *In ipſa oportet, omnes exiſtentium ponere, & affirmare poſitiones, velut omnium cauſa, & omnes ipſas propriè negare, ſicut ſuper omnia exiſtente*; & cap.3. apertius loquitur, dicens. *Dicis autem, quare totalitèr à primo ponentes diuinas poſitiones, ab vltimis inchoamus diuinam ablationem.* Quem textum ſic expendit noſter ſapientiſſimus Antonius Ligure de Monelia in commentarijs myſticæ Theologiæ. Dicis autem, ſupple ò Thimothęe, ad quem ſcribebat. Quarę nos ponentes diuinas poſitiones, ideſt, ab ipſa omnium Cauſa, quia primò compoſuit librum de diuinis ypotipoſibus, ideſt de Diuinis Perſonis. Videlicet, quommodo natura D. & bona dicetur ſingularis, quommodo trina in Perſonis. Sed nos ponentes diuinam ablationem, ideſt negationem, inchoamus ab vltimis, nempe à ſenſibilibus, negando primò ea, & poſtmodùm intelligibilia; & oſtendit, quommodo, ſicut Deum affirmatiuè laudando, quantò magis deſcenditur, tantò ſermo dilatatur; ità Deum negatiuè laudando quantò magis aſcendititur, tantò ſermo coarctatur. Hinc manifeſtè patet intentio D. Dionyſij circa affirmationes, & negationes, quæ de Deo formari poſſunt.

Quod ſi quis vlteriùs quærat; quare D. Dionyſ. cap.1. myſt. Theologiæ vtatur hìs verbis, dicendo. *Trinitas, ſuperſubſtantialis, & ſuper ea & ſuper bona, inſpectrix D. Sapientiæ Chriſtianorum dirrige nos ad myſticorum eloquiorum &c.*

Reſp. cum eodem Antonio de Monelia loc. cit. Platonici omnia compoſita, & materialia reducebant in principia ſimplicia, & abſtracta; & ideò ponebant ſpecies abſtractas, videlicet, hominem extra materiam, & vocabant ipſum per ſe homo, & ſuperhomo. Idem faciebant circa communia, qualia ſunt ens, bonum, vnum. Vnde ponebant vnum primum, quod eſt ipſa eſſentia bonitatis, & vnitatis, & eſſe, quod dicimus Deum, & vocabant ipſum per ſe bonum, principale bonum, & ſuperbonum. Et quidem primum de ſpeciebus materialibus repugnat fidei: ſecundum autem de Deo, conſonat fidei, ſicut dicit S.Thom. in prol. de D. Nominibus. Dionyſ. ergo, qui erat Platonicus vtitur talibus terminis, videlicet, ſuperſubſtantialis, ſuperbona &c.

DISPVTATIO IV.

De inuiſibilitate Dei, & viſibilitate, ſeù viſione beatifica.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit naturalitèr viſibilis à Creatura.

NOt. 1. Quòd inuiſibilitas, quamuìs importet carentiam viſionis de formali; de materiali tamen non eſt ſola negatio, ſed quid poſitiuum, & intrinſecum, quod eſt illimitatio, & infinita perfectio entis, ratione cuius euadit ens inuiſibile, & improportionatum potentiæ creatæ; virtus pariter terminandi viſionem maximè intellectiuam eſt quid intrinſecum in obiecto intelligibili, vt patet in metaphyſica, in qua probatur entis cognoſcibilitatem, ſeù veritatem eſſe ſpecialem ipſius perfectionem, cùm ſit eius paſſio, ſicut vnitas, & bonitas. Vnde ſolent Theologi præmittere huic tractatui de inuiſibilitate quæſtiones de vnitate, veritate, ac bonitate, quatenùs ſunt diuina attributa, de quibus aliqua ſuperiùs attigimus, & inferiùs tangemus, ideòque de ijs agere ex profeſſo ommittimus.

Not. 2. Quòd de Deo triplicem cognitionem, ſeù conceptum diſtinguere poſſumus. Alius enim eſt conceptus communis deſumptus ex communibus, vt conceptus entis boni, veri &c. Alius eſt conceptus proprius deſumptus ex proprijs, vt conceptus entis infiniti, ſapientię infinitę, bonitatis &c. Alius eſt conceptus proprius deſumptus ex proprijs: etenìm ex quo Deus eſt ens infinitum, arguimus in eo infinitam bonitatem, omnipotentiam, & cęteras perfectiones neceſſariò conſequentes rationem entis infiniti. Vnde docet Scot. in 1. d.3. q.2. quod nos de Deo habere poſſumus naturalem conceptum proprium, non ſolùm attributalem, ſed etiam quidditatiuum, & eſſentialem; ac proinde nedùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè agnoſcere poſſumus Deum. Itaque per infinitatem demonſtramus alia Dei attributa, & perfectiones, non quidem a priori, quia in ſcientijs, quæ habent ſubiectum ſimpliciter ſimplex, qualis eſt metaphyſica, & etiam Theologia

non

non dantur demonſtrationes à priori, ſed à poſteriori, ideſt per paſſionem priorem demonſtramus poſteriorem.

Not. 3. ex Scot. quodlib. 14. §. de 2. principali, vbi docet, quod non poteſt Anima attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam ex perfectione ſua naturali, etiam pro quocunque ſtatu naturæ, concurrentibus etiam quibuſcunque cauſis naturaliter motiuis ipſius Animę ad cognoſcendum, & idem docet de Angelo; & ſubdit hanc rationem; quia talis intellectio, ſcilicet per ſe, & propria, & immediata requirit ipſum obiectum ſub propria ratione obiecti præſens; & hoc, vel in propria exiſtentia, puta, ſi eſt intuitiua, vel in aliquo perfectè repræſentante ipſum ſub propria ratione cognoſcibilis, ſi fuerit abſtractiua: Deus autem non eſt præſens ſub ratione obiecti, ideſt Diuinitatis vlli intellectui creato, niſi merè voluntariè, neque aliquod creatum poteſt eſſe cauſa eius pręſentię etiam abſtractiuæ apud intellectum, quia non poteſt cauſare aliquod, quod ſit repræſentatiuum proprium, & per ſe Deitatis ſub propria ratione cognoſcibilis, quia tale repræſentatiuum non poteſt cauſari, niſi ab ipſomet cognoſcibili, vel ab aliquo perfecte continente ipſum ſub ratione ſuæ cognoſcibilitatis, & iſtud non poteſt cauſari, niſi ab ipſo Deo; Itaq; de Deo habemus conceptum proprium, ſed inadęquatum; vt alias dictum eſt.

Not. 4. ex Scot. in 4. d. 43. q. 4. quod naturale ſumi poteſt tribus modis, nempe proùt opponitur voluntario, ſupernaturali, & violento; primò modo omnis potentia non libera, ſeù agens ex neceſſitate naturali, qualeſcumque effectus producat, dicitur naturalis: 2. omnis potentia etiam libera agens ſecundum vires ſibi à natura inditas, dicitur naturalis: 3. omnis potentia agens etiam ſupra vires ad aliquem effectum producendum, qui ſit eius perfectiuum, dici poteſt naturalis. Addi etiam poteſt quartum, videlicet illud dici poſſe naturale, quod opponitur acquiſito, ſic potentia videndi eſt naturalis, cytharrizzandi verò nequaquam.

I. Conc. Deus neque naturaliter, neque ſupernaturaliter videri poteſt ab oculo corporeo; prima pars concluſionis eſt de fide contrà Hęreticos Nouatianos, qui affirmabant, Deum eſſe viſibilem oculis corporeis; & hęc pa-

tet ex locis Sacrę Scripturę, in quibus traditur Deum eſſe ſpiritum, & non Corpus, ſed oculus corporeus nequit attingere ſpirititualia, ergo &c. Vnde D. Paul. ad Roman. 1. ait. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

Secunda pars eſt communis apud Theologos, quorum aliqui affirmant illam eſſe de fide, eamque probant authoritatibus Sanctorum Patrum, & præcipuè Cyrilli Hieroſolimitani Cathecheſi 9. *Carneis quidem oculis contemplari Deum impoſſibile eſt, quod enim Corporis eſt expers: in carnis oculos cadere nequit*, & D. Hieronym. cap. 24. in Iſaia dicentis, *Deus nequaquam ſermonibus explicatur, nec oculo contemplabilis eſt, ſed ab his videtur, de quibus dictum eſt Beati mundo corde &c.*

Prob. ratione. Repugnat, potentiam vitalem ferri extrà ſpheram ſui obiecti adęquati, & formalis, ſed Deus, cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, eſt extra ſpheram obiecti adęquati, & ſpecificatiui oculi, ergo &c.

Confirmatur Deus in ratione obiecti viſibilis, & ſpiritualis magis diſtat ab omnibus obiectis ſenſibilibus, quàm vnum obiectum ſenſibile ab alio obiecto ſenſibili, v. g. quàm ſonus à colore; ſed implicat ſonum, vel odorem per ſe videri ab oculo corporeo, ergo multò magis implicat Deum videri ab oculo corporeo. Deinde, ſi oculus corporeus poſſet eleuari ad Deum videndum, ergo etiam poſſet eleuari oculus Bruti: ſed hoc eſt abſurdum, quia ſi Bruta poſſent Deum videre, poſſent eo frui, quod eſt hęreticum, ergo oculus corporeus nec ſupernaturaliter eleuari poteſt ad Deum videndum.

II. Conc. Deus ab intellectu creato viribus naturę videri nequit: hæc eſt de fide determinata in Concilio Vienneſi contra Beguinos, & Beguardos, qui aſſerebant, vt refertur in Clementina ad noſtrum; hominem poſſe naturalibus viribus aſſequi finalem beatitudinem; & quamlibet intellectualem naturam eſſe in ſe ipſa beatam naturaliter, neque indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum. Vnde Scot. in 4. d. 49. q. 11. ait hanc hæreſim peiorem eſſe hæreſi Pelagij, aſſerentis hominem ſine gratia poſſe iuſtificari: Et veritas huius concluſionis patet ex Sacra Scriptura 1. ad Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili &c.* & c. 6. *qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.*

teſt. Ad Roman. *Inuiſibilia Dei &c.* & Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, quæ Scripturæ non ſubſiſterent, ſi Deus ab intellectu creato, ſiue humano, ſiue Angelico videri poſſet.

Prob. etiam ratione aſſignata in 3. notabili ex Scoto quodl. 14. & in 4. diſt. 49. q. 11. Intellectus creatus non habet omnia, quæ requiruntur ad Dei viſionem eliciendam, cum non habeat obiectum præſens ſub ratione obiecti, ergo naturaliter nequit Deum videre, qui eſt obiectum voluntarium.

Dices poſſe Deum naturaliter mouere intellectum creatum per aliquid aliud, quàm per liberam ſui manifeſtationem: ergo &c.

Reſp. neg. ſuppoſitum, & ratio eſt, quia illud aliud mouens intellectum creatum, vel formaliter contineret Diuinam naturam, vel eminenter, vel intentionaliter, ſeu tanquàm ſpecies intelligibilis perfecte repræſentans Deum: ſed neque primo modo, neque ſecundo modo, quia nihil dari poteſt, quod participet formaliter, vel eminenter naturam Diuinam, alioquin daretur aliquod perfectiùs, vel æquè perfectum, ac Deus, quod implicat; neque etiam per aliud, quod contineat eſſe Diuinum intentionaliter, & per modum ſpeciei intentionalis, quia, eſtò hæc ſpecies in noſtra ſententia ſit poſſibilis, non tamen produci poteſt à Creatura, ſed à ſolo Deo; ſpecies enim cum ſit expreſſio, & ſimilitudo obiecti, non niſi ab obiecto formari poteſt, & à Deo per creationem: ergo multò magis ſpecies Diuinæ Eſſentiæ à Deo formari debet; ſed Deus ad extrà non operatur naturaliter, ſed liberè: ergo ſiue per ſe, ſiue per ſpeciem manifeſtetur, ſemper liberò facit.

Arg. cont. 2. part. prim. conc. authoritatibus Sac. Scripturæ. Geneſ. 23. ait Iacob. *Vidit Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt Anima mea* Iob. 14. *Scio quod Redemptor meus viuit & in carne mea videbo Deum*, & alijs ſimilibus, ergo &c.

Reſp. ad authoritates adductas, & ad conſimiles, Iacob vidiſſe, non Deum, ſed Angelum, qui in corpore aſſumpto Dei vices agebat, & Iob loqui de viſione Redemptoris ſecundùm humanitatem.

Arg. 2. D. Auguſt. cenſet Deum videri poſſe oculo cor-

poreo, ergo non repugnat oculum eleuari ad Deum videndum.

Reſp. D. Aug. valde dubitaſſe de hac quæſtione, nil tamen reſoluit; immò denique ſe ſubſcribit ſententiæ Gregor. Nazianz. Hieronym. & aliorum. vt videri poteſt apud Fraſſen p.1. q.2. de viſione beatifica.

Arg. ratione. Deus eleuare poteſt aliqua entia corporea ad producendos effectus ſpirituales; vt patet de aqua Baptiſmi ad productionem gratiæ, & de igne Inferni ad agendum in ſpiritus, ergo poteſt eleuare etiam oculum ad videndum ſpiritum, ac proinde Deum.

Reſp. neg. aſſumptum: quia in noſtra ſententia aqua Baptiſmi non attingit phyſicè, ſed moralitèr productionem gratiæ: Negamus pariter ignem agere phyſicè in ſpiritum, ſed intentionalitèr tantùm. At dato etiam, quod aliqua entia corporea attingere poſſint productionem alicuius qualitatis ſpiritualis, nihilominùs dicendum oculum non poſſe videre Deum; nàm dato, quod concurreret ſupernaturaliter ad viſionem ſpiritualem, & eam in ſe reciperet; non tamen mediante tali viſione vitaliter tenderet in obiectum, quia non habet virtutem, ſaltem inchoatiuam, & inadęquatam ad talem actum. Vnde ſi poneretur intellectio in lapide, concurrente ſupernaturaliter ad productionem illius, adhuc lapis non intelligeret. Itaque diſpar ratio de efficientia, receptione, & tendentia, quia efficientia maximè inſtrumentalis, & receptio eſt quaſi quid extrinſecum ſubiecto: vitalis autem tendentia eſt quaſi in genere cauſæ formalis, ac proinde eſt manifeſta repugnantia.

Arg. 2. Magis diſtant purus actus, & ens potentiale, quàm Corpus, & Spiritus, ſed intellectus creatus, qui eſt ens potentiale, poteſt eleuari ad videndum Deum, qui eſt purus actus: ergo & oculus poteſt &c.

Reſp. diſting. mai. Magis diſtant ſecundum entitatem, conc. mai. ſecundùm proportionem nego. Vel negatur paritas; & ratio eſt, quia impotentia intellectus eſt extrinſeca, quatenùs ſcilicet nequit habere Deum obiectiuè præſentem, tanquàm concauſam principaliorem effectiuam viſionis: impotentia verò potentiæ viſiuæ eſt intrinſeca, quia nullam virtutem habet, nec initiatiuam, nec inadęquatam, vt dictum eſt ſupra &c.

Arg.

Arg. 3. Intellectus Animæ videt entia materialia, ergo & oculus corporeus eleuari poteſt ad videndum Spiritum: conſ. prob. Ità opponitur ſpirituale corporeo, ſicùt corporeum ſpirituali, ſed neque inferioritas potentię corporeæ tollit proportionem eius reſpectu ſpiritus, quia etiam intellectus naturalis eſt inferior Deo, & hac inferioritate non obſtante, eleuatur ad viſionem Dei, ergo non obſtante inferioritate potentiæ corporeæ, poteſt eleuari oculus ad videndum ſpiritum.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Ad prob. neg. paritas, & ratio eſt, quia intellectus eſt potentia ſuperior ſenſu, ac proindè continens virtualiter ipſius cognitionem, & potens habere actum repræſentantem obiectum corporeum, & diuiſibile, ſecùs autem ſenſus, cum ſit potentia inferior, & materialis.

Arg. contra 2. conc. Si intellectus creatus naturaliter non poſſet videre Deum, ergo nec ſupernaturaliter eleuari poſſet ad Deum videndum: ſed hoc eſt falſum, ergo & antecedens.: prob. ſequela. Nulla potentia vitalis poteſt eleuari extra ſpheram ſuæ actiuitatis: ergo ſi Deus eſt extrà ſpheram intellectus creati, non poterit nec ſupernaturaliter eleueri, ſicùt nec oculus.

Reſp. neg. ſequelam. Ad prob. conc. ant. & diſt. conſ. Deus eſt extrà ſpheram ſecundùm attingentiam, conc. ſecundùm naturalem inclinationem, neg. nàm intellectus habet virtutem inchoatiuam, quæ ſupernaturaliter adiuta poteſt eleuari ad ſupernaturalem viſionem, ſęcùs autem de oculo &c.

Arg. 2. Eſſentia Diuina mouet intellectum Beati in eo ſigno, in quo antecedit voluntatem, ergo naturaliter mouet, ergo &c. ant. pat. quia ſub ea ratione mouet intellectum, ſub qua eſt obiectum beatificum: ſed eſt obiectum beatificum, vt hæc eſsentia eſt, etiamſi per impoſſibile in Deo non eſſet voluntas, ergo cùm eſſentia Diuina naturaliter moueat intellectum creatum, poterit intellectus eam naturaliter videre.

Reſp. neg. ant. quia, eſtò eſſentia Diuina terminet viſionem, non tamen cauſatur illa viſio immediatè ab eſſentia, velut ab obiecto motiuo, ſed à Diuina voluntate, qua, ſi Deus per impoſſibile careret, nil ad extra efficeret.

Dices

Dices. Voluntas D. diſtinguitur formaliter ab eſſentia Diuina: ergo mouet ſolummodò ad cognitionem ſui, & non ad cognitionem eſsentiæ.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Ratio eſt, quia Voluntas Diuina, cùm ſit realiter identificata Diuinæ eſſentiæ, mouendo mouet, tàm ad ſui, quàm ad eſſentiæ cognitionem; quod Voluntas creata præſtare nequit ob ſuam finitatem.

QVÆSTIO II.

Vtrum poſſit creari aliqua Creatura intellectualis, cui eſſet connaturalis viſio Beatifica.

NOt. 1. Quòd aliud eſt connaturale potentiæ, aliud eſt præter naturale, ſeù ſupernaturale. Illud dicitur connaturale, ad quod potentia auxilijs ſibi congenitis ferri poteſt abſque ſupernaturali adiuuamine. Præter naturale verò dicitur illud, quod facultate naturali attingi non poteſt; poteſt tamen, ſi ſupernaturali auxilio eleuetur: Querere ergo an Deus poſſit producere aliquam Creaturam intellectualem, cui ſit connaturalis viſio intuitiua, idem eſt quærere; An aliqua natura intellectualis poſſit creari, cui lumen gloriæ, quod eſt ſupernaturale Angelo, & homini ſit naturale, vel quæ habeat potentiam intelligendi ità excellentem, vt ſine lumine gloriæ, & quocunq; alio ſupernaturali auxilio videre poſſit Deum.

Not. 2. Quòd aliquod dici poteſt connaturale dupliciter, ſcilicet propriè, & impropriè. Illud dicitur propriè connaturale, quod fluit ab eſſentia, & quo ſublato, natura maneret imperfecta; ſic ſpecies intentionales in Angelis non ſunt naturales, ſicùt nec lumen gloriæ, ſi à principio illis infuſum fuiſſet. Illud antem dicitur connaturale impropriè, quod datur à Deo alicui creaturæ ſecundùm exigentiam ſui ſtatus, qui tàm excellens eſt, & perfectus, vt exigat infuſionem talium donorum, quæ ſunt tamen ſupernaturalia in ſubſtantia; ſic ſpecies intentionales ſunt connaturales Angelis, & vt multis placet gratia habitualis, ſicut & lumen gloriæ fuiſſent connaturalia Chriſto, eſtò fuiſsent propriè ſupernaturalia in ſua entitate; his prænotatis, ſit,

Conc.

Conc. Non eſt dabilis aliqua Creatura intellectualis ſupernaturalis; ſeù cui ſit connaturalis viſio intuitiua Dei: hæc eſt contra Durandum, Molinam, & quoſdam alios Recentiores, quorum opinio à Vaſquez appellatur inepta, à Nazzario temeraria, à Bannes docta ignorantia, & ab alijs ſimpliciter falſa: prædicta tamen Concluſio eſt Scoti in 4. d. 49. q. 2. art. 4. D. Thomæ p. p. q. 12. art. 5. & cum alijs Scotiſtæ omnes.

Prob. 1. noſtra Conc. ſic. Non poteſt dari ſubſtantia creata infinita, eſſe enim creatum, & infinitum ſunt termini repugnantes, ſicùt eſſe ex nihilo, & non eſſe ex nihilo; ergo non poteſt creari aliquis intellectus, aùt ſubſtantia ſpiritualis ſupernaturalis: prob. conſ. Supernaturalitas ſubſtantialis non minùs eſt principium conſtitutiuum Dei, quàm infinitas: ergo impoſſibile eſt, aliquam Creaturam intellectualem ſupernaturalem de facto eſſe ſupernaturalem, & non eſſe Deum; talis enim ſubſtantia excederet, vt ſupponitur, omnes ſubſtantias, ac proinde ſupernaturalitatem cuiuſcunque accidentis ſupernaturalis, & ſic eſſet aliquod Diuinum ſubſtantiale ex natura ſua beatum, & habens ius naturale ad Dei viſionem; & conſequenter eſſet filius naturalis Dei, aut Spiritus Sancti, & ſic eſſet Deus, quo nihil abſurdiùs.

Prob. 2. Nulla ſubſtantia creata poteſt produci, quæ non ſit perfectionabilis aliquo accidente ſupernaturali, aliàs eſſet purus actus, ſed ſubſtantia intrinſecè ſupernaturalis excederet, vt ſupponitur, omnes ſubſtantias, & accidentia ſupernaturalia, ergo nullo accidente perfici poſſet; ac proinde perfectiones omnes emanarent ab illa naturaliter; & ſic per naturam eſſet ſapiens, bona, iuſta intelligens, volens &c. Vel ſi perfectibilis eſſet aliquo accidente ſupernaturali, non eſſet ſubſtantia ſupernaturalis: Nàm accidens ſupernaturale dicitur tale reſpectu illius, quod eleuat, & perficit ſuper ſuæ naturæ vires, ſubſtantię autem ſupernaturali, cum perfectior ſit quocunque accidente ſupernaturali, repugnat perfici ab accidentibus ſupernaturalibus; ſiuè ſit fides, ſiue ſit ſpes, ſiuè charitas.

Arg. contra conc. Si repugnaret dari ſubſtantiam aliquam ſupernaturalem, maximè, vel quia eſt ens creatum, vel quia eſt ſubſtantia, ſed ex neutro capite repugnat;

 non

non quidèm ex primo, quia lumen gloriæ viſio beatifica, & Virtutes infuſæ ſunt entia creata, & tamen ſupernaturalia; non ex ſecundo, nam, ſi accidens, quod eſt minoris perfectionis, quàm ſubſtantia poſſit eleuari ad gradum ſupernaturalitatis, à fortiori ſubſtantia, ergo &c.

Reſp. Repugnare ſubſtantiam aliquam creatam fieri ſupernaturalem præcisè, quia ſubſtantia creata ſit, ratione enim vtriuſque non eſt immediatè, & per ſe vnibilis fini ſupernaturali, ideſt abſque motione, & auxilio agentis extrinſeci, & alterius ordinis; aliàs eſſet purus actus, quod Creaturæ repugnat: hæc autem ratio non militat de accidente, quod, cùm ſit ipſamet attingentia obiecti ſupernaturalis, ex ſui vnione immediata cum illo, non ſequitur ipſum eſſe purum actum, immò eſt actus potentiæ ſubſtantialis ipſam eleuantis, & vnientis, cum fine ſupernaturali.

Contra. Deus creare poteſt intellectum tantæ virtutis, & perfectionis, vt adæquet actiuitatem intellectus beatifici lumine glorię inſtructi, ergo poſſet producere aliquam ſubſtantiam, & naturam, quæ Deum naturaliter videat; ant. prob. Intellectus Beati cuiuſcunque ſit perfectionis, eſt ſemper perfectionis finitæ: ſed ómni finito poteſt Deus producere aliquod perfectius: ergo Deus poterit creare intellectum tantæ perfectionis, vt adæquet intellectum Beati lumine gloriæ eleuatum.

Reſp. falſum eſſe ant. & ad eius prob. conceſſa mai. diſting. min. Omni ente finito Deus poteſt facere maius intrà eumdem ordinem, conc. extrà, ſeù ſupra eumdem ordinem, nego; licet ergo intellectus præditus lumine gloriæ ſit finitus, tamen non poteſt dari intellectus ſine lumine gloriæ, qui ſit tantæ actiuitatis reſpectu viſionis beatificæ, ac ille; quia iſte remaneret ſemper in ſtatu naturali, & ille ad ſtatum ſupernaturalem mediante lumine gloriæ eleuatus ad ordinem ſupernaturalem ſpectat.

Contra. Dantur accidentia ſupernaturalia, vt fides, ſpes, gratia, & charitas: ergo dari poteſt etiam ſubſtantia ſupernaturalis.

Reſp. neg. conſ. quia non eſt par ratio de accidentibus, & de ſubſtantia. Accidentia namque ſunt neceſſaria, & non inuoluunt repugnantiam, ſicut ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis; ſunt inquam talia accidentia neceſſaria,

quia

quia perficiunt naturas intellectuales in ordine ad operationes ſupernaturales, neque dicunt repugnantiam, ſicut ſubſtantia ſupernaturalis, ſi daretur: quæ ex vna parte non eſſet Deus, quia creata; ex alia tamen eſſet Deus, quia ſuperaret totam naturam, vt tactum eſt in probatione conclusionis; quod dici non poteſt de accidentibus, quæ, licet ſint ſupernaturalia, attamen ſemper remanent dependentia, cum ſint inſtrumenta ſubiectorum, à quibus mouentur, & applicantur, & non à ſe ipſis; ſecùs autem ſe haberet ſubſtantia intellectualis ſupernaturalis.

Arg. vltimò. Poteſt Deus multiplicare genera, & ſpecies in infinitum: ergo poteſt infrà eamdem ſpeciem intellectus creare aliquem intellectum infinitę perfectionis, vel qui eminenter contineat omnes intellectus, & conſequenter, qui naturaliter Deum videre poſſit; Conſ. probatur: talis intellectus contineret in ſe actiuitatem luminis, quod ponitur ob defectum intellectus: ergo cum huiuſmodi intellectus contineret perfectionem poſſibilem intellectui, per conſequens ſine lumine eſſet per ſe ſufficiens.

Reſp. neg. aſſumptum ant. non enim vltrà ſummum poteſt fieri maiùs. Vnde, vt ex Scoto tradidi in Phyloſophia per abſolutam Dei potentiam non poteſt fieri intellectus in infinitum alio creabili eſſentialiter perfectior: eſtò enim eſſet ſupremus in toto genere naturalium perfectionum Creaturæ intellectualis, eſſet tamen ens finitum, & participatum, ac proinde perfectibile aliquo ſupernaturali accidente, quod in ſua naturali virtute continere non poſſet. Aduertendum pro vberiori Doctrina, quod aliquis actus dupliciter dici poteſt ſupernaturalis: vel ſecundùm modum tantùm; vel etiam ſecundum ſubſtantiam: primo modo eſt ille actus; qui, eſtò ſecundùm ſuam entitatem præcisè naturæ vires non tranſcendat, tamen naturæ vires excedit ratione modi, quo producitur; quo pacto viſus cæco nato reſtitutus dicitur effectus ſupernaturalis. Secundo modo dicitur ille actus, qui & in modo, quo producitur, & in phyſica entitate penitùs excedit naturæ vires. Inſuper additur, quòd actus, habitus, ſeù forma quæcunque dicitur ſupernaturalis, quatenùs non exigitur connaturaliter ab vlla ſubſtantia creata ſine princi-

pio aliquo ſupernaturali ſpeciaii, vt docet Scot. pluribi, & maximè q.1. prologi, & in 4. d.43. q.4. ex quo ſequitur, quod ſupernaturalitas actus, ſeù formæ ſupernaturalis radicaliter deſumatur ab exigentia proxima principij ſupra vires naturæ agentis: formaliter verò ab ordine, quem dicit forma illa ad agens ſupernaturale. Vnde per hunc ordinem explicamus eſſentiam, & differentiam vltimam ſupernaturalitatis, quæ aliòquin nos latet, ſicùt aliæ differentiæ vltimæ.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus ſupernaturalitèr ſaltem ſit viſibils à Creatura intellectuali.

NOt. 1. Quòd, tàm potentia paſſiua, quàm actiua triplex à Phyloſophis diſtinguitur. Prima actiua naturalis, quæ poteſt aliquid agere ſecundùm vires à natura ſibi inditas, vt potentia loquendi in homine: Secunda ſupernaturalis, qua potentia eleuatur ad eliciendam aliquam operationem tranſcendentem vires naturales eius, qualis eſt viſio beatifica elicita ab intellectu lumine gloriæ prædito: Tertia obedientialis, qua potentia poteſt agere modo ſibi nec proportionato, nec perfèctiuo ſuæ naturæ, ſed ſolùm quatenùs ſubiacet ſupræmo dominio ſui Creatoris; & talis fuit potentia in Aſina Balaam. Potentia pariter paſſiua in ordine ad formam, quam recipere poteſt eſt triplex, nempe naturalis, & eſt, quando ſubiectum habet potentiam naturalem ad formam recipiendam; violenta, quando recipit formam contra eius inclinationem, & neutra, ſeù indifferens, quandò, neque eſt contra, neque iuxta eius inclinationem.

Not.2. Quòd potentia obedientialis nil aliud eſt, quàm capacitas Creaturæ, qua cum extraordinario Dei concurſu aliquem effectum producere, vel formam aliquam recipere poteſt vltrà ſuas naturales vires, & naturalem ſuæ actiuitatis ſpheram; ex quo patet, quod potentia obedientialis alia eſt actiua, alia paſſiua; & vtraque ſupponit in ſubiecto ſaltem potentiam, ſeù virtutem inchoatiuam ad hoc vt eleuari poſſit; Vnde neque Angelus, vt Scot. docet in 4. d.12. q.2. poteſt eſſe albus, quia nullo modo eſt ſuſcepti-

ſcepti-

ſceptiuus talis formæ, neque lapis poteſt videre, quia non habet virtutem, nec initiatiuam ad viſionem producendam.

Conc. Deus eſt ſupernaturaliter viſibilis à Creatura intellectuali: hæc eſt de fide contra Armenos, & Recentiores Græcos exiſtimantes Deum non poſſe videri in ſe, ſed tantùm in quodam fulgore ab eo profluente, quem theofaniam vocant; & hæc concluſio fuit definita à Benedicto XI. in quadam exſtrauaganti apud Caſtr. V. Beatitudo: & à Concilio Florentino in litteris vnionis his verbis; loquendo de Animabus iuſtis,& non indigentibus Purgatorio. *In Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectiùs.*

Probatur ex multis locis Sacræ Scripturæ: & præſertim Matth.19. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* D. Paul. ad Corinth.13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem &c.*

Prob. ratione deſumpta ex Scot. in 4. d.49. & in 3. d.17. In Anima, & eius potentijs datur appetitus, & inclinatio naturalis ad viſionem Dei, quia quodlibet perfectibile naturaliter inclinatur ad ſuam perfectionem, vt conſtat inductione: ergo intellectus ſupernaturaliter eleuari poteſt ad viſionem Dei, qui eſt eius perfectio, teſte D. Auguſt. lib.1. Confeſſion. cap.1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; & in Pſal.16. dicitur. *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Prob.2. ex Scot. in prol. quæſt. 1. & in 4. d. 49. quęſt.6. Omnis potentia habens obiectum primum adæquatum, poteſt ferri in quodlibet contentum ſub illo: ſed intellectus habet pro ſuo obiecto adæquato ens, & Deus eſt ens: ergo potentia intellectiua poteſt ſe ferri in ens, quod eſt Deus.

Confirmatur, quia Phyloſophi mediante ſenſu acquiſierunt aliquam notitiam abſtractiuam Dei: ergo intellectus à ſenſibus ſeparatus perfectiorem cognitionem acquirere poteſt, ergo etiam intuitiuam per auxilium ſpeciale Dei eleuatus comparare valebit.

Arg.1. authoritate Sacræ Scripturæ, & Patrum, & præſertim D. Chryſoſt. homil.14. in Ioan. qui videntur inſi-

ſinuare Deum in ſubſtantia abſolutè non poſſe videri : ergo &c.

Reſp. cum D. Bonau. in 3. d. 14. art. 1. q. 3. authoritates Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum diuerſimodè poſſe exponi iuxta materiam, de qua loquti ſunt. Primò de viribus naturæ : Vndè ſuper illud 1. ad Timoth. 6. *Lucem inhabitat inacceſſibilem*. Gloſſa. *Inacceſſibilis eſt viribus noſtris, acceſſibil[is] muneribus ſuis*. Secundò de ſtatu viæ : Vndè ſuper illud primò ad Timoth. cap. 6. *Quem nullus hominum videre poteſt*. Gloſſa *Poterit autem aliquandò* Tertiò de plena compræhenſione: Vndè ſuper illud Iob. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes* Gloſſa ; *eius eſſentia à nullo plenè videbitur, ideſt omninò comprehenſiuè*; de qua comprehenſiua viſione iuxta Theologos paſſim eſt exponendus etiam D. Chryſoſt., & quidam alij Patres, quos Vaſquez perperam ad ſententiam hæreticorum trahit, vt tradit noſter Herincx p. 1. diſp. de viſione beatifica.

Arg. 3. Inter obiectum, & potentiam debet eſſe proportio: ſed inter Deum, & potentiam creatam intellectiuam nulla eſt proportio, ergo &c.

Reſp. diſting. mai. debet eſſe proportio in perfectione entitatiua, nego: in ratione obiecti ad potentiam conc.

Contra. Obiectum omninò ſupernaturale vt ſic non eſt intra latitudinem obiecti adæquati intellectus creati ; ſed Deus clarè viſus eſt obiectum ſupernaturale : ergo &c. prob. mai. Illud non eſt obiectum potentiæ creatæ, à quo hæc non poteſt ſpecificari : ſed non poteſt ſpecificari ab obiecto ſupernaturali, quia ex ſe eſt naturale: ergo obiectum ſupernaturale non eſt intra obiectum adæquatum potentiæ creatæ.

Reſp. neg. mai. Ad probationem diſting. mai. quatenùs potentia naturalis eſt reduplicatiuè, & ſecundum ſe; concedo: quatenùs eſt in potentia obedientiali, & eius virtus inchoata diuinitùs eleuatur non poteſt ſpecificari nego; quia vt ſic eſt ſupernaturalis, ſaltem connotatiuè, ideſt ratione principij eleuantis.

Arg. 3. Viſio quidditatiua Dei non poteſt non eſſe infinita: ſed intellectus noſter nequit elicere viſionem infinitam, ergo &c. mai. prob. cognitio creſcit iuxtà incrementum obiecti: ergo cognitio obiecti infiniti non poteſt non eſſe infinita.

Reſp.

Reſp. neg. mai. ad cuius prob. diſt. conſ. ſi talis cognitio attingat obiectum infinito, & adæquato modo, conc. ſi modo inadæquato, & finito nego; eſtò enìm cognitio noſtra terminetur ad obiectum infinìtum, tamen infinita non eſt, quia non verſatur circa illud infinito modo.

Arg. 4. Plus diſtat Deus ab intellectu creato, quàm Angelus à viſu corporeo, ſed ob hanc diſtantiam oculus corporeus eleuari non poteſt ad videndum Angelum: ergo à fortiori intellectus creatus eleuari non poterit ad videndum Deum, vt in ſe ipſo eſt.

Reſp. diſting. mai. plus diſtat &c. quo ad entitatem, concedo; quoad proportionem habitudinis potentiæ ad obiectum nego.

Quæres. An poſſibilitas Diuinæ viſionis intuitiuæ poſſit ratione naturali demonſtrari, aùt euidentèr ſine reuelatione cognoſci.

Reſp. negatiuè: ratio eſt, quia, ſi aliqua demonſtratione viſio Dei intuitiua demonſtrari poſſet; vel per demonſtrationem à priori, vel à poſteriori; non à priori, quia illa beata viſio non eſt effectus, qui neceſſariam connexionem habeat cum cauſa; demonſtratio enìm à priori fieri debet per cauſam proximè continentem effectum; neque à poſteriori, quia nullus effectus extat beatæ viſionis, ex cuius cognitione poſſit intellectus creatus peruenire ad cauſæ cognitionem: ergo &c. tùm quia beatitudo eſt ordinis ſupernaturalis, ac proinde connexionem nullam habet cum ordine naturali; tùm quia quę demonſtrantur lumine naturali innoteſcunt, vel per ingenita principia, vel per effectus ſenſibiles, talia autem non habentur de ipſa beata viſione. Reſtat igitur, quod ſolùm per reuelationem diuinam agnoſci poſſit poſſibilitas, ſeù futuritio Diuinæ viſionis intuitiuæ; & hac ſuppoſita, ſuaderi poteſt cum Scot. in 4. d. 49. q. 8. quam vide, ſi placet; nàm hic ratione breuitatis vnicam tantùm rationem afferam, quæ eſt huius modi. Euidens eſt lumine naturali intellectum creatum poſſe cognoſcere quicquid continetur intrà eius obiectum adæquatum: ſed Deus continetur ſub obiecto adęquato intellectus creati, ſaltem ſecundum naturalem inclinationem, ergo lumine naturali conſtat Deum poſſe videri ab intellectu creato. Mai. patet, nàm intel-

Intellectus non eſt deterioris conditionis, quàm ſenſus; vnde quemadmodùm viſus, quia verſatur circa obiectum viſibile in communi, ferri poteſt circa quodlibet viſibile in particulari; ſic paritèr intellectus poterit intelligere quodlibet contentum ſub ente eius obiecto adæquato.

Quæres 2. An Deus videri poſſit ab homine in hac vita mortali, ſeù ab intellectu corpori coniuncto.

Reſp. Certum eſt poſſe Deum ſupernaturalitèr videri ab intellectu in mortali corpore, ſeù in vita mortali. Patet reſponſio exemplo Chriſti, qui iuxtà ſententiam omnium Patrum, & Theologorum ab initio conceptionis fuit beatus ea beatitudine, quam poſſident Beati in Cœlo. Patet etiam ratione manifeſta, quia nulla eſt repugnantia, tàm ex parte mortalitatis corporis, quàm ex parte dependentiæ à ſenſibus, à quibus poteſt intellectus etiam in hac vita diuinitùs non dependere; neque vlla eſt repugnantia ex parte viſionis, cùm ipſa intrinſecè ſit independens. Verùm in hac vita nemini fuit conceſſa Dei viſio permanentèr, præterquàm Chriſto Redemptori.

Et ſi quæras. An is, qui clarè Deum videret, connaturalitèr raperetur in extaſim perfectam, adeòut ceſſaret ab omni ſenſuum, etiam interiorum operatione.

Reſp. affirmatiuè cum D. Thom. q.12. art.11. & noſtro Smiſing. diſp. de viſione Beatifica, & videtur eſſe aperta mens D. Auguſt. lib.12. Gen. ad lit. c.29. ***Eum*** (inquit) ***nemo viuens videt vita iſta, qua mortalitèr viuitur in iſtis ſenſibus corporis, ſed niſi quiſque ab hac vita quodammodò moriatur, ſiue Anima exiens de corpore ſiue ità alienatus à carnalibus ſenſibus vt meritò neſciat, ſicùt Apoſt. ait: An in Corpore, ſiuè extra corpus neſcio, Deus ſcit.*** Ratio eſt, quia vis Animæ finita, quò vehementiùs occupatur circà vnum obiectum, eò magis impeditur operari circa illud, vt patet experientia: quarè, cùm obiectum ſit infinitum, tantam vim habet, vt homines iuſti, etiam in hac vita mortali degentes extra ſe Dei Amore rapi videantur. Quantò magis hoc eueniret, & perfectiori, ac inexplicabili modo; ſi aliquis etiam breui temporis mora Deum videret intuitiuè? ſed de hac materia lege Theologiam myſticam.

Quæres 3. An aliquandò ab aliquo homine iuſto in hac mortali vita fuerit viſus Deus viſione intuitiua.

Reſp.

Reſp. Diſcrepant inter ſe Doctores circa hoc quæſitum, alij affirmantes, alij negantes. Vtraque opinio eſt probabilis, vt videri poteſt apud ſcribentes. Solidior tamen apparet opinio negatiua; quia, cum Sac. Script. apertè loquatur, neminem in hac vita Deum vidiſſe. Ioan.1. *Deum nemo vidit vnquam*; & D. Paul. ad Timoth. 1. cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*; ab hac lege generali non eſt facienda exceptio ſine fundamento vero, & ſufficienti.

Neque Viſiones Moyſis Exod. 33. vbi dicitur *Loquebatur Moyſi Dominus facie ad faciem ſicùt ſolet Amicus cum Amico loqui*, & Num. 12. vbi Dominus Aaron, & Mariæ. *Si quis fuerit inter vos Prophetas Domini* (in viſione immaginaria, ſcilicet, ſiue per figuras, ſeù per ſpecies proprias rerum, ſiue per ænigmata, ſic enim explicat noſter Herincx) *Loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes ore enim ad os loquar ei, & clarè, & non per enigmata, & figuras Dominum videt*; neque huiuſmodi viſiones inquàm cogunt aſſerere, Moyſen Deum vidiſſe intuitiua viſione beatifica: nàm prima Script. benè explicatur de Angelo in corpore aſſumpto, qui in Perſona Dei loquebatur præſens præſenti, formando voces humanas, vt Amicus cum Amico in ſignum maximæ familiaritatis; alioquìn non poſtulaſſet infrà Moyſes; *Oſtende mihi faciem tuam*. Secunda paritèr optimè intelligitur, & interpretatur, ſi dicatur, non aliud ſignificari, quàm quod Deus Prophetis ordinariè non appareret tanta familiaritate, ſicùt Moyſi loquebatur, eſtò ſolum per Angelum os ad os, vt ſupra explicatum eſt. Neque ex viſione recenſita a D. Paulo in propria Perſona 2. ad Corinth. cap.12. vbi teſtatur ſe fuiſſe raptum vſque ad tertium Cœlum, quod infrà ab ipſomet Apoſtolo Paradiſus vocatur, & audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui, inferri poteſt euidentèr, ſed piè tantum D. Paulum vidiſſe Eſſentiam Diuinam: etenìm audire arcana verba non eſt videre Deum, ſed ſolùm indicat ſublimem extaſim Apoſtoli rapti vſquè ad ſedem beatorum; & ſi viſionem indicare voluiſſet, clarioribus verbis vſus fuiſſet, præſertim cum ipſemet 1. ad Timoth. cap.6. teſtetur, *Quem nullus hominum vidit*.

Verùm opinio oppoſita, quàmuis non habeat euidens fundamentum; nihilominùs, cum a pluribus grauibus

Docto-

Doctoribus doceatur, apparet valdè pia,& maximè de immaculata Deipara : certè, ſi vlli puro homini, vt optimè aduertunt Smiſing. Herincx, Fraſſen,& alij credatur fuiſſe conceſſum in hac vita priuilegium aliquandò videndi Deum, potiori iure eſt aſſerendum de Beata Virgine iuxtà ſententiam D. Bernardi relati à D.Bonauent.3. d.3. q.1. art. q.5. *Quod alijs legitur fuiſſe collatum, non eſt credendum Virgini fuiſſe negatum*. Cæterùm, quod aliqui audeant extendere tàm ſingulare priuilegium etiam ad alios plures Sanctos, videntur gratis loqui,& ſine ſufficienti fundamento; qui plura optat, conſulat Doctores; hæc ſufficiat hìc adnotaſſe ex doctrina noſtri doctiſſimi Guilielmi Herincx; nàm de hac re in diſp. ſeq. redibit ſermo.

QVÆSTIO IV.

Vtrum intellectus eleuetur ad Deum videndum mediante aliquo habitu ſupernaturali.

NOt.1. Quòd ad intellectionem duo concurrunt, nempè potentia intellectiua, & obiectum intellegibile; obiectum autem poteſt dupliciter concurrere, primò, & per ſe,& immediatè ſine vlla interuentione ſpeciei,ſic Angelus intelligit ſuam eſſentiam : ſecundò per ſpeciem deriuatam ab obiecto, quæ vices gerat obiecti, & hoc fit quandò obiectum non eſt præſens, ſed per ſpeciem in phantaſia derelictam agnoſcitur; v.g. intelligo Romam iàm viſam, vel quandò obiectum eſt præſens, non tamen poteſt vniri potentiæ,niſi per ſpeciem immiſſam in ſenſus, vt patet de pariete, quandò videtur vt præſens. Igitur, cum certum ſit intellectnm creatum ſuis viribus naturalibus, non poſſe attingere obiectum diuinum viſione intuitiua, meritò quæritur per quid eleuetur, & adiuuetur.

Not.2. Quòd auxilium ſupernaturale, quo mediante eleuatur intellectus ad Deum videndum,vocatur à Theologis, & à Concil. Viennen. in Clement. ad noſtrum de hæreticis, lumen gloriæ, eò quia, ſicùt oculus indiget lumine ad videnda obiecta; ità intellectus indigeat quodam lumine ſupernaturali ad Deum videndum. Verùm, & ſi Theologi conueniant in poſitione luminis, differunt tamen

men circa munera ipſius luminis in ordine ad intellectum. Aliqui ſentiunt, totum luminis gloriæ munus conſiſtere in hoc, quod diſponat intellectum ad eliciendam viſionem Dei; non tamen concurrat efficientèr, neque vt cauſa principalis, nequè vt cauſa inſtrumentalis, ſed ſolùm per modum vltimæ diſpoſitionis; qua poſita, poteſt intellectus Deum videre. At contrarium communitèr docent Theologi, eſtò in aliquo diſcrepent; nàm Thomiſtæ exiſtimant lumen gloriæ concurrere actiuè cum intellectu ad productionem viſionis, & diſponat intellectum ad illam recipiendam: Scotiſtæ verò cum Scoto tenent lumen gloriæ concurrere tantùm actiuè, tanquàm concauſam efficientem eleuando, & roborando ipſum intellectum, vt attingere poſſit obiectum beatificum, & hoc expræſsè docet Scot. in 4. d. 49. q. 11. §. ideò dico; quod Anima humana in puris naturalibus eſt immediatè ſuſceptiuum beatitudinis; adeòque intellectus creatus ex ſolis naturæ viribus ſuſceptiuus eſt viſionis beatificæ, nec ad illam receptionem indiget alia forma præuia ſupernaturali, licet indigeat illa ad viſionis productionem.

Not. 3. Quòd grauis eſt controuerſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas. An lumen gloriæ ſit habitus, ſeù qualitas ſupernaturalis intellectui Beati impreſſa, vt videtur indicare Concil. Viennen.; vel ſit ſolummodò quoddam auxilium ſupernaturale actuale, per quod eleuetur ipſa potentia intellectiua. Quarè pro maiori explicatione triplex lumen gloriæ diſtingui poteſt, nempe obiectiuum, habituale, & actuale: primum eſt ipſamet Eſſentia D. concurrens immediatè, & effectiuè per modum obiecti cum intellectu beatifico ad viſionem eliciendam: ſecundum dicitur qualitas ſupernaturalis recepta in intellectu beatifico, illum eleuans, corroborans, & complens antecedenter ad actum: tertium dici poteſt qualitas actualis etiàm ſupernaturalis, qua intellectus, non quidem antecedenter ad actum perficitur, ſed in ipſiuſmet actus productione, ſicùt gratia, ſeù auxilium actuale, quod de facto, & actualiter concurrit ad actum ſupernaturalem fidei, ſpei &c.

I. Conc. Probabile eſt lumen gloriæ eſſe concurſum actualem ipſius Eſſentiæ Diuinæ, vel potiùs eſſe ipſam Eſſentiam

ſentiam Diuinam ad inſtar obiecti concurrentem cum intellectu ad viſionem; ità Smiſing. Herincx, Fraſsen, & alij Scotiſtæ; an verò ſit opinio Scoti, dicemus infrà. Probatur conc. Lumen gloriæ exigitur tantùm propter ſupernaturalitatem viſionis, ſed ad hanc videtur ſufficere concúrſus vnius principij ſupernaturalis, qualis in præſenti eſt concurſus ipſius obiecti Diuini, ergo probabile eſt lumen gloriæ conſiſtere in huiuſmodi concurſu.

Confirmatur, quia, ſi non ſufficeret concurſus extrinſecus Dei, ſed requireretur lumen habituale, requireretur etiam eſſentialiter habitus fidei, ſpei, & charitatis ad omnem actum earum, quia tales actus ſunt ſupernaturales, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: patet falſitas; quia quando primò homo conuertitur à peccato ad Deum per actum charitatis, actus ille præcedit habitum, & eumdem habitum cauſat, ergo ex parte ſupernaturalitatis non exigitur lumen habituale, ſed ſufficit lumen obiectiuum.

Prob. 2. Deus ſua omnipotentia non magis per extrinſecam aſſiſtentiam poteſt ſupplere defectum ſpeciei, quàm luminis; ſed poteſt ſupplere defectum ſpeciei: ergo & luminis.

Prob. 3. Deus per ſe ipſum facere poteſt, quicquid faciunt cauſæ ſecundæ, concurrentes ſolùm efficienter, non vitaliter; poteſt enim calefacere ſine igne, illuminare ſine Sole: ſed lumen gloriæ, non vitalitèr, ſed effectiuè ſolùm concurrit ad viſionem, ergo Deus poteſt ſe ſolo id efficere &c.

II. Conc. Probabiliùs eſt, & magis conforme Concilio Viennenſi, lumen gloriæ eſse qualitatem habitualem à ſpecie impreſsa, & actuali coucurſu diſtinctam: hęc eſt communior Doctorum ſententia, & videtur conformior menti Scoti; maximè in 1. d. 17. q. 3. vbi ad argumentum, quod ſibi hoc modo propoſuerat. Sine habitu informante poteſt eſſe viſio; ergo & fruitio perfectiſſima. Reſp. Scot. Nullus communitèr negat in Patria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis, conſtat ergo, & magis infrà conſtabit de mente Scoti.

Prob. Conc. & primò quod illud lumen non ſit ſpecies

im-

impreſſa. Lumen gloriæ neceſſariò ad Deum videndum requiritur; ſed ſpecies impræſſa neceſſariò non requiritur: ergo lumen gloriæ non eſt ſpecies impręſſa: probatur min. Ad eliciendam viſionem neceſſe eſt, vt intellectus compleatur, non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ex parte potentiæ; at per ſpeciem impreſſam completur ſolùm ex parte obiecti, cuius illa ſpecies eſt imago repræſentatiua: ergo vltrà ſpeciem impreſſam neceſſe eſt ponere lumen gloriæ; ac proindè ſpecies impreſſa non eſt lumen gloriæ, nec neceſſariò ponitur ex parte obiecti, quod de ſe eſt immediatè cauſatiuum viſionis.

Prob. 2. Quandò obiectum eſt præſens in ſe, & ſecundum ſe ſatis viſibile, fruſtrà requiritur ſpecies, quæ eſt vicaria, & ſemen obiecti, ſupplens eius abſentiam, aùt inſufficientiam: at Deus eſt præſens intellectui Beati, & eſt de ſe ſatis viſibilis; ſi vult videri: ergo fruſtrà ponitur ſpecies: mai. pat. quia Angelus ideò intuetur ſe ipſum ſine ſpecie impreſſa, quia eius eſſentia, & ſubſtantia concurrit per ſe immediatè: ergo à fortiori eſt aſſerendum de obiecto Diuino.

Prob. ſecunda, & tertia pars concluſionis; nempe quod lumen gloriæ potiùs dici debeat habituale, quàm actuale. Omnis cauſa efficiens, priuſquàm ſuum effectum producat, debet conſtitui in actu primo potens illum producere; ſed intellectus creatus non poteſt connaturaliter ità conſtitui, niſi per lumen habituale, ergo probabiliùs eſt, lumen eſſe habituale.

Prob. 2. Connaturaliùs viſio beatifica elicitur à principijs perſeuerantibus, & permanentibus, quàm à traſeuntibus, ſed lumen habituale eſt principium permanens, actuale verò tranſiens: ergo connaturaliùs viſio beatifica fit per lumen habituale.

Confirmatur, quia, ſicùt ad actum fidei ſupernaturalem requiritur lumen fidei habituale ex parte potentiæ intellectiuæ, ſimilitèr ad actus ſpei, & charitatis; ità maiori ratione requiritur ex parte intellectus Beati lumen gloriæ ad actum illum ſublimiſſimum viſionis Dei: ergo lumen gloriæ eſt habituale potiùs, quàm actuale.

Arg. cont. 1. conc. Implicat dari actum ſecundum ſine primo; ſed lumen gloriæ eſt actus primus reſpectu viſio-

nis: ergo implicat viſio Dei ſine lumine gloriæ actuali, vel habituali.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Lumen gloriæ, ſiue obiectiuum, ſiue habituale, ſiue actuale, conc. lumen habituale, & actuale, nego. Deus enim per ſpecialem Dei concurſum poteſt eleuare, & conſtituere in actu primo intellectum ad viſionem producendam.

Contra. Viſio beatifica, quatenùs eſt ſupernaturalis, non minùs pendet à lumine, quàm quatenùs vitalis pendeat ab intellectu, ſed vt vitalis dependet eſsentialiter ab intellectu, ergo vt ſupernaturalis dependet eſsentialiter à lumine: ergo &c.

Reſp. diſting. mai. Dependet eſsentialitèr à lumine, ſiue obiectiuo, ſiue habituali, conc. mai. à lumine tantùm habituali, nego maiorem.

Contrà. Ad hoc vt intellectus concurrat effectiuè ad producendam viſionem ſupernaturalem, priùs debet eleuari, & conſtitui in actu primo; ſed non poteſt eleuari, & conſtitui in actu primo per ſolum lumen obiectiuum, ſeù concurſum extrinſecum: ergo requiritur lumen habituale: prob. min. Per illam ſpecialem aſſiſtentiam, vel aliquid additur intellectui intrinſecè, vel nulla virtus: ſi primum, habetur intentum; quia talis virtus ſuperaddita eſt participatio Diuinæ intellectualitatis, ac proindè lumen gloriæ, vel habituale, vel actuale: ſi ſecundum, ſequitur, quod ex tali aſſiſtentia intellectus creatus non poſſit fieri intrinſecè potens ad eliciendam viſionem beatificam; quià non poteſt potentia aliqua de non potente fieri potens abſque aliquo in ſe recepto: ergo ſi intellectus creatus nil intrinſecè recipiat, nequit fieri potens ad viſionem beatam producendam.

Reſp. neg. min. Ad probationem dicitur, quod nihil additur intellectui intrinſecè per modum qualitatis ipſum afficiens, ſed extrinſecè eleuatur, & roboratur per illud ſpeciale auxilium ad vnionem eliciendam, quam cum communi, & generali concurſu non potuiſſet elicere, vt patet de actu ſupernaturali, de quo ſupra &c.

Contrà. Ex reſponſione data ſequitur Deum ſolùm ad præſentiam intellectus creati producere viſionem beatificam; ſed conſequens eſt falſum; ergo & reſponſio antecedentis;

dentis: prob. mai. Tunc Deus ſolus cenſetur actum ad præſentiam intellectus creati producere quandò hic intellectus non magis eſt potens intrinſecè per illam Diuinam aſſiſtentiam, quàm anteà; ſed in hoc caſu non eſſet intellectus magis intrinſecè potens, quàm erat: ergo non poſſet viſionem elicere, ac proindè Deus ſolus erit viſionis productor.

Reſp. neg. mai. & pariter probationem maioris, & ratio eſt, quia, licet intellectus creatus nihil intrinſecum in ſe recipiat per vberiorem illum concurſum, nihilominùs vt fiat potens, ſufficit quod exteriùs adiuuetur, & eleuetur ad ordinem ſupernaturalem, vt talem viſionem eliciat; exemplo hominis impotentis ad aliquod onus portandum declaratur; Si enim illi aſſiſtat alius homo, eum ſubleuando, abſque eo quod ipſi addat vires intrinſecè, fit potens ad onus ferendum; ſic in noſtro propoſito aliqualitèr eſt diſcurrendum.

Arg. 2. Hæc concluſio directè militat contra Concil. Viennenſe in Clement. ad noſtrum &c. in quo damnantur Hæretici appellati Beguinæ, & Beguardi, dicentes Animam non indigere lumine gloriæ ad Deum videndum, ergo ex mente Concilij neceſſariò exigitur lumen; ſed ille concurſus vberior non eſt lumen; ergo falſa concluſio.

Reſp. neg mai. Nàm Concilium nihil aliud deffinit, quàm quòd requiratur aliquod ſupernaturale auxilium ad viſionem aliquam eliciendam: quod autem tale auxilium, ſeù lumen ſit quid intrinſecum; Concil. non determinat; quare non rectè Thomiſtæ ita exagerant, vt dicere audeant, eſſe de fide dari habitum propriè dictum luminis gloriæ; nàm vt Doctores paſſim rectè notant; Concil. Viennenſe, tantum intendit deffinire, animam non eſſe ſe ipſa naturalitèr beatam, ac per conſequens, eam indigere auxilio ſupernaturali contrà recenſitos hæreticos: quod quidem auxilium vocat Concil. lumen gloriæ, eò quia nobis manifeſtat Deum, qui eſt gloria, & fœlicitas noſtra, & mediante lumine producitur viſio, quæ Beatum formaliter illuminat. An verò illud ſit habitus propriè acceptus, an ſpecies, an auxilium extrinſecum, ſiuè creatum, ſiuè increatum, ſiuè partiale (quod Nominales cenſent à Concil. non taxari, vt bene aduertit Smiſing. diſp. 6. contra

Caiet.

Caiet. & Ferratienſ.) ſiue totale, Concil. reliquit indeciſum, tribuendo Scholaſticis, non errandi (vt quidam malè loquuntur) occaſionem, ſed opinandi libertatem in re, quæ ex alijs authoritatibus non ſatis poterat deduci. Solent enim Pontifices, & Concilia, quandò damnant hæreſes, intactas relinquere Scholaſticorum opiniones, & controuerſias, præſertìm ad intentum ſuum particulare nihil facientes, & de quibus in ordine ad deciſionem non præceſſit diſcuſſio. Itaque vtitur Concilium nomine luminis gloriæ in ſua generalitate, pròut eſt commune ad varias ſignificationes à diuerſis Doctoribus Catholicis vſurpatas, & ſignificat auxilium ſupernaturale requiſitum ad viſionem Dei. Quod ſi proprietatem vocis (lumen) vrgeant Thomiſtæ, non niſi metaphoricè aſſerimus conuenire lumini gloriæ, appellatione translata à lumine corporali. Et quidem ea ratione maximè conuenit Deo, qui in authoritatibus Sanctorum Patrum dicitur lux vera, lumen de lumine &c. ſimiliter in Sac. Scriptura, & Concil. frequenter etiam auxilia actualia dicuntur lumen, & pſalm. 12. *Illumina oculos meos &c* pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: & alibi, & Concil. Trid. ſeſs. 6. c. 5. Gratia, ſeù auxilium actuale præcedens infuſionem habituum vocat illuminationem; denique D. Auguſt. 12. Geneſ. ad litt. c. 31. dicit. *Lumen, quo illuſtratur Anima, vt omnia, vel in ſe, vel in illo veraciter intellecta conſpiciantur ipſum Deum eſſe.* Ità diſcurrit Herincx Epiſcopus Iprenſis noſtræ Religionis decus, & honos.

Arg. contra 2. conc. Scot. in 3. d. 14. q. 1. videtur de facto abſtuliſſe lumen gloriæ, vbi docet, habitum acquiſitum poni in potentia propter hanc perfectionem, quia eſt immanens in Anima, tranſeunte actu, ſed quandò actus eſt permanens, & habet perfectionem primi, & ſecundi, ſicùt eſt viſio beatifica, non oportet ponere habitum: ergo Scotus de facto negauit &c. item in 4. d. 49. q. 17. vbi poſtquàm docuit ſi voluntas ſit merè paſſiua reſpectu fruitionis, charitatem non eſſe neceſſariam ex parte voluntatis ità ſubdit: ſed quia ſecundum ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem ſupernaturalem, neceſſe eſt eam ponere in Beatis propter operationem eliciendam: lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſſe poni;

hæc

hæc ille. Quæ verba ſignificant apud Scot. non eſſe de fide in Beatis dari lumen gloriæ. Quod verò loquatur ſecundùm legem ordinariam, conuincitur ex eo, quod ſecundum illam loquitur de charitate. Vnde ſecundùm legem ordinariam ponit in Beatis charitatem, quæ tamen apud eum neceſſaria non eſt ſecundùm potentiam abſolutam, ità ſecundum legem ordinariam negat dari lumen, ergo &c.

Priuſquàm detur reſponſio ſupradictis obiectionibus, inueſtigandum eſt, quid reuerà ſenſerit Scot. in re tanti ponderis. Vnde obſeruandum eſt primò, aliud eſſe loqui de poſſibili. ſpectata abſoluta Dei potentia; & ìta negauit apertiſſimè Scotus omnes habitus, tàm in Patria, quàm in via, vt patet in 1. d.17. q. 2. & in 3. d. 3. q.4. & d. 14. q.1. & aliud de facto ſecundum ordinariam potentiam Dei, & in hoc ſecundo ſenſu non abſtulit Scotus lumen gloriæ.

Et pro maiori claritate obſeruandum 2. quod multis modis poteſt generatim accipi neceſſitas alicuius habitus, ſiue ſupernaturalis, ſiue naturalis in Creatura intellectuali; primum eſt potentiam diſponere, vt agat facilitèr, delectabilitèr, ac promptè: ſecundum, vt ſit totale principium, quo potentia ſimplicitèr operetur. Tertium vt ſit principium ſaltem quo potentia ſic agat, nempe intenſiùs, & perfectiùs. Quartum potentiam ornare, decorare &c. Quintum, vt ſit ratio recipiendi operationem. Quare iuxtà omnes prædictos effectus poteſt eſſe concertatio de habitu luminis glorię, dum inquirere ſtudemus, quid Scotus ſenſerit. Et quidem, vt à notioribus incipiam, ſemper Scotus negauit generaliter de habitu neceſſariò, ponendo in Creatura intellectuali, vt ſit principium recipiendi operationem, vt patet in 4. d.49. q.11. & in 3. d.14. q.1., & alibi. Inſuper negauit, habitum ponendum præcisè eſſe ad ornatum, & decorem &c. ità expreſsè in 4. loc. citat. Rurſùs expreſsè negauit etiam ponendum eſſe habitum aliquem, vel vti principium ſimplicitèr, & totale operandi, ità in 1. d.17. q.2. vbi contrà Henricum probat, quod, ſi habitus ſupernaturalis eſſet principium ſimplicitèr reſpectu potentiæ, diceretur potentia, cum potentia ſit, qua quis ſimplicitèr operari poteſt.

Verùm nunquàm Scotus negauit habitum ponendum eſſe in potentia eam diſponentem, vt facilitèr, & delectabilitèr &c. operetur: & certè de intellectu coniuncto, & etiam de voluntate dubitare non potuit; immò aſſeruit; vt apertè habetur in ſuis ſcriptis. Itaque Scotus propter duo aſſeruit lumen gloriæ eſſe neceſſarium. Primum vt potentia intellectiua habeat in ſua poteſtate Deum præſentem ad ſui viſionem mouentem, veluti ad effectum ſibi debitum, ſuppoſita potentia ipſius ordinaria: ſecundum, vt, mediante lumine, tamquam altera concauſa partiali eliciat intenſiorem, & perfectiorem viſionem; vnde in 1. d.17. q.2. in calce ſic loquitur; Nullus negat communitèr in Patria habitum luminis gloriæ, & in 4. cit. vbi reſpondens tertio principali, dicit ſecundum illam opinionem aſſerentem intellectum eſſe cauſam actiuam viſionis ſine habitu luminis, hominem non habere potentiam proximam, ſed remotam, cum habitu verò habet potentiam propinquam, & alibi eamdem doctrinam habet. Patet igitur reſponſio ad obiectiones, quæ in hoc conſiſtit breuitèr: Scot in 3. cit. non negaſſe lumen gloriæ, ſed tantum in duobus caſibus: primò, quandò ipſe intellectus ſe haberet merè paſſiuè reſpectu viſionis beatificæ, tunc enim non oportet ponere lumen, cum de ſe ſit capax, & diſpoſitus ad recipiendam viſionem beatificam: ſecundò negauit neceſſitatem luminis ex parte obiecti beatifici, quia obiectum increatum nullo eget lumine extrinſeco, vt videri poſſit, cum ipſe Deus ſit lumen infinitum. Ad ſecundum locum adductum ex 4. reſpondetur ſicùt ad primum, & inſuper addimus, Scot. non negaſse lumen de facto, eo modo, quo negauit charitatem, quandò voluntas ſe habet merè paſſiuè reſpectu fruitionis, ſed dicit, vt patet attentè legenti textum: maiùs fundamentum eſſe in Sac. Scriptura, vt charitas habitualis ponatur, quandò voluntas actiuè ſe habet ad fruitionem, quàm de intellectu. Itaq; concludendum eſt Scot. ſentire rectè de lumine gloriæ iuxtà determinationem Concilij Viennenſis.

Sed dato, & non conceſſo, quod Scotus negaſſet lumen habituale gloriæ intellectu actiuè ſe habente in viſione beatifica elicienda; quid inde? Incidit fortaſse in Canon. Concil. & Clement. mentiuntur, qui hoc aſſere audent, eò

quia

quià Scot. obijt 1308. Clemen. verò publicata fuit ſub Io: 22. ann. 1318. vt patet intuenti proęmium illius Clemen. Inſuper demus Scot. negaſſe de facto lumen habituale, nunquam tamen negauit lumen actuale, hoc eſt auxilium ſpeciale, quo intellectus eleuetur ad Deum videndum. Quare, cum Clemen. non diſtinguat de lumine, vt ſuprà notauimus cùm Herincx, non contradicimus definitioni Concilij, & Clement. aſſerendo, ſufficere auxilium actuale, quod pariter lumen appellatur in Sac. Scriptura, & hoc videtur fuiſſe intentum Concilij contrà Beguinas, & Beguardos, aſſerentes Animam ſuis viribus naturalibus poſſe Deum videre, vt ſupra obſeruauimus. Cęterum quare ex parte voluntatis ponatur habitus charitatis; & non ponatur habitus luminis ex parte intellectus, vide reſponſionem Scoti in 3. diſt. 36. quęſt. vn. art. 4. vbi claram diſparitatem aſſignat.

QVÆSTIO V.

Vtrum in viſione beatifica dari poſſit ſpècies impreſſa, ſicut datur ſpecies expreſſa.

NOt. 1. Quod ſpecies duplex eſt, alia dicitur impreſſa, alia expreſſa: prima eſt virtualis ſimilitudo obiecti, ſeù qualitatis quædam intentionalis, effectiuè concurrens cum intellectu ad producendam cognitionem, complendo, & determinando ipſam potentiam ex parte obiecti ad talem cognitionem producendam: dicitur ſimilitudo, quia repræſentat obiectum illud, exhibendo præſens potentiæ cognitiuæ: dicitur virtualis, quia ſpecies non repræſentat obiectum formalitèr, ſed virtualitèr, quatenùs obiecti vices gerit: dicitur qualitas intentionalis, ſeù intelligibilis, quia ordinatur ad cognitionem intellectus, cuius operatio interdum appellatur intentio. Species expreſſa eſt terminus internus, qui quidem terminus vocatur Verbum mentis, in imaginatione phantaſma; & dicitur expreſſa, quia eſt expreſſio, & imago obiecti, formata ab obiecto, & intellectu, tanquam à duabus cauſis partialibus.

Not. 2. Quòd triplex eſt munus ſpeciei impreſſæ: primum

mum eſt vnire obiectum potentię: ſecundum eſt determinare potentiam indifferentem ad talem, & talem cognitionem obiecti. Tertium eſt complere potentiam ex parte obiecti: etenim cognitio habet duas formalitates; eſt namque actus vitalis, & repræſentatio formalis rei cognitæ: & licet ad vtrumque concurrat, tàm potentia, quam obiectum efficientèr; attamen potentia concurrit præcisè ad actum vitalem; obiectum autem, & ſpecies, quaſi ſemen, & vicaria eiuſdem obiecti concurrunt partialitèr ad cognitionem, quatenùs eſt immago, & ſimilitudo ipſius obiecti. Vtrumque tamen concurrit ſimul ad totam rationem actus cognitionis. Itaq; ſpecies expreſſa nil aliud eſt, quàm Verbum mentis, ſeù terminus intellectionis productus per intellectionem, vt eſt actio intellectus patientis, qui dicitur patiens, quatenùs recipit ab intellectu agente ſpeciem impreſſam, qua mediante deindè producit ſpeciem expreſſam, per modum qualitatis ſe habentem, quatenùs remanet in intellectu poſt intellectionem. Vnde intellectio, vt eſt actio diſtinguitur ab intellectione, vt eſt ſpecies expreſſa, ſeù Verbum mentis, quia intellectio, vt actio eſt via, & actus, quo producitur Verbum mentis, quod eſt terminus productus: ex qua doctrina colligitur huiuſmodi definitio verbi: Verbum eſt actus intelligentię productus à memoria fœcunda, ſeù perfecta, non habens eſſe ſine actuali cognitione repræſentans Verbum Diuinum. Ità ex Scoto in 1. diſt.27. q.3.

Not.3. ex Scoto q.10. quol. quod dupliciter ſumi poteſt ſpecies, vel vt medium quò, vel vt medium quòd: vt medium quo eſt ratio, qua mediante cognoſcitur aliquod obiectum, & tale medium non oportet cognoſci, nec formaliter, nec eminenter continere repræſentatum; medium autem quod vel eminenter, vel formaliter repræſentatum continere debet; ac proinde ſemper eſt perfectius repræſentato: Et licet Statua Cæſaris v.g. non contineat Cęſarem eminenter cum ſit imperfectior homine vero, nec etiam formaliter, quia non eſt verùs homo, continet tamen formaliter repræſentatiuè, nempè ſecundùm rationem talis figuræ, & coloris: idcircò cognoſci debet priùs, quid ſit imago Cęſaris, quàm cognoſcatur Cęſarem repræſentare; quarè vt ſpecies impreſſa, & quæuis alia imago poſſit

conducere ad cognitionem alterius, tria exiguntur. Primum quod obiectum repræſentatum contineat, vel formalitèr, vel eminentèr. Secundum, quod cognoſcatur ſub ratione imaginis, & talis repræſentationis. Tertium, quod hæc cognitio terminetur ad obiectum præſens, vt ſit intuitiua, vel ad abſens, vt ſit abſtractiua. Vnde, cum ſpecies impreſſa ſit medium quo, nec formaliter, nec eminenter continet obiectum, ſed ſolùm repræſentatiuè. Cęterùm quæſtio præſens ſupponit eſſe apud omnes Theologos certiſſimum dari ſpeciem expreſſam, & quidem negari nequit, cum D. Auguſt. lib.15. cap.16. de Trinit. apertè ſic doceat, *Quandò videbimus eum ſicuti eſt, tunc Verbum noſtrum non erit falſum*: Ità etiam D. Anſel. Monolog. cap.13. & comminniter Theologi.

I. Conc. Species impreſſa D. Eſsentiæ non eſt impoſſibilis; hæc eſt contra Thomiſtas. Prob. nulla ratione probari poteſt impoſſibilitas ſpeciei impreſsæ, ergo &c. Prob. ant. rationes potiſſimæ, quæ probare videntur impoſſibilitatem ſpeciei impreſsæ petuntur, vel ex improportione obiecti, vel ex munere ipſius ſpeciei, vel ex alijs rationibus: ſed eædem rationes militant de ſpecie expreſsa, vt in ſolutione argumentorum obiter tangetur, ergo &c.

II. Conc. Probabiliùs eſt de facto non dari ſpeciem impreſsam in intellectu, quæ ipſum determinet ad viſionem beatificam, aùt cum ipſo concurrat effectiuè ad viſionem formandam: hæc eſt communis. Prob. quando obiectum eſt debitè præſens, & potentiæ applicatum, ac ſufficientèr proportionatum, nullo modo requiritur ſpecies impreſſa, ſed ità ſe habet obiectum diuinum in ordine ad potentiam intellectiuam reſpectu viſionis beatificæ: ergo in intellectu Beatorum non requiritur ſpecies: mai. pat. nàm quoties cauſa partialis agere poteſt per ſe ipſam, non eſt neceſſe operari per virtutem inſtrumentalem: min. paritèr ex dictis patet; ergo &c.

Arg.1. contra 1. conc. Species impreſsa debet eſse ſimilitudo obiecti; ſed inter Deum,& ſpeciem creatam nequit dari ſimilitudo, ergo &c. Reſp. diſting. min. Inter Deum, & ſpeciem non eſt ſimilitudo entitatiua, conc. repræſentatiua, ſeù intentionalis, nego; nàm, ſicùt inter ſpeciem expreſſam, quæ eſt quid creatum non exigitur ſimilitudo enti-

entitatiua, ſed ſolùm repræſentatiua; ità etiam diſcurrendum eſt de ſpecie impreſſa.

Arg. 2. Species impreſſa, quæ ſe tenet ex parte obiecti debet eſſe purior, & perfectior obiecto, quia dicitur ipſum perficere, & repræſentare; ſed nil dari poteſt perfectiùs Deo: ergo non eſt poſſibilis ſpecies impreſſa. Reſp. neg. aſſumptum in mai. Nimirum ſpeciem ſemper debere eſſe perfectiorem, & puriorem obiecto quocunque. Immò eſt aliquandò imperfectior, vt patet de Angelo inferiori cognoſcente per ſpeciem impreſſam Angelum ſuperiorem, ſed dicitur tantùm purior reſpectu entium materialium.

Cæterùm, ſi ſpecies dicitur perfectio obiecti, eſt tantùm perfectio extrinſeca, hoc eſt, quatenùs reddit obiectum virtualiter intelligibile: deinde ſpecies expreſſa repræſẽtat obiectum puriuſquàm impreſſa, quia repręſentat formalitèr, ipſa verò virtualitèr; & nihilominùs Aduerſarij admittunt expreſſam, & negant imprèſsæ poſſibilitatem.

Arg. 3. Si ſpecies impreſſa eſſet probabilis, ergo, ipſa admiſſa, Angelus poterit videre Deum naturalitèr, ſed hoc eſt falſum: ergo &c. prob. ſequela mai. Angelus poſſet videre ſpeciem Diuinæ Eſſentiæ communicatam alteri Angelo viribus naturæ: ergo naturaliter videre poſſet Deum.

Reſp. neg. ſequel. mai. Ad probationem neg. ant. & ratio eſt, quia talis ſpecies impreſſa eſſet ſupernaturalis; entia autem ſupernaturalia per D. Thomam nequit Angelus videre. Immò ſi valeret hæc ratio de ſpecie impreſſa, valeret etiam de ſpecie expreſſa, quæ Deum perfectiùs repræſentat.

Verùm admiſſo probationis ant. non eſt admittenda illatio: ergo naturaliter Angelus videre poſſet Deum; eò quia ſpecies eſt medium quo, & non quod, vt in 3. not. explicatum eſt; ac proindè poſſet Angelus per ſpeciem tanquàm medium, ſiuè obiectum cognitum, ſolùm abſtractiuè, & confusè Deum videre, ſicùt pariter ſpecies expreſſa, quæ eſt viſio Dei ab Angelo cognita non deduceret eum in cognitionem intuitiuam Dei, ſed tantum abſtractiuam; de quo latè p. 2. diſp. 1. q. 4.

Arg. 4. Species impreſſa ordinatur eſsentialitèr ad ſupplendas vices obiecti, quandò illud, vel eſt abſens, vel improportionatum potentiæ: ſed non ſic ſe habet Deus re-

ſpectu

ſpectu intellectus Beati : ergo non eſt poſſibilis ſpecies impreſſa. Reſp. neg. mai. quia dari poteſt ſpecies etiam ad ſupplendas vices obiecti, non agentis per ſe, nec concurrentis immediatè ad ſui viſionem. Vndè in tali caſu, Deus, cum liberè agat ad extrà, non moueret immediatè, ſed mediatè.

Arg. 5. Nullum obiectum, quod eſt per ſuam Eſſentiam proximè intellegibile repræſentari poteſt per ſpeciem impreſſam : ſed ità ſe habet Deus : ergo &c. Reſp. diſt. mai. obiectum per ſe ipſum eſſentialiter intelligibile &c. ſi non poſſit ſuſpendere concurſum ſuæ intelligibilitatis immediatè, conc. ſi poſſit nego; Deus namque ſuſpendere poteſt concurſum Eſſentiæ ſuæ : Vnde in tali caſu Deus non concurreret immediatè obiectiuè, ſed tantùm mediatè, concurreret tamen immediatè effectiuè, quia nulla eſt operatio creata, ad quam Deus tanquam cauſa prima non concurrat.

Arg. contra 2. conc. Viſio connaturaliùs fit mediante ſpecie, quam ſine ſpecie : ergo ad hoc, vt Eſſentia Diuina debitè ſuppleat concurſum ſpeciei, admittenda eſt de facto ſpecies impreſſa : prob. ant. Intellectus modo connaturaliori completur, & conſtituitur in actu primo ad agendum per aliquod intrinſecum, quàm per aliquod extrinſecum; ſed Eſſentia Diuina ſine ſpecie ſolùm extrinſecè conſtitueret intellectum in actu primo : ergo &c.

Reſp. neg. ant. Ad probationem diſt. mai. ſi intrinſecum, ſe teneat ex parte potentiæ, conc. Si ſe teneat ex parte obiecti, nego : ſpecies enim ſe teneret ex parte obiecti, ac proinde non eſſet neceſſe talem ſpeciem admittere, cum obiectum ex ſe connaturaliori modo compleat potentiam ad agendum, & maximè, quia potentia intellectiua eſt lumine gloriæ ſuffulta.

Arg. 2. Ibi eſt neceſſaria ſpecies impreſsa, vbi obiectum præſtare nequit, quod ipſa præſtare poteſt : ſed Eſsentia Diuina non poteſt præſtare id, quod daret ſpecies : ergo ſpecies eſt neceſſaria.

Reſp. diſting. mai. Eſſentia Diuina non poteſt ſupplere vices ſpeciei, vt eſt accidens, niſi informaret intellectum, concedo maiorem : non poteſt ſupplere ſpeciem, quatenùs eſt vicaria obiecti, nego; ad hoc namque ſufficit

cit extrinſeca aſſiſtentia Diuinæ Eſsentiæ cùm efficaci Dei voluntate, qua Deus vult videri liberè à Creatura.

QVÆSTIO VI.

Vtrum intellectus concurrat ad producendam viſionem beatificam, & quommodò.

NOt. 1. Quòd, quàmuis intellectus ſit vna potentia, nec includat plures potentias formaliter diſtinctas, tamen, quia eadem potentia diuerſa munera exercet, idcircò duplex diſtingui ſolet intellectus, nempe agens, & patiens, ſeù paſſibilis. Intellectus agens eſt ille qui recipit ſpecies immiſsas à ſenſibus externis ad phantaſiam; à phantaſia ad ipſum intellectum, qui quodam modo eaſdem ſpecies depurat à materialitate, & exprimit. Intellectus paſſibilis eſt idem intellectus, qui, quatenùs recipit in ſe formatam ſpiritualem imaginem, vt per eam fiat formaliter intelligens dicitur paſſibilis; ità quod intellectio inchoatiuè debeat conſiſtere in illa intellectus actione, qua producit ipſam imaginem, completiuè autem in eiuſdem imaginis receptione: eò quia talis imago, ſeù verbum mentis, cum ſit rei intellectæ expræſsa ſimilitudo, illum informando, & ei adhęrendo, ipſam cum obiecto cognito aſſimilat, ac proindè completè intelligentem efficit.

Not. 2. Quòd, ſicùt duplex eſt locutio: alia externa, & ſenſibilis: alia interna, & ſpiritualis; ità duplex eſt verbum, aliud oris, quo homines exprimunt, loquendo alijs ſuos conceptus internos. Aliud verò mentis, & eſt ipſamet loqutio interna, ſeù formatio conceptus, quia intellectus exprimit ſimilitudinem, & imaginem obiecti, quod conſpicit; de quo latiùs Deo dante agetur in tractatu de Sanctiſſima Trinitate.

Not. 3. Quòd hìc reuocanda ſunt ea, quæ traduntur in Phyloſophia de cauſa efficiente. Alia enim eſt cauſa totalis, alia partialis: partialis verò, alia magìs principalis, alia minùs principalis, alia etiam inſtrumentalis, quæ, vt docet Scot. in 4. d. 1. q. 3. de ſe non eſt actiua, ſed influit in effectum ſolum per virtutem cauſæ principalis illam mo-
nentis

uentis. Quæſtio igitur eſt, an intellectus habeat rationem cauſæ principalis, vel ſolùm inſtrumentalis, vel alio modo ſe habeat ad Viſionem producendam.

I.Conc. Intellectus Beati concurrit partialitèr cùm lumine gloriæ ad phyſicè actiuè, & immediatè producendam Viſionem: Hæc eſt Scoti in 4. d.49. quæſt.11. contrà plures Thomiſtas Recentiores aſſerentes, lumen requiri, vt tribuat intellectui creato virtutem viſiuam ſimplicitèr ex parte potentiæ ad Deum videndum: & quidam aſſertiuè docent lumen gloriæ eſſe totam rationem, per quam Intellectus producit viſionem; quorum rationes adducentur in parte argumentatiua. Prob. noſtra conc. ex Scoto loc.cit. vbi docet intellectum creatum eandem virtutem, quam habet in Patria, etiam in via ad videndum Deum, cùm hoc tamen diſcrimine, quod in via eſt remota, in Patria verò propinqua, & in 1. d.17. q. 2. idem Scot. docet, nullum habitum, ſiue acquiſitum, ſiue infuſum, ſiue intellectiuum, ſiue appetitiuum dare potentiæ ſimpliciter operari, hoc eſt vitaliter (nàm quoad ſupernaturalitatem admittit etiam Doctor dare habitum infuſum potentiæ ſupernaturaliter operari) ſed tantùm ſic operari, hoc eſt intenſiùs, & perfectiùs, ergo &c.

Prob. 2. Omnis intellectio producitur à mente, ſicùt volitio à voluntate: ergo etiam viſio beata producitur ab intellectu creato, ſicùt Amor beatificus à voluntate creata: ant. pat. ex communi ſententia Sanctorum Patrum, & maximè D. Auguſt. conſ. pariter eſt euidens, quia non minùs intellectus concurrere debet ad producendam viſionem beatam, quam voluntas ad producendum amorem: ergo ſicùt voluntas concurrit actiuè, ità intellectus: tum, quia viſio beatifica eſt actio vitalis, ergo connaturaliter produci debet phyſicè à potentia vitali, ſed non ab alia, quàm ab intellectu: ergo intellectus actiuè concurrit ad producendam viſionem beatificam.

Prob. 3. immediatè contra Thomiſtas, vel Thomiſtæ concedunt intellectum actu influere in viſionem, vel non; hoc ſecundum manifeſtè negant, dum reijciunt ſententiam dicentium intellectum paſſiuè tantum concurrere: Si primum: ergo intellectus verè cum lumine gloriæ actiuè concurrit, ac proindè lumen non eſt ſola, & tota ratio

agens

agendi, & producendi viſionem. Confirmatur. Lumen nequit dici tota ratio agendi, ſicùt calor in aqua, cui inſidet, qui dicitur tota ratio calefaciendi, eò quia aqua concurrit paſſiuè tantum ſuſtentando calorem: ergo intellectus concurrit actiuè, aliter eſset ſimpliciter potentia paſſiua.

Reſp. Thomiſtæ lumen eſse principium vt quo, & vt forma, & intellectus vt quod; non quia intellectus ſe habeat ſolùm vt ſuppoſitum recipiens denominationem, ſed quia in ordine ad ſupernaturalitatem non habet potentiam, niſi radicalem, & remotam, cum ſine principijs ſupernaturalibus nequeat producere actus ſupernaturales; ità plures Thomiſtæ Recentiores; quare admiſsa in hoc ſenſu eorum ſententia, côincidit cum noſtra ſententia, & ſolo nomine differre videtur, vt etiam notauit præter Ouuiedam Maſtrius in 1. diſp. 6. de Viſione beatifica artic. 3. num. 143.

II. Conc. Intellectus cum lumine gloriæ concurrit ad viſionem beatificam vt cauſa principalis. Hæc eſt communis inter Scotiſtas. Prob. Illa cauſa concurrit ad effectum vt principalis, quæ ipſum producit per virtutem ſibi intrinſecam, & connaturalem; ſed ità ſe habet intellectus reſpectu viſionis: ergo &c. mai. pat. in hoc enìm differt cauſa principalis ab inſtrumentali, quod hæc operatur per virtutem ſolam externam ſibi communicatam; illa verò per propriam, & intrinſecam vim: prob. min. Nulla alia cauſa principalis in ordine ad viſionem aſſignari poteſt, quia lumen non videt, ſed intellectus: ergo intellectus eſt cauſa principalis, & non lumen, neque aliquid aliud.

Confirmatur, quià lumen glòriæ non poteſt eſse principium actus vitalis, qui neceſſariò petit eſse à potentia vitali; ſed talis potentia eſt ſolus intellectus: ergo intellectus eſt cauſa principa' quo ad viſionem, & vitalitatem actus, eſtò lumen quo ad ſupernaturalitatem actus dici poſſit cauſa principalis, vt infrà patebit in ſolutione argumentorum.

Arg. contra 1. conc. Intellectus non poteſt actiuè concurrere ad viſionem beatam, quin pariter concurrat ad eius ſupernaturalitatem: at hoc nequit intellectus præſtare, ſed

re, ſed ſolam vitalitatem actus: ergo nec ad entitatem actus actiuè poteſt concurrere: mai. pat. min.prob. Sicùt ſe habet lumen reſpectu vitalitatis actus, ità intellectus reſpectu ſupernaturalitatis actus: ſed lumen non attingit actiuè vitalitatem, quia eſt principium inanime: ergo neque intellectus attingit actiue ſupernaturalitatem actus, quia eſt principium naturale, ac proinde nequit actiuè concurrere ad entitatem actus; Tum quia vitalitas ipſius viſionis eſt etiam formaliter ſupernaturalis, & per conſequens nequit intellectus ad illam actiue concurrere.

Reſp. neg. min. argum. & ratio eſt, nàm cum intellectus concurrat ad entitatem viſionis, concurrit etiam ad omne id, quod eſt realiter identificatum ipſi viſioni; ac proinde ad ſupernaturalitatem realiter identificatam cum viſione; Vnde, cum formalitates illæ vitalitatis, & ſupernaturalitatis non ſint realiter diſtinctæ ab actu viſionis, ſed reſultent ſolum ex diuerſo modo, quo actus ille procedere dicitur à ſuis cauſis; ideò actus viſionis beatæ ſecundum realem ſuam entitatem, ac proinde ſecundum vitalitatem, & ſupernaturalitatem realiter procedit, tàm ab intellectu, quàm à lumine gloriæ, veluti à duabus cauſis partialibus, eſtò enim non dicatur procedere ab vtraque ſeorſim præcisè ſecundum ſuas formalitates; non enim dicitur à lumine recipere vitalitatem, ſicùt nec ab intellectu ſupernaturalitatem.

Contra. Viſio beata eſt adęquate, & formaliter ſupernaturalis: ergo procedere debet a principio ſupernaturali; ſed intellectus non eſt huiuſmodi, ergo actiue non concurrit. Reſp. conc. mai. cum ſequela, & diſting. min. Intellectus non eſt principium ſupernaturale intrinſecè, conc. extrinſecè, hoc eſt quatenùs eſt eleuatus à lumine glorię, nego; Sufficit enim ad rationem principij adęquati viſionis beatificæ, quod fiat ab vno principio formali ſupernaturali, quale eſt lumen, & ab alio extrinſece tantùm, & per eleuationem, quale eſt intellectus beatus, quæ duo principia integrant vnam cauſam totalem, & producunt viſionem beatificam.

Arg. 2. Pluribus in locis, & ſignanter in 1. d.3. q.8. affirmat Scotus intellectum ſe habere mere paſſiue ad viſionem beatificam; ergo &c.

Reſp. Scotum non docere intellectum ſe habere paſſiuè ex propria ſententia, & aſſertiue, ſed probabiliter diſcurrere. Cęterùm manifeſte patet intentio Doctoris, qui oppoſitum alibi aſſertiue tradit, & præſertìm quodl. 14.

Arg. contra 2. conc. Quandò aliqua cauſa eſt ignobilior effectu, nequit dici cauſa principalis, ſed intellectus eſt cauſa ignobilior viſione, quę eſt eius effectus, ergo non eſt cauſa principalis, ſed è contra, ideſt minùs principalis.

Reſp. conc. mai. & neg. min. Nàm intellectus, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis eſt nobilior viſione beatifica, quæ eſt accidens, quia ſubſtantia differt à toto genere ab accidente. Cęterùm, cum dicimus intellectum eſse cauſam principalem reſpectu viſionis, non loquimur de intellectu, vt naturalis potentia eſt, ſed vt eleuatus, ſicque vtitur lumine, & non è contra, quia lumen eſt propter potentiam, & non potentia propter lumen.

Arg. 2. à Suarez ſic. Cauſa concurrens ad aliquem effectum per potentiam tantum obedientialem, nullo modo poteſt agere vt cauſa principalis; ſed intellectus ita ſe habet: ergo non poteſt dici cauſa principalis. Reſp. diſting. mai. Si cauſa agens per potentiam obedientialem nullam ex ſui natura habeat virtutem, nec quidem inchoatiuam, conc. mai. ſi verò habeat virtutem inchoatiuam, nego maiorem.

Contrà. Inſtrumentum ſecundum omnes dicitur illud, quod agit vt eleuatum, & in virtute alterius: ſed ſic ſe habet intellectus reſpectu viſionis, ergo &c. Reſp. neg. minor. nàm intellectus non tantùm ratione luminis, ſed etiam ſua naturali virtute concurrit ad viſionem, ac proinde cenſetur cauſa principalis, eleuatio autem tunc facit eſse cauſam inſtrumentalem, quandò principium eleuatum manet extrà integritatem cauſæ, non verò ſi eleuetur ad componendam integram cauſam principalem ſupernaturalis effectus, vt in caſu noſtro, vel clariùs reſpondetur vt ſupra.

Contrà arg. Lezana. Si intellectus eſset cauſa principalis cum lumine, ergo ſaltem partialiter deberet continere viſionem; ſed hoc eſt falſum, quia ſupernaturale non continetur in naturali potentia, ſeù cauſa; tum quia, vel contineret formaliter, vel eminenter, at neutrum dici poteſt;

teſt: ergo &c. Reſp. conc. ſequelam mai. & neg. min. quia dicimus intellectum eleuatum habere rationem cauſæ ſupernaturalis, & continere viſionem virtualitèr in actu primo, vt ſupra oſtenſum eſt.

Arg. 3. Viſio eſt vna ſimpliciſſima, & indiuiſibilis entitas: ergo implicat, quod ſecundum aliquod ſui producatur ab vna cauſa partiali, & ſecundum aliam partem ab alia. Reſp. argum. prob. tantum intellectum non eſſe cauſam partialem viſionis partialitate effectus, quod gratis concedimus, & ſic nil contra noſtram ſententiam.

Quæres. An viſio beatifica ſit verbum.

Reſp. diſcrepare inter ſe Scotiſtas circa hoc dubium; Nàm quidam negant, vt Smiſing. eò quia, cum Verbum mentis, vt colligitur ex doctrina Auguſt. ſit imago obiecti naturaliter expreſſa ab intellectu fęcundo, quę manet in illo, quamdiù durat cognitio actualis, & viſio beatifica non producatur naturaliter, ſed liberè ab Eſſentia Diuina per ſe, aut per ſui ſpeciem liberè productam, ſequitur, quod ipſa non ſit propriè Verbum, eſtò impropriè rectè dicatur Verbum, cui opinioni videtur fauere Scot. in quol. 14. & 15. Alij verò Scotiſtæ communiter tenent oppoſitum ex Scot. in 1. d.2. q.7. d.27. q.13. in fine, & etiam probatur auth. D. Auguſt. q. de Trinit. cap. vlt. vbi ità tradit. *Omnis res, quantumcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiàm ſui*: & ità operatur Eſſentia Diuina viſa, ergo generatio mentis terminatur ad Verbum, ergo viſio Dei eſt verbum mentis propriè.

Prob. 2. Viſio Dei eſt naturalitèr expreſſa ab intellectu Beati: ſed hoc ſufficit ad hoc, vt dicatur verbum mentis, ergo &c. patent mai. & min. nàm gratis requiritur, quod etiam obiectum, & aliæ cauſæ concurrentes agant naturaliter; cauſa enim prima ſemper concurrit liberè ad verbum mentis circa quęcunque obiecta, nec ampliùs exigitur ad cognitionem, ſeù partum. Quare Beata Virgo verè generauit veram prolem, eſtò Spiritus Sanctus habuerit concurſum non naturalem, ſed liberum. Vnde, ſicùt Chriſtus eſt propriiſſimè Filius Virginis, & non Spiritus Sancti; ità beata viſio dicenda eſt propriè verbum mentis, quia ab ea procedit naturaliter; nec dici debet verbum obiecti, vt docet Scot. quol. 14. cuius authoritas adducta

prà

prò parte oppoſita, non vrget, cùm Scotus non aſſertiuè, ſed diſputatiuè, vt notat Herincx p. 1. diſp. 5. de Viſione Beata, id dixerit.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Beati neceſſariò videant omnia, quæ ſunt in Deo formalitèr.

NOt. 1. Quòd duplex obiectum aſſignatur in viſione beatifica, nempe primarium, & dicitur illud, quod primò, & per ſe, & non ratione alterius percipitur à Beatis, quorum etiam viſionem terminat: & aliud ſecundarium, & dicitur illud, quod videtur, mediante altero, in quo continentur, vel eminenter, vel virtualiter, quare differunt hæc duo obiecta in hoc, quod primarium ſit ſimul obiectum materiale, & formale, ideſt id, quod videtur, & ratio videndi; Secundarium autem cum non ſit niſi obiectum materiale, videtur mediante primo.

Not. 2. Quod ea, quæ in Deo ſunt, alia continentur formalitèr, vt Eſsentia, Attributa, & Relationes: alia ſolùm eminenter, & virtualiter, vt Creaturæ omnes, tàm exiſtentes, futuræ, & præteritæ, quam poſſibiles. Rurſùs quæ ſunt in Deo formaliter alia ſunt neceſſaria, vt Attributa, & Relationes; alia libera, vt decreta Diuinæ voluntatis. Denique neceſſaria alia ſunt abſoluta nullum ordinem dicentia ad Creaturas, vt quædam Diuina Attributa, & modi intrinſeci: Alia verò dicunt quendam reſpectum ſaltem rationis ad Creaturas, vt omnipotentia, Scientia, Ideæ &c.

I. Conc. Beati videntes Deum, vident formaliter, & diſtinctè ipſam Diuinam Eſsentiam, Perſonarum Trinitatem, & attributa omnia, ſecundum proprias eorum rationes: hæc videtur eſse de fide deffinita in Concil. Florent. in literis vnionis, vbi dicitur. *Deus vnus & trinus videtur à Beatis*: & colligitur apertè ex Sacra Scriptura. Primò quidem Ioan. cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum*. Item Ioan. cap. 4. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. & cap. 3. 1. Ioan. *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt*, ergo &c. Idem tradunt vnanimi con-

conſenſu Sancti Patres, & præſertim Diuus Auguſtinus.

Prob. ratione. Viſio beata eſt quidditatiua, & intuitiua, ergo ſe extendere debet ad omnia illa, quæ pertinent ad Dei quidditatem, ac proinde etiam ad Attributa, ad modos intrinſecos, & ad Relationes. Prob. 2. Si videretur Eſsentia ſine perſonalitatibus, & alijs Dei perfectionibus, talis viſio nec eſset connaturalis, nec omnimodè completa, & quietatiua; non quidem poſteriùs, quia ſupereſſet Beato aliquid optandum, & videndum: nec etiam priùs, quia viſio intuitiua, & quietatiua exigit naturaliter, vt viſa Eſsentia, videatur etiam modus, quo illa ſubſiſtit, nec non omnes perfectiones, quæ neceſsariò concomitantur ipſam Diuinam Eſsentiam; ſed viſio non eſset talis, niſi perciperetur Eſsentia cum omnibus ſuis perfectionibus, ſibi formaliter identificatis: ergo ad hoc vt viſio ſit completa, & quietatiua, eſt neceſse, vt ipſa Eſsentia, videantur pariter omnia, quæ in ea formaliter continentur.

II. Conc. De potentia Dei abſoluta poteſt videri Eſſentia ſine Attributis, & Perſonis, & vnum Attributum ſine alio, nec non vna Perſona ſine alia. Eſt Scoti in 1. d. 1. q. 2. cum Scotiſt. & alijs melioris notæ Theologis contr. Thomiſtas. Prob. 1. Non dicit contradictionem poſſe videri Eſſentiam ſine Attributis, ergo poteſt à Deo fieri. prob. ant. Si diceret contradictionem talis viſio, maximè, vel quia eſt viſio intuitiua, vel quia eſt beatificatiua: ſed ex nullo capite poteſt fieri contradictio: ergo &c. prob. min. non quia viſio ſit intuitiua; nàm de ratione viſionis intuitiuæ non eſt, quod ſit adęquata, vel percipiatur obiectum ſecundùm omnes formalitates ſibi identificatas, vt patet de oculo vidente parietem abſque eo quod videat rationem qualitatis inhærentiæ, dependentiæ &c. ergo neque ex hoc, quod ſit hæc viſio quidditatiua. Cęterùm viſio etiam quidditatiua poteſt eſſe inadæquata; cognitio namque Angeli, qua cognoſcit ſuam Eſſentiam, eſt quidditatiua, & tamen non eſt adæquata, quia non percipit in ea omnes reſpectus, quos habet ad creaturas, neque potentiam obedientialem ad viſionem beatificam: ergo &c. tùm quia neque Attributa, neque perſonalitates ſunt de formali conceptu Eſſentię, cum formalitèr ab ipſa diſtinguantur:

ergo

ergo &c. Denique non repugnat, quia hæc viſio ſit beatifica; nàm, non viſis Perſonis, adhuc Deus remanet ſummùm bonum, & finis vltimus infinitè perfectus, ac proinde obiectum ſufficiens ad beatificandum: ergo nec ex hoc capite repugnat: Tum quia; ſi per impoſſibile Deus non eſſet Trinus, nec haberet rationes perſonales, ipſius viſio adhuc eſſet beatifica, quia eſſet entis infiniti; ergo relationes non neceſſariò conferunt ad viſionem beatificam.

Prob. 2. Si Eſſentia Diuina non poſſet videri ſine Attributis, & Relationibus, hoc maximè eſſet propter earum identitatem, & ſimplicitatem; ſed hoc non impedit, quin videri poſſit, ergo &c. prob min. Non obſtante tali ſimplicitate, & identitate Eſſentia Diuina communicatur, non autem Perſona. Iuſuper vna Perſona realiter vnitur immediatè, & non alia. Pater enìm æternus communicat Filio Diuinam naturam, non verò Paternitatem; & in myſterio Incarnationis Perſona Verbi immediatè vnitur humanitati, non verò Perſona Patris &c. ergo multò magis poterit communicari Eſſentia Diuina, & vniri extrinſecè per cognitionem, ſeù intentionaliter ſine Perſonis, & vna Perſona ſine alia: ant. pat. conſ. eſt euidens; quia cum viſio ſit magis extrinſeca, quàm ipſa communicatio naturæ ad intra, vel quam vnio humanitatis cum Perſona, ſequitur, illam magis poſſe præſcindere, quàm hanc, ac proinde faciliùs videre vnum abſque alio.

Reſp. Thomiſtæ maximam diſcrepantiam intercedere inter communicari Eſſentiam Diuinam &c. & inter videri, quia Eſſentia Diuina eſt communicabilis, Perſona verò non: At in ratione viſibilitatis tam Eſſentia Diuina, quàm Perſona eſt viſibilis, ideòque, viſa vna, neceſſariò videtur & altera.

Contrà. Non obſtante ſumma identitate Eſsentiæ, & Perſonæ, Eſsentia eſt communicabilis, Perſona non: ergo etiam non obſtante eadem identitate, Eſsentia erit viſibilis, non verò Perſona, vel illa repugnantia non oritur ex ſimplicitate, & identitate. Adde etiam, quod ſi diſtinctio virtualis in ſententia Thomiſtarum ſufficit ad ſaluandam contradictionem vnius, quare pariter non ſufficiet ad ſaluandam contradictionem alterius?

Arg. contra 1. conc. Si Beati vident omnia, quæ ſunt

formaliter in Deo; vel vident illa confusè, vel diſtinctè; non primum, quia viſio confuſa pugnat cum viſione intuitiua, & beatifica; non ſecundum, quia ſi illa videntur diſtinctè, talis diſtinctio, vel ſe tenet ex parte obiecti, vel ex parte actus: ſed, quæ ſunt in Deo formalitèr non poſſunt videri diſtincta propter ſummam eorum identitatem, & ſimplicitatem, neque per actus diſtinctos, quia in viſione beatifica non eſt variatio, & multiplicatio actuum: ergo non omnia, quæ ſunt in Deo formalitèr videntur. Reſp: viſionem beatificam eſſe diſtinctam, non quod fiat per actus diſtinctos, vel feratur in obiecta diſtincta, ſed quia confuſionem, & obſcuritatem nullam admittit, tàm reſpectu actus, quàm obiecti, quod euidenter, clarè, & diſtinctè percipitur.

Arg. 2. Attributa, quæ dicunt reſpectum aliquem ad creaturas, qualia ſunt Omnipotentia, Scientia, Ideæ &c. non poſsunt intuitiuè videri, niſi videantur etiam omnes creaturæ poſſibiles, & exiſtentes: ſed hęc omnia nequeunt videri à Beatis: ergo &c. maior eſt clara: min. pat. quia illæ Creaturæ ſunt infinitæ, ac proindè nequeunt attingi ab intellectu creato. Tùm quia, ſi omnia viderentur, comprehenderetur Eſſentia Diuina, quod eſt impoſſibile, vt infrà oſtendetur: ergo &c. Reſp. diſt. mai. Attributa ſecundum eorum abſolutam entitatem nequeunt videri, neg. mai. ſecundum reſpectum, & habitudinem, quam habent ad creaturas conc. non enim eſt neceſſe ad viſionem beatificam Attributorum, vt videantur ſecundum rationes ſecundarias, puta reſpectus ad creaturas.

Arg. 3. Si Beati vident Perſonas, & Attributa diuina, vel illa vident tamquam obiectum primarium, vel tanquam obiectum ſecundarium: ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. prob. min. non primum, quia eſſentiale eſt obiectum primarium, non ſecundum, alioquin non viderentur in ſe ipſis. Reſp. perſonalitates, & Attributa videri tanquam obiectum primarium, non quidem motiuum, ſed terminatiuum; nàm Eſſentia Diuina primò mouet ad ſui cognitionem, & eorum, quæ in ea ſunt formalitèr, ac proinde talis viſio, non ſolùm ad ipſam Eſſentiam, ſed etiam ad omnia, quæ ſunt formaliter in ea terminatur quidem immediatè; & ſi primariò ad Deitatem, & ſecun-

dariò ad Attributa. Contrà. Decreta Dei libera ſunt formalitèr in Eſſentia Diuina: ſed illa non videntur à Beatis, ergo &c. Reſp. diſting. mai. Decreta Dei ſecundum intrinſecam rationem, vt ſunt actus Diuinæ voluntatis, conc. ſub quauis habitudine, & terminatione nego. Etenìm vt infrà dicemus non oportet tantam cognitionem tribuere Beatis, quæ nec Chriſto quidem, vt homini fuit conceſſa.

Dices. Nequit à Beato videri Omnipotentia, ſiuè etiam Decretum Dei, niſi videatur ſaltem reſpectus tranſcendentalis ad terminos: ſed conſequens non conceditur, ergo nec antecedens. Reſp. dato, & etiam conceſſo, quod Beatus videat intrinſecam relationem tranſcendentalem ad obiecta etiam creata, non ſequitur idcircò concedendum eſſe, Beatos videre omnia obiecta creata, ſed ſufficit, vt videat iſtas totas perfectiones ſub habitudine ad terminum in communi ſpectatum v.g. potentia ad omne poſſibile, ſcientia ad omne intelligibile, decretum ad omne factibile.

Arg. contra 2. conc. probando non poſſe Eſſentiam Diuinam videri ſine Perſonis. Eſſentia Diuina nequit beatificè videri, quin videatur eius infinitas; ſed ex infinitate Eſſentiæ colligitur, quod ſit trina in Perſonis, ergo neceſſariò videntur Perſonæ. Reſp. ex Scoto in 1. d. 3. q. 9. conc. mai. & neg. min. & ratio eſt, quia, ſicùt quidditas creata poteſt diſtinctè concipi abſque eo quod cognoſcatur in quibus ſuppoſitis ſit: ità poteſt cognoſci Eſſentia Diuina, & omnis eius abſolutus modus abſque relationibus: licet enim Eſſentia communicabilis concipiatur à nobis vt relatiua; de facto tamen à parte rei nullum dicit reſpectum ad Attributa, aut ad relationes perſonales, quæ ab ipſa pullulant, ſicut nec quidditates creatæ referuntur ad proprias paſſiones.

Arg. 2. authoritate Sac. Scripturæ. Ioann. cap. 14. Philippo roganti: *Domine, oſtende nobis Patrem*. Reſpondit Dominus. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*: ergo nequit videri Eſſentia Diuina ſinè Perſonis, neque vna Perſona ſine alia, & hoc ex principio intrinſeco naſcitur, ideſt ab identitate, & vnitate eiuſdem naturæ. Confirmatur hoc vltimum conſequens; Nàm ſi Infidelis negaret tres

Perſo-

Perſonas neceſſariò videri à Beatis, non poſſet alio principio conuinci, niſi ob identitatem eiuſdem naturæ: ergo ex vnitate, & identitate naturæ diuinæ neceſſariò infertur vnam Perſonam ſine alia videri non poſſe.

Reſp. ex Scoto in 4. d. 49. q. 4. & in Report. eadem d. q. 2. illam Scripturam non intelligi de viſione beata, ſed de viſione per fidem, vt ex contextu ſequenti conſtat. *Non credis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre?* Cęterùm aliqui Patres, vt Chryſoſt. Tertull. Cyrill. intelligunt petitionem fuiſſe de viſione corporali.

Ad Confirmationem dicimus, quod Infidelis conuinci poſſet, vnam Perſonam non poſſe videri ſine alia, quia ità de lege ordinaria ſe habet viſio beatifica, ſecùs autem de potentia abſoluta.

Arg. 3. authorit. SS. PP. ex D. Aug. in enarrat. in pſal. 85. *Patris, & Filij non poteſt ſeparari viſio vbi non ſeparatur natura, & ſubſtantia* ex D. Nazianz. orat. 49. *Pater nequit videri ſine Filio, quia vnitate ſubſtantia, & Maieſtate Diuinitatis vnum ſunt*: ergo impoſſibile eſt Eſſentiam ſine Perſonis, & vnam Perſonam ſine alia videri. Reſp. 1. Patres loqutos fuiſſe ſecundum potentiam ordinariam, & de facto, vt Beati vident, non verè de poſſibili. Reſp. 2. Loqui de viſione diu iſiua, ideòque dicunt (ſine filio) Nazianz. & Auguſt. (non poteſt ſeparari) non autem de viſione præciſiua intuitiua, vt eſſet in propoſito.

Arg. 4. ratione. Cognitio beatifica eſt diſtincta: ſed Viſio Eſſentiæ ſine Perſonis eſt confuſa: ergo dari non poteſt: prob. min. Quod communicatur pluribus, non poteſt niſi confusè cognoſci, ſi non cognoſcantur illa, quibus communicatur, ſed Eſſentia Diuina communicatur Perſonis: ergo viſio Eſſentiæ ſine Perſonis eſt confuſa; ac proinde dari non poteſt. Reſp. conc. mai. & neg. min. ad prob. diſting. mai. Si illud, quod communicatur multis non habeat exiſtentiam perfectam, & completam ſine illis conc. ſi habeat nego; Eſſentia namque Diuina habet eſſe exiſtens, & ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta abſque Perſonis, ac proindè eſt ens infinitum completum, & diſtinctè cognoſcibilis.

Contrà. Si Beatus videret tantum Eſſentiam, in tali caſu eſſet ne Beatus, vel non? ſed neutrum eſt dicendum, ergo &c.

go &c. min. pat. quia ſola Eſſentia non quietaret Beatum, poſſet enim deſiderare viſionem Attributorum, & Perſonarum. Reſp. Beatum fore perfectè Beatum, & perfectè quietaretur in ſola Diuina Eſſentia, quia Deus vt ſic eſt ens infinitè perfectum, ſecùs autem ſi vel Attributa tantùm, vel perſonales relationes ſolas videret, vel ſimùl cum Attributis, non viſa Eſſentia Diuina, cum neque Attributa ſint infinita in genere entis, neque perſonalitates ſint infinitè perfectæ in noſtra ſententia. Immò & ſi admittamus relationes eſse infinitas, tamen non eſsent obiectum beatificum, quia non ſunt infinita in genere entis.

Arg. 5. Non poſse videri vnam Perſonam ſine alia. Relatiua ex Ariſt. ſunt ſimul natura, & cognitione, ergo impoſſibile eſt cognoſci Patrem abſque eo quod intelligatur Filius, vt correlatiuus Patris. Reſp. diſt. conſ. Non poteſt cognoſci Pater, quin cognoſcatur Filius cognitione intuitiua, nego: cognitione abſtractiua conc. Nàm poſſum cognoſcere in creatis Patrem Romę exiſtentem abſq; eo quod cognoſcam filium Piſauri morantem.

Arg. 6. Non poteſt vna Perſona ſe manifeſtare ſine alia, quia actiones ad extrà ſunt indiuiſæ, ſed viſio beatifica eſt manifeſtatio ad extrà, ergo &c. Reſp. diſt. mai. Actiuè conc. terminatiuè nego. Manifeſtatio enim poteſt ſumi actiuè, paſſiuè, & terminatiuè. Quare actiuè omnes tres Perſonæ efficerent huiuſmodi manifeſtationem non tamen ad omnes neceſsariò terminatur, vt patet de natura humana vnita Verbo Diuino, efficienter quidem à tota Trinitate, ſed terminatiuè à ſola Verbi perſonalitate.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Beati videant in Verbo creaturas, & quõmodò.

NOt. 1. Quòd triplex cognitio diſtingui poteſt in Beatis. Prima qua Deum, & quæ Dei ſunt formaliter intuentur. Secunda qua creaturas in Eſsentia Diuina, ſeù in Verbo videntur tanquam in obiecto cognito, ſeù ratione cognoſcendi. Vnde obſeruandum, quòd hìc, Verbum non ſumitur pro ſecunda Perſona, ſed pro Eſsentia Diuina, quæ eſt veluti ſpeculum, in quo omnia relucent, & di-

& dicitur Verbum, quia, ſicùt Verbum eſt expreſſiuum,& manifeſtatiuum conceptus mentis; ità Eſsentia Diuina eſt manifeſtatiua omnium, cum etiam in repræſentando ſit infinita. Tertia qua Beati cognoſcunt creaturas in ſe ipſis, ſeù per propriam earum ſpeciem, & repræſentationem. Prima cognitio dici poteſt meridiana, de qua Sponſa in Cant. cap.3. *Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*; vbi Bernardus Sanctus. *Vultus tuus Domine meridies*. Secunda appellatur à D. Auguſt. lib.11. de Ciuitate Dei diurna, vel matutina, eò quod clariùs, & parfectiùs cognoſcantur creaturæ in Eſſentia D. quam in ſe ipſis. Tertia vocatur ab eodem Aug. veſpertina, quia cognitio creaturarum in ſe ipſis eſt obſcura reſpectiuè ad matutinam.

Not.2. Quòd tribus modis dici poteſt cognoſci Creaturas in viſione beatifica Dei: primo modo ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in Eſſentia D. Secundo cauſalitèr quatenùs nimirùm Deus in intellectu Beati producit ſpeciem creaturę, reuelando ei talis creaturę exiſtentiam: non quod intellectus creaturam in Deo formalitèr reprę-ſentatam videat, ſed illam per ſolam ſpeciem, & reuelationem percipiat. Tertio formalitèr, quatenùs eadem viſione, & eodem lumine, quibus Deus ipſe videtur, dicuntur cognoſci.

Not.3. Quod duobus modis intelligi poteſt creaturas formalitèr in Deo cognoſci. Primo quidem, quaſi per vnicum actum, & vnicum principium videantur Deus, & creaturæ ſimùl abſque eo, quod vnum ſit ratio formalis videndi alterum; ſicùt Angelus dicitur ab aliquibus Theologis cognoſcere Petrum, & Paulum per vnicam ſpeciem impreſſam, & tamen Petrus non eſt ipſi ratio formalis videndi Paulum. Secundo quaſi Deus viſus eſſet medium, & ratio formalis motiua ad viſionem creaturæ ob eius dependentiam, quam habet in ipſo Deo, nam poſita continentinentia, & connexione ſimul, Deus erit ratio videndi creaturas, ſicùt proprietates videntur in Eſſentia, & concluſiones in præmiſſis, quæ ſunt medium priùs cognitum his pręnotatis, ſit.

I. Conc. Beati videndo Deum, vident etiam creaturas aliquas ſecundum earum eſſe proprium. Eſt Scoti in 1. d.

1. q.2. & eſt communis inter Theologos. Prob. 1. author. Ioann. c.17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: & Ieſus Chriſtus, non ſolam Diuinitatem includit, ſed etiam humanitatem: ergo pertinet ad vitam æternam aliquid creatum in Deo cognoſcere.

Prob. 2. authoritate Concil. Senonenſ. in decretis fidei cap.13. vbi habetur. *Beatis peruium eſſe vniforme illud Diuinitatis ſpeculum, in quo quicquid eorum intersit, illuceſcit*. Ità contrà Lutherum aſſerentem Sanctos non eſſe inuocandos, eò quia preces noſtras non percipiunt. Hoc idem clarè docent Sancti Patres, quos videre poteſtis apud Doctores modernos.

Prob. ratione. Viſio beata correſpondet meritis fidei, ſed fide multa credimus, quæ ſpectant ad creaturas, ergo Beati videre debent illas creaturas.

Prob. vlteriùs. Conſtat Beatos videre Deum, & creaturas in Deo eminenter contentas; ſed non poſſunt creaturas eminentialitèr videre, niſi videant illas ſecundum proprias rationes: ergo Beati vident creaturas ſecundùm eſſe proprium illarum; non enìm perfectè cognoſcitur continens, ſi paritèr non cognoſcatur contentum in eo.

II. Conc. Creaturæ à Beatis videntur in Deo formalitèr tanquàm in medio priùs cognito. Eſt Scoti loc. cit. & eſt communis inter Theologos contra Nominales, & Vaſq.

Prob. authoritate D. Auguſt. lib. 65. q. q. q. 26. vbi ità habet. *Priùs videtur ipſa creatura in Deo, ſeù in arte, qua facta eſt cognitione matutina. quàm in ſe ipſa cognitione veſpertina*: ſed Verbum, ſeù Eſſentia D. non eſt in arte, quià non fit, ergo cognitio creaturæ in Verbo non eſt tantum cauſalis, aùt virtualis, fed formaliter terminatur ad ipſam creaturam, tanquam ad obiectum ſecundarium, ac proinde creaturæ videntur in Deo tanquàm in medio cognito. Idem D. Auguſt. 13. Confeſs. c.15. ait. *Sancti Angeli vident faciem Dei, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum quid velit voluntas eius*. & D. Bernard. lib. 5. de conſideratione c.1. *Creatura Cœli, ideſt beata videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum*: ergo &c.

Prob. ratione. Deus in ſe ipſo tanquam motiuo, & obiecto cognito cognoſcit creaturas formaliter, vt apertè docet D. Dionyſ. lib. de Diuin. Nomin. c.7. ergo ſimili

modo

modo Beati vident in Deo creaturas; non enim apparet ratio vlla diſparitatis.

Prob. etiam. Si creaturas non poſſent videre Beati in Verbo formaliter, vel hæc impoſſibilitas, & repugnantia peteretur ex parte obiecti, quatenùs Eſſentia Diuina non poſſet illas repræſentare: vel ex parte actus, eò quia non poſſet idem tendere in varia obiecta, nempe in Deum, & creaturam, vel ex parte facultatis potentiæ, quæ non poſſet ſimùl duo obiecta attingere, ſed ex neutra parte repugnat, ergo &c. prob. min. Non ex parte obiecti, quia Eſſentia Diuina, & Omnipotentia habet infinitam vim repræſentandi quamlibet entitatem, & illam de facto repręſentant: ergo poſſunt repræſentare etiam omnem entitatem increatam, & creatam intellectui creato. Neque ex parte actus, quia etiam diſtinctiſſima obiecta poſſunt vnico actu percipi, maximè quandò habent ad inuicem aliquam neceſſariam ſubordinationem, & connexionem. Neque denique ex parte potentiæ; Si enim eodem actu varia obiecta poſſent attingi, & facultas potentiæ poterit in illa obiecta tendere.

Arg. cont. 1. conc. Quod cognoſcitur in alio, non cognoſcitur intuitiuè, nec immediatè, nec per propriam ſpeciem: ergo, aut Creatura non cognoſcitur in Deo, aut non cognoſcitur, vt in ſe eſt. Reſp. neg. ant. quoad 1. partem, videlicet quod cognoſcitur in alio, non cognoſcatur intuitiuè. Nàm ad viſionem intuitiuam ſufficit, vt cognoſcatur obiectum, vel in proprio genere, vel in aliquo eminentiori, in quo nobiliori modo continetur. Vnde, cum creaturæ ita contineantur in Eſſentia Diuina, videntur intuitiuè, non quidem motiuè, ſed terminatiuè, vt docet Scot. in 1. diſt. 1. q. 2.

Contrà. Creatura non habet eſse in Deo ſecundùm eſſe proprium, & formale, quia ſic lapis eſset in Deo, vt in ſe eſt: ergo nec etiam poſſunt videri ſecundùm eſſe proprium. Reſp. diſt. ant. Creaturæ non habent eſſe formalé obiectiuum, nego: non habent eſſe formale reale, vt realiter exiſtunt, conc.

Arg. cont. 2. conc. Inter medium cognoſcendi, & rem cognitam debet eſse neceſsaria connexio, & proportio; ſed talis connexio non reperitur inter Eſsentiam Diui-

nam, & creaturas poſſibiles. Reſp. diſting.mai. Debet eſſe neceſſaria connexio, adeòut exigatur mutua vtriuſque extremi dependentia vnius ab alio, neg.mai. dependentia in vno, & ſuperioritas, & eminentia in altero, conc. mai. talis autem connexio eſt in propoſito.

Arg. 2. Si Beati videndo Eſsentiam Diuinam viderent in ea formaliter aliquas creaturas poſſibiles, tanquam in cauſa, ſeù medio priùs cognito: ergo poſsent videre omnes creaturas poſſibiles, ſed conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Reſp. neg. ſequelam mai. quia Eſſentia D. eſt ſpeculum voluntarium, vt docet Scot. in 3. d. 14. q. 2. ſpeculum quidem in hoc ſolum, quod ſicùt ſpeculum viſum exhibet aliud obiectum, quod repræſentat, & ſic eſt cauſa, cur videatur; ità Diuina Eſsentia, eſt ſpeculum voluntarium, quia non neceſsariò repræſentat, ſed liberè: ac proindè non ſequitur, ſi videatur Eſsentia Diuina, ergo & omnes creaturæ poſſibiles videntur; cum libere oſtendantur creaturæ.

Arg. 3. Ibi non eſt eadem viſio, vbi vna cauſatur ab alia, ſed viſio creaturæ cauſatur à viſione Dei, ergo &c. Vera enim eſt hæc propoſitio cauſalis: Ideò videntur creaturæ, quia videtur Deus. Reſp. neg. min. nempe vnam viſionem cauſari ab alia, cum vna eademque ſit vtriuſque viſio. Eſtò enim creatura videatur vi ipſius Dei viſione, non tamen dici debet videri vi ſui ipſius, quia non eſt ex ſe ratio primaria, & motiua.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Beati videant in Verbo ea omnia, quæ pertinent ad eorum ſtatum.

NOt. Quòd Beatus tripliciter conſiderari poteſt: primò vt eleuatus ad ordinem gratiæ. Secundò vt eſt pars vniuerſi. Tertiò vt eſt talis Perſona in ſpeciali dignitate conſtituta, vt Pontifex, Rex &c. Quare iuxtà hanc triplicem conſiderationem Beatus tria maximè appetit cognoſcere; primò quidem myſteria fidei. Secundò ſpecies, & partes nobiliores vniuerſi, vt Angelos, Cœlos, Elementa, &c. Tertiò illa, quæ ſpectant ad dignitatem, & miniſterium, quo functus eſt.

Conc.

Concl. eſt affirmatiua. Prob. quoad 1. part. author. S. Scripturæ. Apoſt. 1. ad Corinth. c. 13. loquens de myſterijs fidei, inquit. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmatè, tunc autem facie ad faciem*. Vnde D. Auguſt. lib. de diligendo Deo, ait. *Quod hic crediderunt, ibi videbunt*; & ratio eſt manifeſta, quia fidei ſuccedit viſio, ſicut comprehenſio ſpei, & charitati fruitio.

Prob. quoad ſecundam partem, nimirum Beatum cognoſcere nobiliores partes vniuerſi. Status Beatorum eſt longè perfectior ſtatu Innocentiæ; ſed Adamo in ſtatu Innocentiæ fuerunt à Deo infuſæ ſpecies, & ſcientiæ omnes: ergo à fortiori Beati agnoſcunt Vniuerſum, & Vniuerſi partes nobiliores. Tùm quia Scotus, & D. Thomas p.1. q.12. art.8. docent, deſiderium rationalis creaturę eſſe ad ſcienda omnia illa, quæ ad perfectionem intellectus pertinent, & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns Eſſentiam Diuinam.

Prob. quoad 3. partem. Nimirum Beatos ex communi Theologorum conſenſu videre in Verbo quæcunque pertinent ad ſtatum proprium, hoc eſt quę ad ipſos pertinent; vel ratione Perſonæ, aùt dignitatis, officij, vel aliquo alio titulo. Ità docent D. Bonau.4. d.45. p.3. q.2. & 3. Scot. in 4 d.45. q.4. D. Thom. lib.3. contrà Gentes, & paſſim cęteri Scholaſtici; Qui inſuper addunt ad ſtatum ſingulorum Beatorum, ea ſpectare, quæ eorum curæ, & diligentię ſunt commiſſa. Vnde Angelis Cuſtodibus nota ſunt, quæ ad homines ſpectant, quos ſinguli cuſtodiunt, vt ſuum miniſterium perfectè exequi poſſint. Item ad ſtatum cuiuſcunque Beati omnia illa pertinent, quæ, dum talis Beatus erat in via, ſpeciali modo ab ipſo inſtituta fuere, vel eius gubernationi erant ſubiecta. Et exemplum afferri ſolet de Patrefamilias quantum ad ea, quæ deinceps in domo ſua contingunt, nàm ratione talis curæ ſpectat ad ipſum cognoſcere Filios, Conſanguineos, Amicos, & alia huiuſmodi, vt in caſu neceſſitatis à Deo impetrare poſſit, quæ opportuna ſunt pro bono regimine &c.

Quæres 1. An Beati cognoſcant in Eſſentia Diuina Orationes, Vota, & alia id genus.

Reſp. ex Scot. in 4. d. 45. q. 4. D. Bonau. D. Thoma, & ſenten-

ſententia omnium Theologorum (exceptis multis hæreticis) Sanctos noſtras Orationes in Verbo agnoſcere, ideòque pro nobis Deum precari. Prob. ſic à Scoto. Licet non ſit de ratione beatitudinis, vt beatitudinis, quod Beati videant in Deo orationes noſtras; neque quod reuelentur, quia neutrum neceſſariò ſequitur beatitudinem; quia tamen congruum eſt; Beatum eſſe coadiutorem Dei in procurando ſalutem Electi, eo modo, quo ſibi competere poteſt: & ad iſtud requiritur ſibi reuelare orationes noſtras ſpecialiter, quæ ſibi offeruntur, quia illæ ſpecialiter innituntur meritis eius, ideò probabile eſt, quod Deus Beatis reuelet de orationibus ſibi, vel Deo nomine eius oblatis, & hæc eſt veritas catholica, quæ deducitur, præſertim ex diuerſis lyturgijs ab initio Eccleſiæ, & ex perpetua praxi Chriſtifidelium. Hinc manifeſte patet error, & temeritas hæreticorum, & ſignanter Vigilantij, ac Vualdenſium, dicentium Sanctos noſtras orationes non agnoſcere, ac proindè non eſſe à nobis inuocandos, contrà quos oppoſitum definiuit de fide Concil. Trid. ſeſs. 25. in Decreto de Inuocatione Sanctorum &c.

Quæres 2. An Beati videant pęnas damnatorum in Eſſentia Diuina.

Reſp. ex communi ſententia Theologorum Beatos videre in Eſſentia Diuina pœnas Damnatorum, & prob. Luc. 16. vbi narratur, quod Abraham in requie exiſtens vidit Diuitem Damnatum in pœnis, quem locum declarans S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 33. docet *Beatos cognoſcere etiam Damnatorum pœnas*, idemque affirmat Beda cap. cit. Lucæ, cuius viſionis aſſignat hanc rationem. *Vt hinc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt, quod miſericorditèr euaſerunt*, ità etiam Scot. in 4. d. 3. q. 3.

Difficultas adhuc remanet de modo, quo Beati pœnas Damnatorum in Deo agnoſcant. Scot. loc. cit. docet diſtinguendum eſſe de ipſis pœnis, nam aliæ ſunt priuatiuæ, aliæ poſitiuę. Vnde ſi loquamur de pœna damni, quę conſiſtit in carentia viſionis beatificę, vel de culpa, quæ eſt cauſa pœnæ (inquit Doctor) in Diuina Eſſentia hanc non relucere, quia, cum non ſit ens poſitiuum, cuius tantùm eſt Idea in Eſſentia Diuina, non videtur, neque in ſe, neque in alio, ſed per aliud, nempe per poſitiuum, priuatiuum

uum enim cognoſcitur per poſitiuum. Si verò ſit ſermo de pœnis poſitiuis, quales ſunt pœna ignis, remorſus conſcientiæ, triſtitiæ pœnas concomitantes, cum iſta ſint vera entia poſitiua, ac proindè habeant Ideam in Eſſentia Diuina à Beatis videntur in Verbo, quod eſt exemplar omnium rerum. Quommodò autem ſe habeat voluntas Beatorum erga Damnatos: qui in pœnis aſpiciuntur.

Reſp. Scot. loc. cit. Non credo, quod conſolentur abſolutè de pœnis eorum, quia nec Deus Iudex puniens Damnatos abſolutè conſolatur, vt patet per Iſaiam. *Heù conſolabor de Inimicis meis*! ac proinde ſubdit Doctor, Beati nolunt ſimpliciter pœnas Damnatorum, ſed ſolum ſecundum quid, hoc eſt propter Diuinam Iuſtitiam, & ordinationem culpæ ad pęnam. Ex quo infert idem Scot. Beatum nullam triſtitiam habere de pœnis Damnatorum propter illud nolle, & ratio eſt, quia, ſicùt in primo obiecto eorum volito volunt, quod Deus vult, ità volunt illas pœnas, prout Deus vult, ac proinde non eſt eis obiectum nolitionis, ſed volitionis; Triſtitia verò eſt de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt, vt tradit D. Auguſt.

QVÆSTIO X.

Vtrum beata viſio ſit notitia ſimplex directa, vel reflexa.

NOt. 1. Quòd tres ſunt operationes intellectus. Prima eſt ſimplicium appręhenſio. Secunda Compoſitio, & Diuiſio. Tertia eſt diſcurſus, de quibus in Logica agitur. Verùm cognitio iudicatiua, & diſcurſiua in duplicem diuiditur; alia enim eſt formalis, alia virtualis: formalis diſcurſus præſupponit duplicem actum, ſcilicet iudicium, & ſimplicem appræhenſionem; formale autem iudicium præſupponit ſolam appræhenſionem terminorum. Iudicium virtuale eſt vnicus, ac ſimplex actus ęquiualens duobus, quo intellectus ſimùl obiectum appræhendit, & affirmat, vel negat illud eſſe tale: Similiter diſcurſus virtualis eſt vnicus, & ſimplex actus, quo intellectus appræhendit, iudicat, & cognoſcit propoſitionem rectè inferri ex alijs propoſitionibus, & ſic diſcurrit ex Scoto, intellectus Angeli, & Animæ ſeparatæ. Not.

Not.2. Quòd iterum duplex eſt cognitio, altera directa, qua obiectum primò, & per ſe cognoſcitur, altera reflexa, qua intellectus ſuper cognitionem reflectit, & hęc quidem diuiditur in reflexam ſuper potentiam, & in reflexam ſupra actionem. Prior dicitur, qua potentia quælibet vitalis experitur ſe agere, quæ experientia fit, non per alios actus, ſed per eoſdem, quos elicit, alioquin daretur proceſſus in infinitum. Poſterior eſt, qua intellectus reflectit ſupra actionem à ſe elicitam, quæ inſuper duplex diſtingui poteſt, nimirum reflexa formaliter, & reflexa virtualiter.

I. Conc. Viſio beatifica eſt formaliter ſimplex notitia, virtualiter autem iudicatiua, & diſcurſiua. Eſt Scoti in q.3. prologi, & in 3. d.14. q.2. & in 2. d.1. q.5. vbi expreſsè habet Animam beatam in obiecto beatifico non diſcurrere circa illud, & eſt communis. Prob. ratione. Omnis notitia intuitiua, ſiuè corporalis, ſiuè intellectualis eſt ſimplex actus, ergo à fortiori notitia beatifica.

Confirmatur, quia ſi talis viſio non eſſet ſimplex notitia, deberet præſupponere aliam ſimplicem notitiam; hæc autem, vel eſſet intuitiua, & ſic eſſet ipſa, & eadem viſio, vel abſtractiua, & ſic ad talem non poſſet ſequi iudicium, vel diſcurſus, qui ſit viſio, ſeù notitia intuitiua, ergo viſio beatifica eſt ſimplex notitia.

Prob. conc. quoad 2. part. Viſio beata eſt clariſſima, & certiſſima: ſed non eſset huiuſmodi, niſi intellectus Beati iudicaret ſe Deum videre, ergo viſio beatifica virtualiter, ſeù eminenter eſt iudicatiua, & diſcurſiua. Confirmatur. Beatus videndo Deum, iudicat eum eſſe omnipotentem, quia eſt ens infinitum, & omninò independens; ſed talis viſio eſt virtualiter iudicatiua, & diſcurſiua: ergo &c.

Prob.2. Si aliqua eſſet repugnantia, quominùs illa viſio eſſet virtualiter iudicatiua, & diſcurſiua; hæc eſſet, quia repugnaret ſimpliciſſimum actum æquiualere diſtinctis actibus iudicij, & diſcurſus: ſed hoc non repugnat: ergo &c. min. patet, quia Beatus videndo Deum ſcit, & diſcurrit, quid ſit Deus, quid ſit Sapiens, bonus &c. Quod non ſit iniuſtus, quod non ſit defectibilis &c. ergo de facto viſio Beati eſt virtualiter iudicatiua, & diſcurſiua.

Prob.3. Viſio intuitiua primariò terminatur in primo

ſigno

ſigno ad quidditatem Diuinam, vt teſtatur D. Paulus ad Corinth. c. 13. *Videbimus eum facie ad faciem*: ergo in illo ſigno non terminatur ad obiecta ſecundaria; ac proinde, ſicùt Eſsentia eſt radix omnium Attributorum; ità poteſt Beatus ex cognitione Eſſentiæ deuenire in cognitionem Attributorum, & ex cognitione tali progredi ad cognitionem, quod Deus poteſt creare, poteſt anihilare &c.

II. Conc. Viſio beatifica eſt notitia directa, ſeù non formalitèr reflexa, ſed virtualiter tantum. Prima pars patet, quia viſio formaliter reflexa requirit diſtinctionem formalem, cum obiectum immediatum actus formaliter reflexi ſit alius actus.

Prob. 2. pars. Non repugnat viſioni obiecti, quod per eamdem intellectus cognoſcat ſe videre obiectum, vt patet de ſcientia Dei, quia ipſe intuetur ſuam eſſentiam, cum per eamdem cognoſcat ſe per ſuam eſſentiam intueri: ergo ſimiliter non repugnat viſioni obiecti beatifici, quod terminetur ad ſe ipſam in Verbo, ſeù quod intellectus creatus per ipſam cognoſcat ſe videre; immò dicendum, eſſe ſit de facto virtualitèr reflexam; hoc enim nullum inconueniens eſt, & cedit ad maiorem perfectionem, quia ad ſtatum Beati maximè ſpectat cognitio propriæ beatitudinis.

Arg. cont. 1. conc. & præſertim contra ſecundam partem authoritate D. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 41. *Non erunt ibi volubiles cogitationes noſtræ ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, ſed ſcientiam noſtram vnico intuitu videbimus*: ergo viſio Beatorum non eſt notitia diſcurſiua, ſeù ſcientifica. Tùm quia, ſicut Deus vnico, & ſimpliciſſimo actu intuetur Eſſentiam Diuinam, atque omnia in illa contenta, ità etiam Beatus omnia videt vnico intuitu iuxtà illud Pauli. *Tunc ſimiles ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt*, ergo &c.

Reſp. D. Auguſt. loqui de diſcurſu formali, non autem de diſcurſu virtuali, ideoque nihil contrà nos. Ad ſecundum negatur paritas, quia Deus ex infinitate ſui intellectus, ratione cuius, nec à rebus mouetur, nec moueri poteſt, neque plures intellectiones habere, vnico, & ſimpliciſſimo actu intuetur omnia, tum ſimplicia, tum complexa, & ille actus continet quicquid perfectionis reperitur in actibus noſtris diuiſiuis, compoſitiuis, & diſcurſiuis. At Intellectus Beatorum lumine gloriæ non redditur infinitus;

ſinitus; ac proinde mobilis eſt phyſicè à rebus. Itaque inter viſionem infinitam Dei, & finitam Beatorum non ſit comparatio recta; licet enim Beati ſint Deo ſimiles ſimilitudine intentionali per viſionem, non tamen entitatiua.

Arg. 2. Scientia, & diſcurſus ſunt idem, ſed ſcientia ex Ariſt. eſt notitia rei neceſſariæ per cauſam, & Deus nullam habet veritatis cauſam, cum ſit incauſatus: ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Non habet cauſam in eſsendo, conc. cauſam, ſeù principium demonſtrandi aliquam de ipſo proprietatem, nego: ſufficit ergo ex Scoto q. 3. prologi obiectum ſcientiæ habere principia cognoſcendi, vt etiam de ente in metaphyſ. patet: quommodò autem ſe habeat talis notitia, an ſcilicet ſit ſcientia propriè dicta, diſputauimus in quæſtion. proemial. ad quas vos mitto.

Contra. Viſio beatifica eſt altioris ordinis diſcurſu, ergo continet virtualiter quicquid perfectionis reperitur in actibus compoſitiuis, & diſcurſiuis. Reſp. conc. anteced. neg. conſeq. Licèt enim viſio beatifica ſit altioris ordinis, tamen cùm ſit finita, nequit continere quicquid eſt perfectionis in diſcurſu; vti cognitio Dei infinita.

Arg. contra 2. conc. Viſio beatifica non poteſt ſe ipſam videre in Verbo, niſi priuſquàm videatur ſit repræſentabilis in ipſo Verbo: ſed viſio non poteſt ſic ſe haberi: ergo non poteſt eſſe reflexa, nec quidem virtualiter: mai. pat. quia obiectum cognitionis debet eſse priuſquam cognoſcatur, cauſa enim præcedit ſemper effectum. Min. pariter eſt clara. Viſio namque deberet exiſtere priùs ſe ipſa.

Reſp. diſting. mai. Debet eſse priùs, prioritate naturæ, tamquam obiectum primarium, nego: tamquam obiectum ſecundarium, & terminatiuum, conc. Itaque viſio beatifica duplex habet obiectum primarium, & motiuum, quod eſt ipſa Diuina Eſſentia, aliud ſecundarium, & terminatiuum, quales ſunt omnes creaturæ. Vnde, cum viſio beatifica ſit quid creatum, videtur etiam ipſa in Eſſentia Diuina terminatiuè, eſtò non motiuò.

Dices. Si hoc eſset verum, ſequeretur, quod in tali caſu idem eſset obiectum ſui ipſius, quod videtur impoſſibile, cum obiectum, qua ratione obijcitur actui debeat illi præſupponi.

Reſp.

Reſp. neg. ſequelam, hoc eſſe impoſſibile; poteſt enim idem obiectum eſſe obiectum ſui ipſius ſub diuerſa ratione, quia potentia quandoque agit circà ſe ipſam, v.g. intellectus intelligit ſe ipſum, & voluntas vult ſe ipſam. Et ſanè hoc ipſum argumentum ſolui debet ab Aduerſarijs (velint, nolint) quoad ſcientiam ipſius Dei, quæ eſt virtualiter reflexa ſupra ſe ipſam.

Arg. 2. Admiſſa reſponſione, ſequeretur quod viſio eſſet imago, repræſentatio, & ſimilitudo ſui ipſius, quæ omnia diſtinctionem realem important; aliter eſſet relatio realis ad ſeipſum, ergo &c.

Reſp. Viſionem non fore imaginem, neque repræſentationem ſui, neque ad ſe relationem realem habituram; hęc enim omnia important vtique diſtinctionem realem; at poſſunt à cognitione generaliter ſumptà ſeparari, vt patet in cognitione Diuina, qua Deus ſe cognoſcit, & ſimul ſe cognoſcere, cognoſcit.

QVÆSTIO XI.

Vtrum viſiones beatificæ ſint omnes æquales, vel inæquales, & vndè oriatur inæqualitas.

NOt. 1. Quòd viſiones beatificæ dici poſſunt inæquales dupliciter, nempe intenſiuè, & extenſiuè. Primo modo attenditur ſecundùm gradus perfectionis, ità vt vnus Beatus clariùs, & perfectiùs Deum percipiat. Secundo modo attenditur in ordine ad plura obiecta ſecundaria, ad quæ ſe extendit viſio, quatenùs vnus Beatus plura videt, quàm alius; hìc autem eſt quæſtio de inæqualitate intenſiua, non de extenſiua.

Not. 2. Quòd generatìm duplex aſſignatur principium inæqualitatis intenſiuæ in viſione beatifica: vnum quidem morale, ſuntque diuerſa Angelorum, & hominum merita, quibus correſpondet maior, vel minor viſio, & gloria: aliud verò phyſicum, quod reperitur, vel ex parte luminis gloriæ, vel ex parte intellectus perfectioris, aùt minus perfecti. Rurſùs hæc inæqualitas intellectuum attendi poteſt, vel ſecundum gradus ſpecificos, vel ſecundum gradus indiuiduales. Primo modo dici poteſt Ange-

los habere præſtantiorem intellectum, quàm homines. Secundo modo vnus homo dici poteſt præſtantior altero; nam in ſubſtantijs eiuſdem ſpeciei reperiuntur indiuidua perfectiora alijs ſecundum gradus indiuiduales; vt ex phyloſophia habetur.

Not. 3. Quòd circà præſentem quæſt. duplex agitatur controuerſia. Prima eſt hæreticorum aſſerentium nullam eſſe inæqualitatem in viſione beatifica, ſed omnes Beatos eſſe in viſione æquales; cuius erroris primus aſſertor fuit Iouinianus, qui etiam more Stoicorum dicebat, æqualia eſſe omnia peccata, & pariter ex oppoſito æqualia eſſe omnium merita, adeòut in ſententia eius nulla ſit diſtantia inter S. Ioannem, & vltimum Pęnitentem. Altera controuerſia mouetur inter Catholicos Theologos, quorum aliqui cum S. Thoma affirmant inæqualitatem viſionis beatificæ non aliam habere cauſam phyſicam, quam inæqualitatem luminis gloriæ. Alij verò cum Doctore ſubtili aſſerunt hanc inæqualitatem oriri etiam poſſe ex diuerſa intellectus perfectione, vel ſpecifica, vel indiuiduali.

I. Conc. Beatorum viſiones beatificæ non ſunt omnes æquales, ſed multæ inæquales. Hæc eſt de fide contra Iouinianum, cuius hæreſes impugnauit, & extinxit S. Hieronym. libris duobus aduerſus eumdem, & ità expreſsè definiuit Concil. Floren. in literis vnionis. Colligitur etiam ex Trid. ſeſs. 6. can. 32. definiente iuſtificatum mereri etiam gloriæ augumentum.

Prob. ex Sac. Script. 1. ad Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, & cap. 9. *Qui parcè ſeminat parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.*

Prob. ratione. Beatitudo datur, vel vt hæreditas, vel vt Corona, vel vt merces, ergo amplior dari debet illis hæredibus, qui perfectiorem filiationis characterem habuerint, illuſtriorem coronam, & maiorem mercedem ijs, qui plus laborauerunt.

II. Conc. Inæqualitas viſionis beatificæ prouenit phyſicè nedùm ex inæqualitate luminis gloriæ, ſed etiam ex inæquali peefectione, tàm ſpecifica, quàm indiuiduali intellectus Beati. Hæc eſt Scoti in 3. d. 13. q. 3. vbi eſtò de

viſio-

viſione beatifica nullum ſermonem faciat, & ſolum loquatur de fruitione, quam docet commenſurari actiuitati voluntatis, tamen idem dicendum eſt de viſione beatifica commenſuranda naturali actiuitati intellectus, & in 4. d. 50. q. 6. expreſsè tenet inæqualitatem Beatitudinis oriri etiam ex inæquali actiuitate potentiæ.

Prob. Conc. Quandò duę cauſæ partiales concurrunt ad aliquem effectum producendum, ille effectus creſcit in perfectione ſecundum virtutem, & actiuitatem vtriuſque cauſæ, at ad viſionem beatificam, non ſolùm lumen gloriæ, ſed etiam intellectus effectiuè concurrit: ergo, ſicùt perfectior cenſetur eſſe viſio beatifica, ſi perfectius ſit lumen, ità paritèr erit perfectior, ſi præſtantior ſit intellectus: Tam mai. quàm min. conſtant manifeſtè ex dictis.

Reſp. Thomiſtæ; mai. eſſe veram, quandò effectus procedit à cauſis eiuſdem ordinis; ſecùs verò quandò procedit à cauſis diuerſi ordinis. Vnde, cum viſio beatifica ſit ſupernaturalis, procedit à lumine gloriæ, & ab intellectu, quatenùs eſt eleuatus à lumine gloriæ, ac proindè concurſus intellectus eſt à lumine gloriæ, quia per ipſum eleuatur.

Contrà. Intellectus concurrit ad viſionem beatificam ſecundum id quod eleuatur: ſed intellectus perfectior eleuatur ſecundum gradus omnes ſuæ virtutis, & actiuitatis: ergo concurrit ad viſionem ſecundum illam perfectiorem actiuitatem; ac per conſequens perfectior intellectus perfectiorem viſionem elicit. Mai. admittitur ab Aduerſarijs.

Prob. min. Intellectus per lumen gloriæ eleuatur ſecundum id, quod eſt realiter in ſuo eſſe, ſeù ſecundum omnes gradus ſibi à natura ingenitos, ipſi realiter identificatos, ergo perfectior intellectus eleuatur ſecundum ſuam perfectiorem actiuitatem, ac proinde ad maiorem viſionem eliciendam.

Arg. contra 1. conc. authorit. Sac. Scripturæ Matth. 20. Paterfamilias æqualem portionem, ſeù mercedem vitius denarij perſolui iuſſit Vineæ cultoribus iuxta illud. *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares il os nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus*: ergo omnes Beati æqualitèr Deum vident.

Prob. conſeq. Operarij non murmurabant, quia Deus nouiſſimos prætuliſſet, ſed quia illos pares ipſis feciſſet, ergo cum beatitudo cuiuſcunque Beati in ſummo bono poſita ſit, ſequitur quod viſio omnium Beatorum ſit æqualis. Reſp. ex Scot. in 4. d. 46. q. 1. vbi docet in Deo reperiri iuſtitiam, tàm in ordine ad ſe, quàm quod ad Creaturas. Ad ſe quidem, nàm ſibi reddit, quod eſt debitum ſecundùm exigentiam legis, vel principij practici ex parte intellectus, non regulantis, ſed oſtendentis voluntati D. quod tanquàm iuſtum eſt ſibi reddendum, vt altè ſentit Scot. q. 4. prologi. Inſuper datur iuſtitia in ordine ad creaturas, ſoluendo ipſis debitum, non ex neceſſaria exigentia ex parte ipſius creaturæ, ſed ex ipſa voluntate D. cuius bonitas liberaliter in creaturas diffunditur, & hæc iuſtitia diuiditur in commutatiuam, & diſtributiuam in ordine naturæ, & gratiæ. Iuſtitia diſtributiua ſecundum meritorum proportionem Deus confert omnibus Beatis beatitudinem. Itaque pro adæquata ſolutione, & declaratione argumenti tria ſe offerunt in illa parabola expendenda. Primum illius finis, 2. operariorum murmuratio, 3. Patrisfamilias reſponſum. Parabolæ finis non eſt præmium beatitudinis, ſicut docent Nazianz. orat. 40. Chryſoſt. Auguſt. & alij. Murmuratio illa non fuit vera quærimonia, quia in Regno beatitudinis nulla quærimonia habet locum. Patrisfamilias reſponſum beatitudinis inæqualitatem non ſignificat. Quarè quoad primum dicitur Dominum loqutum non fuiſſe de beatitudine, & illam Parabolam non eſſe intelligendam de Prædeſtinatis, & Reprobis. Patrisfamilias reſponſio inſinuat iuxta Diuinæ Prouidentiæ leges, gratiarum, & auxiliorum inæqualitatem, plùs enim lege euangelica gratiæ confertur, quàm antè Chriſti aduentum. Quo fit, vt intenſiùs nouiſſimi promereantur, quàm primi. Vnde benè à Domino dictum eſt. *Amice non facio tibi iniuriam*, & hoc idem deſignat illa murmuratio; conſule Sac. Script. Interpretes.

Arg. 2. In qualibet creatura rationali reperitur naturalis capacitas ad ſummam viſionem Dei, adeòut talis capacitas non ſit maior in vno, quam in alio, ergo in omnibus viſio eſt æqualis, aliòquin fruſtrà eſſet illa capacitas.

Reſp. conc. antec. & neg. conſeq. & ratio eſt, quia merces

ces non confertur ſecundum naturalem capacitatem, ſed meritorum intuitu, ac proinde ſecundum appetitum deliberatiuum.

Contrà. D. Auguſt. in Ioann. homil. 66. tradit, *Quod omnium erit par gaudium*: ergo omnium par viſio.

Reſp. D. Auguſt. loqui, non de gaudio intenſiuè, ſed extenſiuè, ſeù obiectiuè, ſic enim gaudium eſt par in omnibus, quia eadem Eſſentia ab omnibus videtur.

Arg. contra 2. conc. Viſio beata eſt actus ſupernaturalis: ergo ſequitur omninò perfectionem principij ſupernaturalis; ſed principium ſupernaturale eſt lumen: ergo à lumine præcisè deſumitur inæqualitas viſionis. Prob. conſeq. Sicùt aqua calefacta non calefacit, niſi ſecundum menſuram caloris, ità liberum arbitrium, ſeù potentia rationalis non concurrit, niſi ſecundum menſuram gratiæ, vel auxilij, ergo inæqualitas viſionis attenditur totalitèr penes principium ſupernaturale.

Reſp. neg. primam conſeq. Quia vt Scot. docet in 4. d. 50 q. 2. intellectus creatus habet totam actiuitatem in ordine ſuo ad videndum Deum, eſt enim potentia indiuiſibilis, intenſionis incapax cum lumine concurrens, vt cauſa principalis. Et licet viſio ſit ſupernaturalis, non eſt tamen ſupernaturalis ſecundum totam efficientiam eius, adeòut ad illam nulla concurrat cauſa naturalis. Etiam viſio corporalis, & ſi ſit tota vitalis, non minùs proportionatur cauſæ non vitali, ideſt ſpeciei, quam cauſæ vitali, quia æque ab vtraque dependet: ergo etiam de viſione beatifica ſic eſt diſcurrendum. Confirmatur hæc reſponſio exemplo actus ſupernaturalis huius viæ: Stante enim æqualitate principij ſupernaturalis, & habitus, elici poteſt actus perfectior charitatis prò maiori conatu, vt experientia ipſa docet. Ad prob. neg. paritas, quia aqua non habet principium intrinſecum, ſaltem partiale, quo concurrere poſſit ſimùl cum calore extraneo ad calefaciendum; ſecùs autem de intellectu, vt pluries dictum eſt.

Contrà. Intellectus etiam eleuatus non concurrit ex parte ſui ad viſionem beatificam, niſi per potentiam obedientialem à potentia, & actiuitate naturali diſtinctam; ſed hæc potentia obedientialis eſt æqualis in omnibus intellectibus; ergo &c.

Reſp. neg. aſſumptum in mai. Falſum eſt enim intelle-ctum non concurrere ad viſionem beatificam, niſi per potentiam obedientialem, cum ipſe intellectus actiuè ſe habeat per ſuam virtutem naturalem eleuatam. Eſt paritèr falſum potentiam obedientialem intellectus eſſe realiter diſtinctam ab actiuitate naturali, quia eſt ipſa actiuitas naturalis eleuata.

Contrà. Intellectus habet tantùm virtutem incompletam reſpectu viſionis Dei, itàut nullo modo concurreret, niſi eleuatus: ergo non agit, niſi iuxtà principij eleuantis qualitatem &c.

Reſp. neg. conſeq. Eſtò enim intellectus habeat virtutem incompletam, quatenùs ſe ſolo non ſufficit, tamen ex hoc non ſequitur intellectum non concurrere per ſe ipſum, vt à lumine eleuatum. Sicùt enim oculus eſt tantum cauſa incompleta viſionis, adeòut videre non poſſit ſine ſpecie; ex quo tamen non ſequitur oculum Aquilæ cum æquali ſpecie non videre perfectiùs, quàm oculum noctuæ; ita in propoſito.

Arg. 2. Intellectus creatus eleuatur ad viſionem, quatenùs intellectus eſt, & non quatenùs talis intellectus: ergo in præſenti non eſt attendenda æqualitas, vel inæqualitas viſionis ex parte intellectus. Reſp. neg. aſſumptum. Etenim intellectus eleuatur ſecundum totam ſuam potentiam inchoatam, quæ competit ei; etiam ſecundum quod eſt talis intellectus, ideſt perfectior, vel imperfectior.

Arg. 3. Si inæqualitas viſionis deſumeretur etiam à potentia intellectiua, ſequeretur Angelum perfectioris intellectus homine cum æquali tamen merito, & lumine elicere actum, ſeù viſionem perfectiorem, ac per conſequens viſionem, & eius inæqualitatem non correſpondere meritis, ſed hoc eſt contra fidem, nàm pſal. 61. & ad Rom. habetur; ***Quod reddet vnicuique ſecundùm opera ſua***, & in Concil. Florent. ſeſs. vlt. definitur, ***Diuerſitatem graduum beatæ viſionis refundi in diuerſitatem meritorum***; ergo inęqualitas viſionis deſumi non poteſt à potentia inæquali.

Reſp. Duæ reſponſiones à Scotiſtis afferuntur ad ſoluendum argumentum propoſitum. Quidam, vt Tatąret. & Bermingham q. 12. de viſione beatifica, & alij reſpon-

dent

dent diſtinguendo de poſſibili poſſe intellectum perfectiorem cum æquali lumine elicere perfectiorem viſionem ex Scot. in 3. d.13. q.3. & d.14. q.1. quia inæqualitas beatitudinis maximè attendenda eſt ex parte principij actiui; vt monet Scot. in 4. d. 50. q. 5. De facto autem, quia non omnes Beati agunt ſecundum totum ſuum naturalem appetitum, & conatum, non enim beatus habet abſolutè quicquid vult, vt docet Scot. in 3. d.13. q. 2. & in 4. d. 49. ſed quidquid poteſt rectè velle iuxta regulam voluntatis, & Iuſtitiæ Diuinæ; ideòque viſio eſt æqualis, vel inæqualis iuxta exigentiam meritorum, & intellectus perfectior, cum ſubordinetur concurſui obiectiuo Dei, non operatur ſecundum totam ſuam actiuitatem, ſed ad meritorum proportionem: hanc tenet etiam noſter Fonius tom.1. diſp. 9. q.11.

Reſp. alij, quibus non placet allata reſponſio, & præcipui ſunt Smiſing. Herincx p. p. de Viſione beatifica, Fraſſen, & Maſtrius tom. 1. diſp. de viſione beatif. non ſolùm de poſſibili, ſed etiam de facto intellectum Beati perfectiorem elicere viſionem perfectiorem. Neque hoc eſt contrà Concil. Eloren. cum illud loquatur, vt notat Herincx de eo. quod de facto contingit, & de Animabus Beatorum inter ſe comparatis; quorum omnium intellectus ſunt æquè perfecti. Neque eſt contrà Sac. Script. quia ſaluabitur proportio ad merita, eſtò admittatur noſtra Concluſio. Etenìm, quamuis tota viſio ſit merces, & prœmium, non tamen ſub omni reſpectu, ſed quatenùs procedit à Deo prœmiante, qui confert vtrique intellectui perfectiori, & imperfectiori, cauſam ſupernaturalem (ſub qua ratione eſt prœmians) æqualem reſpectu viſionis. Quod autem hæc viſio ſit perfectior, oritur ex naturali perfectione intellectus, quam Deus prœmians, non immutat, ſed perficit, cum gratia, & gloria non deſtruant naturam, ſed perficiant. Hinc inferunt reſponſionem primam ſolido fundamento minimè niti, cum appareat militare contra ordinem rerum, qui exigere videtur, vt quælibet cauſa permittatur agere iuxtà gradum ſuæ actiuitatis; nequè ab ipſa ſubtrahatur ille concurſus, qui eius naturæ debetur iuxtà leges ordinarias.

Adde etiam, quod quantum fieri poteſt, non ſunt ad-

mittenda miracula ſine neceſſitate, quæ quidem neceſſitas non videtur hìc rationabilitèr admittenda, cum abſque ſubtractione, ſeù negatione concurſus ſaluari æquè, & fortaſsè meliùs noſtra Concluſio poſſit. Itaque breuiter reſponderi poteſt, quod non datur primò, & principaliter, & præcisè maior beatitudo ratione potentiæ perfectioris, ſed ex conſequenti, hoc eſt, poſito lumine gloriæ in potentia perfectiori, conſequenter ipſa elicit viſionem perfectiorem: Concil. autem intelligit, non ex conſequenti, ſed primò, & principaliter dari beatitudinem ad meritorum æqualitatem: tùm quia ſi beato omnia cooperantur in bonum, potentia perfectior coarctari non debet, videtur enim talis præſtantia potentię, vt Luſitanus apud Maſtrium in hac quæſt. aduertit num. 202. recenſeri inter prędeſtinationis effectus; ac proindè talis viſio habet rationem, non quidem mercedis, ſed beneficij à Deo nobis collati ex Chriſti meritis. Itaque talis viſio naturæ pręſtantiori correſpondet non vt natura eſt, ſed vt eſt diuinitùs ordinata ad gloriam &c.

QVÆSTIO XII.

Vtrum per viſionem beatificam poſſit Deus comprehendi à Beatis.

NOt. 1. Quòd, quamuis incomprehenſibilitas numeretur inter attributa negatiua Dei, attamen ſpectat etiam ad inuiſibilitatem Dei qui dicitur inuiſibilis intuitiuè, quatenùs naturaliter videri nequit ab intellectu creato, incomprehenſibilis autem, ſeù inuiſibilis comprehenſiuè, quatenùs nequit à creatura, etiam per lumen gloriæ eleuata, videri adæquatè, ſeù quantùm viſibilis eſt. Vndè comprehenſio ſic deſcribi poteſt. Eſt cognitio, qua, non tantum cognoſcitur totum, quod eſt in re cognoſcibile, ſed etiam tam perfectè, quam obiecti cognoſcibilitas exigit. Ex qua deſcriptione patet, quod hìc non ſumitur comprehenſio pro aſſecutione rei, quo ſenſu Beati dicuntur comprehenſores; & 1. ad Corinth. c. 9. dicitur: *Sic currite, vt comprahendatis*; & ad Philipen. c. 3. ſequor autem ſi quo modo comprehendam.

Not.

Not. 2. Quòd ad veram cemprehenſionem duo maximè exiguntur. Primum, vt cognoſcatur totum id, quod in aliqua re eſt cognoſcibile. Secundum, vt cognoſcatur totaliter, & ſecundùm commenſurationem intelligibilitatis obiecti, ſic vt tanta ſit perfectio in intellectiuitate intelligentis, quanta intelligibilitas obiecti, vt loquitur Scotus in 3. d.14. q. 2. ideſt vt tanta ſit cognitionis repræſentatiuas, quanta eſt obiecti repræſentabilltas. Prior comprehenſio dici ſolet extenſiua, quia ſe extendit ad omnes obiecti formalitates, & perfectiones. Poſterior verò appellatur intenſiua, quia intenditur eius perfectio iuxtà perfectionem obiecti. Cęterùm ad comprehenſionem extenſiuam non ſolùm requiritur, vt res aliqua cognoſcatur ſecundùm, omnia ſua prædicata intrinſeca, ſiuè neceſſaria, ſiuè attributalia, ſed vltrò requiritur etiam, vt diſtinctè cognoſcantur omnes termini, quos illa reſpicit, vel quos ipſa terminat, ac proinde cognoſcatur ſecundùm omnem terminationem, & terminabilitatem: & in hoc ſenſu nulla creatura ab intellectu creato ſua naturali virtute comprehendi poteſt.

Concluſ. Deus eſt omninò incomprehenſibilis ab omni creatura, tàm exiſtente, quàm poſſibili. Prob. Conc. authoritate Conciliorum, & præcipuè Concil. Lateran. cap. Damnamus, vbi habetur: *Deus eſt vna quadam ſumma res incomprehenſibilis, & inaffabilis.* Et Concil. Baſilien. in quo ſeſs. 22. damnatur tanquàm erronea in fide hæc propoſitio Auguſtini de Roma. *Anima Chriſti vidit Deum, tàm clarè, & intensè, ſicut Deus ſe ipſum.* Quæ veritas patet in Sac. Scriptura; Nàm Ierem. cap. 33. *Deus dicitur magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* Iob. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem perueniens?* & D. Paul. pluribi docet Dei incomprehenſibilitatem, & præſertìm ad Rom. 11. *O altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!*

Eamdem veritatem docent SS. Patres, qui paſſim à Doctoribus referuntur, ad quos vos breuitatis cauſa remitto.

Prob. Conc. ratione. Incomprehenſibilitas, quoad cognitionem fundatur in entitate infinita Dei; ſicùt in immenſitate incomprehenſibilitas quoad locum, & in æternitate incomprehenſibilitas quoad tempus: ſed nullus in-

tellectus creatus, vel creabilis poteſt comprehendere infinitatem D. Naturæ: ergò Deus eſt incomprehenſibilis, tàm à creatura exiſtente, quàm poſſibili. Vndè meritò tradunt D. Auguſt. ſerm. 38. de tempore. *Attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo eſt, comprehendere autem omninò impoſſibile*, & Beda ſuper illud. Videbimus eum ſicuti eſt, *Promittitur nobis videre Deum, nàm comprehendere concedi non poteſt*.

Adde, quod, etiam ſi cognitio creata eſſet infinitæ virtutis, tamen non foret comprehenſiua Dei; quia vt creata, & dependens non poſſet ità perfectè cognoſcere, ſicùt cognoſcibilis eſt D. Natura: ac proinde eſſet cognitio, non adæquatè commenſurata entitati obiecti, quod eſt ex ſe infinitum.

Prob. 2. contra Alenſ. Ricard. Bonau. & Thomiſt. communiter tenentes viſionem omnium poſſibilium eſſe comprehenſionem, ex Scot. in 1. d. 1. q. 2. Quilibet Beatus de facto videt Eſſentiam Diuinam, & attributa, immò omnia, quæ ſunt formaliter in Deo: ergo viſio omnium poſſibilium non eſt comprehenſio.

Confirmatur. Viſio infiniti ſimpliciter magis accedere videtur ad comprehenſionem Dei, quàm viſio poſſibilium, ſeù infiniti ſecundùm quid: ergo ſi viſio Eſſentiæ, & Attributorum non neceſſariò dicitur comprehenſio, multò minùs viſio poſſibilium. Prob. conſeq. Omnia poſſibilia non adæquant perfectionem intenſiuam vnius Attributi Dei: ſed viſio infinitatis, Sapientiæ non neceſſariò Deum comprehendit, quia non videt Deum intenſiuè; ergo nec videns omnes creaturas poſſibiles.

Arg. 1. contra conc. Incomprehenſibilitas non diſtinguitur ab inuiſibilitate Dei, ſed intellectus creatus lumine illuſtratus poteſt videre Deum: ergo & comprehendere. Reſp. diſt. mai. Quoad obiectum, ſeù in re, conc. quoad nos, & ſecundùm diuerſum modum videndi, nego: Non enìm ſequitur ex hac propoſitione Beatus videt Deum, ergo comprehendit Deum; quarè patet, quod non ſunt omninò idem viſio, & comprehenſio, vt dictum eſt in primo notabili.

Arg. 2. ex D. Auguſt. *Res tunc comprehenditur*, inquit, *quandò ſic videtur, vt nihil eius lateat videntem*: ſed Deus à

Bea-

Beatis totus videtur, cum ſit ſimpliciſſima, & indiuiſibilis ſubſtantia; ergo totus comprehenditur.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Deus videtur à Beatis totus, & totaliter, nego: totus inadæquatè, & iuxtà eorum capacitatem conc. non enim à Beatis videtur Deus, quantùm viſibilis eſt, quod ad comprehenſionem exigitur.

Contrà. Qui videt Deum, & omnia, quæ ſunt in Deo, etiam poſſibilia, videt totum, & totalitèr, ſed Beati ità ſe habent: ergo Deum comprehendunt. Vnde D. Auguſt. 13. de Ciuit. Dei. *Tunc res cognoſcitur totalitèr, cum ſcientis cognitione finitur*: finitur autem, quandò agnoſcitur quicquid formaliter, & virtualiter in ea ſunt, ac proindè Beatus videns omnia etiam poſſibilia in Deo, Deum comprehendit.

Reſp. tranſeat mai. & neg. min. Quià comprehenſio intenſiua non conſiſtit in cognitione omnium poſſibilium, ſed bene comprehenſio extenſiua. Vnde dato etiam, quod Beatus videret omnia poſſibilia; ex hoc tamen non ſequitur, quod Deum comprehendat. Itaque ſi Beatus comprehenderet Eſſentiam D. quantum cognoſcibilis eſt, tunc ſequeretur Beatum comprehendere Deum torum, & totaliter.

Arg. 2. Ad comprehenſionem non requiritur, quod viſio in genere entis ſit æquè infinita, & perfecta, ac viſio increata Dei, vel ipſa Eſſentia D. ergo viſio adæquata omnium finitorum eſt Dei comprehenſio. Prob. antec. Ad comprehenſionem ſubſtantiæ hominis non requiritur, actum, quo comprehenditur, eſſe ſubſtantiam, vel æqualis perfectionis cum ſubſtantia: ergo pariter ad comprehenſionem Dei non exigitur actus infinitus, & æqualis perfectionis cum Deo.

Reſp. neg. aſſumptum primi ant. quia ad comprehenſionem requiritur, actum adæquari obiecto ſimpliciter in infinita repræſentatione, cum ad hoc vt Deus comprehendatur, opus ſit, vt videatur modo infinito, & illimitato iuxtà eius infinitam perfectionem; ac proindè comprehenſio infiniti debet eſſe infinita.

Ad ant. probat. dicitur viſionem commenſurari ſubſtantiæ hominis in finita repræſentatione, quæ quidem repræſentatio habetur abſque eo quod viſio adæquetur obiecto in

ĉto in entitate, & hoc ratione entitatis finitæ. Vel dic, quod creatura ab intellectu creato nequit comprehendi.

Arg. 3. Videns infinitatem Dei intenſiuam, Deum comprehendit, ergo & videns infinitatem Dei extenſiuam: Anteced. patet, quia tunc nil latet. Conſeq. prob. Cognito obiecto adæquato D. Omnipotentiæ, comprehenditur omnipotentia; ſicùt cognita omnipotentia, non poſſunt non comprehendi creaturæ, quia non minorem habitudinem dicunt creaturæ ad Deum, quam Creator ad creaturas, ac proindè cognitis omnibus creaturis poſſibilibus, comprehenditur omnipotentia à Deo indiſtincta.

Reſp. diſt. antec. Videns Dei infinitatem intenſiuam, quantum viſibilis eſt conc. ſecùs neg. antec. quia infinitum nequit comprehendi, niſi actu infinito, qui quidem actus debet eſſe adæquatus obiecto, non in genere entis, ſed in genere ſuo. Quia, ſicùt D. Intellectus formaliter diſtinctus ab Eſſentia D. eſt infinitus, non vt Eſſentia D. ſed in ſuo genere, ità cognitio exigitur infinita in ſuo genere: Intellectus autem creatus ſemper finito modo Deum intelligit. Ad illud, quod pro confirmatione argumenti additur: reſpondetur admiſſo etiam omnia creabilia poſſe comprehendi, ſiuè in ſe, ſiuè in virtute D. Eſſentiæ quoad eſſentiales eorum perfectiones, ex tali comprehenſione ſequitur tantum comprehendi potentiam Dei, vt terminatam ad tales creaturas, non verò comprehendi ſubſtantiam abſolutam Dei, quæ à creaturis eſt independens.

Contrà. Videns vnam creaturam in Deo, videt infinitam virtutem Dei, vt potè talis creaturæ cauſam, ergo videns omnes creaturas, videt Deum ſecundum adæquatam eius virtutem.

Reſp. neg. aſſumptum in anteced. quia nulla creatura continet intelligibilitatem Eſſentiæ Diuinæ, non enim cognoſcit Eſſentiam Diuinam Beatus, quia cognoſcit creaturas, ſed è contrà, quia Beatus videt Eſſentiam Diuinam, quæ eſt primum obiectum: & ratione ipſius videt etiam creaturas, tamquàm obiectum ſecundarium.

Quæres. An incomprehenſibilitas ſit ſoli Deo propria.

Reſp. affirmatiuè, loquendo de incomprehenſibilitate intenſiua, quæ fundatur in infinita entitate, & intelligibilitate Dei. Vnde cognitio, qua Deus cognoſcit creaturam,

ram, non ſolum exhaurit eius intelligibilitatem, ſed etiam infinitè excedit, immò etiam Angelus poteſt comprehendere ſe ipſum, & multò magis Angelum inferiorem, hominem &c. Verùm quoad incomprehenſibilitatem extenſiuam? Reſp. cum diſtinctione. Etenim, ſi cum Smiſing. & alij requiratur vt cognoſcantur, non omnia tantum creaturæ intrinſeca, ſed etiam omnes termini, quos reſpicit, vel quos ipſa terminat, vt de Deo dictum eſt, & proindè cognoſcatur ſecundum omnem terminationem, & terminabilitatem, ſatis conſtat nullam creaturam poſſe ab alia ità comprehendi. Quod ſi minùs requiratur ad comprehenſionem extenſiuam, putant aliqui poſſe creaturam à creatura comprehendi. Et hæc ſufficiant pro complemento diſputationis viſionis beatificæ, ad quam Deus ſua bonitate, & clementia dignetur nos perducere. Amen.

DISPVTATIO V.

De Beatitudine.

CVm viſio beatifica ſit pars, & ſi minùs principalis in noſtra ſententia, completæ beatitudinis, congruum apparet, vt poſt diſputationem de viſione beatifica, agatur de beatitudine, ſeù fruitione beatifica, de qua Sententiarij pertractant in 4. Siquidem ordo doctrinæ, & earumdem materiarum affinitas præſcribere videtur, has duas diſputationes non eſſe ab inuicem ſeparandas, ideoque.

QVÆSTIO I.

Vtrum beatitudo ſita ſit in bono increato, vel creato.

NOt. 1. Quòd beatitudo ex communi omnium conceptu eſt nomen impoſitum ad ſignificandum ſtatum, ſeù modum viuendi, in quo poſſidetur ſummum bonum, ſeù cumulus omnium bonorum: hinc Scot. in 4. d.49. q.1. ex Ariſt. 1. eth. cap. 1. ait, quod beatitudo eſt bonum ſufficiens excludens indigentiam, & imperfectionem, vltimatum excludens tendentiam ad aliud completius bonum; & quo habito ſatiatur habens, & cap. 5. Ariſt. inquit,

Bea-

Beatitudo eſt bonum perfectum abſolutè, quod propter ſe, & nunquam propter aliud ſumitur, & ſe ipſo ſatis eſt: Tale autem bonum perfectum, quod dicitur etiam vltimus finis creaturæ intellectualis, non eſt niſi Deus infinitè perfectus. Verùm duplex diſtingui ſolet beatitudo in genere, alia eſt extrinſeca, & obiectiua, quæ eſt finis cuius ſimpliciter vltimus, & optimus in genere entis; & iſta eſt ipſe Deus, qui eſt obiectum beatificans; alia eſt formalis, & intrinſeca inhærens creaturæ, per quam creatura attingit vltimatè modo ſibi poſſibili obiectum beatificum.

Not.2. Quòd de beatitudine tàm variæ, ac diuerſæ fuerunt veterum Phyloſophorum ſententiæ, vt octo ſupra ducentas, & octoginta enumerauerit Marcus Varro, in quibus omnibus referendis, & improbandis longum tempus conſumere opus eſſet: Quare ſic reſtringi poſſunt. Conſtat enim beatitudinis obiectum eſſe bonum; bonum autem, cum ſit aliud increatum, aliud creatum; idq; ſubdiuidatur in bona fortunæ, hominis, ſeù Animæ, & corporis; hinc quinque opiniones in genere ſubortæ ſunt de hominum beatitudine. Quidam enim Phyloſophi in bonis Animi eam collocabant. Alij vt Voluptuarij in bonis corporis; alij vt Auari in diuitijs: alij vt Ambitioſi, & Politici in dignitatibus, & honoribus; alij deniquè vt Chriſtiani lumine fidei edocti in Dei contemplatione, & amore.

I. Conc. Beatitudo obiectiua hominis in nullo bono creato conſiſtit. Eſt de fide, vt liquidò conſtat ex Sacra Scriptura, quæ pluribi promittit vitam æternam hominibus iuſtis. Prob. Bonum naturale, quod Phyloſophis viſum eſt beatitudinis obiectum, vel eſt quid internum phyſicum Animæ, quales ſunt potentiæ animaſticæ, intellectus, & voluntas, habitus acquiſiti ſcientiarum, & alia id genus: ſed hoc eſt quid inferiùs, & imperfectiùs homine, licet accidentaliter perfici poſſit: ergo nequit in ijs collocari beatitudo. Vel eſt aliquod morale, nempè principatus, dominium &c. ſed omnibus compertum eſt, dignitates, & honores plerumq; moleſtias, & inquietum animum facere, ergo &c. Vel eſt aliquod bonum externum, vt honor, gloria, diuitiæ &c. at neque iſta ſatiare poſſunt hominem; cum ſint homine longè ignobiliora, fluenta, &

tranſi-

tranſitoria iuxtà illud Sap. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Vel eſt hominis bona valetudo, vt robur, pulchritudo, quæ dicuntur bona corporis, vel eſt delectatio aliqua in tactu, guſtu; ſed nulla ratione in prædictis reponenda eſt beatitudo, ſeù fœlicitas. Siquidem fœlicitas non eſt quid commune homini, & Bruto: quemadmodum ſunt fortitudo, pulchritudo, ſanitas corporis, delectationes appetitus ſenſitiui; ac proinde ſenſuum voluptates ſunt fęlicitates beſtiales; Hinc Ariſt. ſolo lumine naturali ductus in 1. lib. ethic. ait. *Frequentantes v[illegible] tates ſunt omninò beſtiales, vitam pecudum eligentes, non enim ſ[illegible]erleuant vitam ſuam ſuper conditionem vitæ beſtiæ*.

Neque conſiſtere poteſt vera beatitudo; vt delirarunt Democritus, & Simonides, in contemplatione ſubcęleſtium, aientes: cum enim ſimus mortales, quæramus mortalia: diuina autem diuinis relinquamus. Nec in ſpeculatione cęleſtium, vt finxit Anaſagoras. Neque in contemplatione ſupercęleſtium, nempe ſubſtantiarum ſeparatarum, ſeù intelligentiarum; tùm quia non ſunt bonum perfectiùs, tùm quia ſpeculatio rerum à materia ſeparatarum eſt prorſùs incerta, ac labilis; teſte ipſo Phyloſopho, qui moriturus, in hæc verba (vt refertur) prorupit. *Gemens natus, dubius vixi ignorans morior, quò vadam neſcio. Ens entium miſerere mei*. Itaque delirium eſt in recenſitis bonis beatitudinem reponere: quod magis patebit in probationibus ſequentis concluſionis.

II. Conc. Beatitudo obiectiua vera, & perfecta hominis in ſolo Deo conſiſtit. Hæc eſt de fide certiſſima; vt manifeſtè traditur à Sac. Script. à Sac. Concilijs, & à SS. Patribus. Prob. Vltimus finis, & primum principium ſibi inuicem correſpondent, ſed Deus eſt primum principium: ergo, & vltimus finis: Vnde Apocal. cap. 1. ſolus Deus dicitur *Alpha, & Omega*. Tum quia ſolus Deus eſt bonum ſummum, & infinitum, quo maius excogitari non poteſt; ac proindè perfectè, & completè ſatiatiuum iuxtà illud pſalm. 16. *Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua*; ergo in ſolo Deo conſiſtit baatitudo obiectiua hominis.

Prob. ratione theologica. In illo ſolo obiecto reponenda eſt beatitudo hominis, in quo reperiuntur omnes perfectiones, & omnia bona, quæ perfectè, & completè ſatiare poſ-

re poſſunt hominis capacitatem; ſed ſolus Deus eſt huiuſmodi; quia ſolus Deus eſt ens infinitè perfectum, continens, vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter omne bonum: ergo ſolus Deus &c. Vnde aiebat D. Auguſt. ſuper verba illa Apoſtoli, *Deus eſt omnia in omnibus. Quicquid hic quærebas, quicquid hic pro magno habebas ipſe tibi erit in Cœlo, cum tibi apparuerit gloria eius.*

Et quidem Deus eſt bonus omnibus modis, quibus bonum excogitari poſſit. Eſt enim bonus, bonitate illa eſſentiali infinities infinita, independens imparticipata. Eſt bonus bonitate principij; quia eſt principium omnis bonitatis creatæ. Eſt bonus bonitate communicationis, teſte D. Iacob. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. Eſt bonus bonitate exemplari, eò quia D. Voluntas eſt regula perfectiſſima omnium noſtrarum operationum iuxtà illud Matt. Eſtote ergo, & vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

Arg. contra 1. conc. & 2. eodem argumento. Bonum increatum eſt improportionatum, & bonum creatum eſt proportionatum creaturæ humanę: ergo bonum creatum, & non increatum eſt obiectum, in quo reponenda eſt hominis beatitudo obiectiua. Reſp. diſting. primam partem ant. bonum increatum eſt improportionatum quoad entitatem conc. in ratione obiecti attingibilis per Animæ potentias, nego ant.

Contrà. Animæ potentiæ ſunt finitæ, & limitatæ, ergo nequeunt attingere obiectum infinitum; quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Reſp. conc. ant. & diſting. conſ. nequeunt attingere modo infinito conc. modo finito nego. Quarè finiti ad infinitum nulla eſt proportio in ratione entitatiua, non verò in ratione obiecti ad potentiam modo finito dumtaxat.

Arg. 2. Deus poteſt ſatiare ſenſum guſtus, e. g. creando aliquem cibum omnem ſaporem includentem in ſummo; ergo pari ratione poſſet creare aliquod obiectum ità perfectum, vt ſatiare poſſet Animam cum ſuis potentijs; ac proinde beatitudo reperiri poteſt in aliquo bono creato: ant. patet per illud de Manna Deſerti, quæ omnem ſaporem habebat.

Reſp.

Reſp. dato antecedente, de quo nolo diſputare; non ſequitur poſſe à Deo creari obiectum, quod ſatiare poſſet complete hominis appetitum, cuius capacitas eſt ad obiectum infinitum.

Quæres. An in hac vita dari poſſit homo beatus ſecundum leges ordinarias naturæ, & gratiæ.

Reſp. Nullus hominum in hac mortali vita poteſt eſſe perfectè beatus, benè tamen imperfectè. Prob. prima pars reſponſionis. Ibi nulla poteſt eſſe perfecta hominis fœlicitas, vbi homo nec perfectè ſatiari, nec miſerijs vacare poteſt; ſed ſic res ſe habet quamdiù hanc mortalem vitam agimus; ergo &c.

Prob. 2. Si aliqua perfecta hominis beatitudo in terris viuentis comparari poſſet, maximè eſſet Dei cognitio, & amor; ſed neutrum poteſt hìc hominem beare; nàm omnis cognitio, quàm hìc habemus de Deo; vel eſt naturalis, vel eſt ſupernaturalis; neutra autem poteſt hominem perfectè ſatiare, cum non coniungant hominem omni modo meliori, & poſſibili obiecto beatifico: ergo &c.

Prob. 2. pars auctoritate D. Aug. qui lib. 11. de Ciuitate Dei appellat beatos illos primos homines innocentes. Prob. ratione. Ille poteſt ſaltem dici imperfectè Beatus, qui ſorte ſua contentus nullis turbatur anxietatibus, nec calamitates, aut præſſuræ, quæ obuiæ ſunt in hac miſera vita, eum à ſua interna quiete deijcere valent, ſed plures homines fuerunt, & ſunt in Dei Eccleſia, qui bonorum omnium fonti firmè adhærentes, neque à rebus proſperis, aut aduerſis concutiuntur, adeòut remoueri poſſint ab amore Dei, & ab honeſto; immò rident, & irrident omnes huius vitæ miſerias; ergo &c.

Quæres 2. An de potentia Dei abſoluta homo in hac mortali vita perfecta beatitudine frui poſſit.

Reſp. Quàmuis hoc quæſitum ex ijs, quæ in ſimili difficultate de viſione beatifica dicta ſunt, reſolui poſſit nihilominus ad vberiorem doctrinam reſpondetur ex Scoto in 4. d. 49. q. 11. affirmatiuè. Ratio, quia nulla apparet repugnantia, neque ex parte Dei, nàm de facto poſt mortem eis beatitudinem completam largitur; tum quia Chriſtus in terris degens fuit verè, & perfectiſſimè beatus: neque ex parte paſſi; nàm talis repugnantia, vel oriretur

ex na-

ex natura paſſi; hoc autem falſum eſt; alioquin nunquam homo beatificari poſſet. Vel oriretur ex parte alicuius formæ, vel conditionis exiſtentis in paſſo, ideſt homine: at hæc ſuperari à Deo non eſt impoſſibile; hæc ſiquidem forma maximè eſſet mortalitas; ſed hæc non habet formalem repugnantiam cum beatitudine; aliàs vniri non poſſet in Chriſto; ergo eſt repugnantia ſolùm virtualis; quia videlicet iſtæ duæ cauſæ beatitudo, & mortalitas natæ ſunt producere effectus diuerſos; ac proindè à Deo ſuperari poteſt per miraculum; ſicùt in Chriſto, in quo beatitudo non habebat effectum immortalitatis; ſic paritèr per Dei potentiam ſuſpendi poteſt beatitudo Animæ, nè redundet in corpus. Itaque eſt tantùm repugnantia, ſeù impoſſibilitas ſecundùm quid, non autem ſimplicitèr.

QVÆSTIO II.

Vtrum omnes homines naturaliter appetant beatitudinem.

NOt. ex Scoto in 4. d. 49. q. 10. Quod duplex eſt appetitus in nobis, nempe, naturalis, & liber; licet autem ſit eadem potentia voluntas naturalis, & libera; tamen aliquid intelligitur addi potentiæ per hoc, quod eſt libera, quia tàm intellectus, quàm voluntas, ac etiam omnis natura naturalem habet appetitum ad actum ſuum: ſed præter hoc voluntas habet velle liberum aliud à velle naturali. Ipſum autem velle naturale non eſt aliquis actus elicitus à voluntate, ſed tantùm naturalis inclinatio ad actum: Si enim eſſet actus elicitus, ille eſſet perpetuus, & continuus, nec lateret nos: nunc autem non experimur in nobis talem actum.

Not. 2. Quòd beatitudo dupliciter apprehendi poteſt, vel in vniuerſali, quommodo apprehendebatur ab antiquis Phyloſophis, videlicèt, vt eſt bonum perfectum, & optimum confusè cognitum, & apprehenſum abſque cognitione diſtincta prædicatorum eius. Vel apprehenditur in particulari, & in re determinata, in qua reperiatur ratio perfectiſſimi boni, vel in eſſe reali, vel in eſſe apparenti, vel in eſſe præſtituto, vt à Phyloſophis apprehendebatur,

debatur, qui tamen, vel in contemplatione Dei, vel in virtute Animi, vel in voluptatibus eam ſitam eſſe putabant, vt ſupra narrauimus.

Conc. Omnes homines apprehenſa beatitudine, ſiue in vniuerſali, ſiue in particulari eam naturaliter appetunt. Eſt Scoti loc. cit. D.Bonau. in 4. d.49. q.1. art:3. D.Thom. ibidem, & videtur communis. Prob.1. auctorit. Boet.3.de conſol. proſa 2. vbi ait. *Mentibus hominum veri boni cupiditas inſerta eſt*; & D. Auguſt. pluribi hoc docet, & ſignanter in Enchiridion cap. 104. *Beati ſic eſſe volumus, vt miſeros nos eſſe velle non poſſimus*; ergo omnes homines naturaliter appetunt beatitudinem.

Prob. ratione ex Scot. in 4. d. 49. q. 2. §. ad primam; Quilibet homo appetit, & vult bonum, & inter bona magis bona, optimum, & ſupremum iuxtà regulam: Sicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis, & maximum ad maximum; ſed tale ſupremum bonum eſt beatitudo; ergo &c. mai. pat. quia eſtò voluntas appetat multa bona propter alia, tamen non procedit in infinitum ſic volendo, ſed, apprenſo aliquo per ſe volibili, in eo ſiſtit; ergo &c. prob. min. Dùm concipitur beatitudo, concipitur vt bonum quoddam infinitum, ſeù vt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo &c.

Prob.2. Quilibet homo appetit, quod eſt vltimatè ſuum perfectiuum ſecundùm modum ſibi poſſibilem illud habendi; ſed huiuſmodi bonum eſt beatitudo, ergo &c.

Arg. 1. cont. conc. Voluntas non poteſt ferri in incognitum; ſed beatitudo non eſt omnibus nota, nàm apud Phyloſophos gentiles, & hodie quoque inter eos, qui in tenebris infidelitatis viuunt, ſunt variæ opiniones de beatitudine: ergo &c.

Reſp. diſting. min. Non eſt nota diſtinctè conc. confuſè nego min. nam omnes homines, vel ex naturæ dictamine, vel ex aliorum dictis apprehendunt aliquem conceptum de beatitudine; ac proinde voluntas non fertur in incognitum. Quod ſi loquamur de appetitu naturali; non opus eſt cognitione.

Arg. 2. Damnati non appetunt beatitudinem; ergo non omnes homines eam appetunt; ant. pat. alioquin appeterent impoſſibile.

Reſp. ex Scoto in 4. cit. q. 10. neg. ant. & licet de facto ſit impoſſibilis Damnatis acquiſitio beatitudinis; tamen abſolutè eſt poſſibilis, ac proindè eam intensè appetunt, & maximè cruciantur, quia non poſſunt ad beatitudinem cognitam peruenire.

Arg. 3. Si omnes homines appetunt beatitudinem; ergo non merentur in appetendo; conſequens eſt falſum, ergo &c. Prob. min. *Nullus meretur in eo, quod vitare non poteſt* ex D. Aug. lib. 3. de lib. arb. ergo ſi naturali neceſſitate omnes appetunt beatitudinem ſequitur, fideles eam appetendo, non mereri.

Reſp. neg. min. & diſting. ant. probationis: quod vitare non poteſt, ſiuè contrariè, ſiuè contradictoriè conc. ant. Si non poſſit vitare ſolùm contrariè neg. Etenim ex Scot. voluntas non poteſt velle miſeriam apprehenſam, vt malum, neque odio habere bonum apprehenſum, vt bonum; poteſt tamen voluntas ſua libertate ſuſpendere omnem actum; ideſt non velle bonum, & non odire miſeriam; in quo conſiſtit libertas contradictionis: at de hac D. Aug. auctoritate alibi redibit ſermo.

QVÆSTIO III.

Vtrum voluntas creata neceſſariò velit, ſeù appetat beatitudinem in particulari apprehenſam; immò an obiectum beatificum clarè viſum voluntas neceſſariò velit.

NOt. Quod nulli dubium eſt, quin Beati Deum videntes neceſſitentur neceſſitate ſpecificationis ad Deum amandum, cum in Deo clarè viſo nulla omninò apparere poſſit ratio mali, ſed ſumma, & infinita bonitas rapiat modo inæffabili voluntatem Beati in Dei amorem; ſed dubium eſt de neceſſitate exercitij, cuius difficultatis reſolutio pendet à modo, quo ſtatuitur, & definitur libertas voluntatis; an videlicet ſit per indifferentiam intrinſecam, & modum connaturalem agendi voluntatis per ſe; an verò radicaliter oriatur ab indifferentia intellectus proponentis obiectum ſub ratione indifferenti boni, & mali; itaùt ſi ſub ratione determinata boni proponatur aufe-

auferat libertatem, ſeù indifferentiam voluntatis ad proſecutionem boni ſic propoſiti. Hunc poſteriorem modum tenent Thomiſtæ; quare conſequenter aſſerunt, voluntatem neceſſitari ad vltimum finem clarè viſum neceſſitate, nedum ſpecificationis, ſed etiam exercitij, ſeù contradictionis, quia viſio clara Dei, & ipſe viſus continet determinatè omnem rationem boni; excluſa quacunque ratione mali; ac proindè indifferentiæ. Doctor autem noſter, priorem modum ſuſtinet, ac proinde exercitium amoris beati eſſe liberum, & contingens ex natura ſua, eſtò ab intrinſeca Dei prouidentia auferente omnia, quæ poſſunt à tanto amore diuertere, habeat, quod ſit huiuſmodi amor in æternum duraturus. Cęterùm, quæ ſpectant ad voluntatem, eiuſque libertatem alibi notata fuere: ideo ſit.

I. Conc. Quàmuis intellectus Viatoris apprehendat, & certò teneat beatitudinem eſſe viſionem, & fruitionem Dei, nihilominùs adhuc voluntas non neceſſariò, ſed liberè eam appetit. Eſt Scoti in 1. d.1.q.4. ʃ.quantum ad iſtos; vbi refert Henricum velle, quod apprehenſo vltimò fine confusè, ſed in particolari poteſt voluntas eo non frui; quàm doctrinam approbat, ſed ſubdit in ʃ. quantum igitur &c. rationes Henrici factas pro prima parte, in qua ſuſtinet, quod ſi intellectus apprehendat beatitudinem, vt ſic, nempè, vt dicit cumulum, ſeù aggregationem bonorum, voluntas eam neceſſariò amat, eſſe contrarias primæ. Si enìm ratio ſua aliquid valet, inquit Scot. oportet neceſſariò dicere, quod ſi de neceſſitate voluntas vult beatitudinem in vniuerſali, quod velit etiam in particulari, cum nulla ſit malitia, nec defectus boni in aliqua illarum, tum quia vniuerſale non includit aliquam bonitatem, quæ non includatur in particulari; immò hoc eſt impoſſibile. Prob. igitur conc. Diſtincta cognitio beatitudinis non neceſſitat voluntatem ad ponendum in eſſe omnia media ad eam aſſequendam; ergo neque neceſſitat ad eam amandam: ant. patet experientia; vnuſquiſque enim in ſe experitur, ſe non adhibere omnia media vtilia, immò nec neceſſaria ad beatitudinis aſſecutionem: conſequens prob. Amans neceſſariò finem, niſi impediatur, ponere debet in eſſe, ſeù applicare omnia media, ad eum comparandum; alioquin non neceſſariò amat; ergo cum ab Amante Via-

tore non applicentur huiuſmodi media, manifeſtum eſt, non neceſſitari, ſed in eius libertate remanere.

Prob. 2. Beatitudo confuſè, & in vniuerſali apprehenſa non appetitur neceſſariò: erg. neq; diſtinctè concepta, & in particulari: ant. pat. prob. conſ. Diſtinctio illa cognitionis obiecti non ponit in Voluntate qualitatem aliquam determinantem eam intrinſecè, ſed ad ſummum eſt conditio quædam obiectiua magis alliciens voluntatem ad ipſum amandum, ergo &c. Prob. 3. Ex dicendis de beatitudine formali, ipſemet actualis amor, & fruitio obiecti beatifici clarè viſi, & amor reflexus beatitudinis illius eſt actus liber ſaltem remotè, licet diuerſo modo, ergo multò magis actus voluntatis Viatoris,

II. Conc. Voluntas non neceſſitatur ab vltimo fine clarè viſo, ſed liberè elicit actum quoad exercitium, eſtò neceſſitetur quoad ſpecificationem. Eſt Scoti in 1. d. 1. q. 4. art. 3. in 4. d. 49. q. 6. eandemque ſupponit in 3. d. 18. de merito Chriſti, & libertate, & vbicunque agit de modo operandi voluntatis creatæ, ſupponens agere liberè eſſe ei differentiam eſſentialem; quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & ſignanter Lychet. Tatar. Bargius, Angles, Ouandus, & alij; cui ſententiæ adhærent etiam Nominales, vt Ocham in 1. d. 1. q. 6. Gabriel, Almainus, & alij.

Prob. conc. ex Scoti doctrina. Neceſſitas non poteſt eſſe niſi per aliquod intrinſecum principio agendi: ſed per hoc, quod intellectus nunc videat obiectum, quod anteà non vidit, nihil fit intrinſecum voluntati, ergo voluntas non neceſſitatur circà obiectum beatificum clarè viſum. mai. prob. Neceſſitas in agendo eſt à principio actiuo; ergo ſi talis neceſſitas eſt ab extrinſeco, actio erit ab extrinſeco, & non à voluntate.

Prob. 2. Si principium elicitiuum non agit neceſſariò, habens tale principium non immutatum, non agit neceſſariò: ſed nihil poteſt poni in voluntate, quod habeat vim immutandi eius libertatem; nàm ſiue ponatur charitas, ſiue lumen gloriæ, ſemper principium intrinſecum libertatis manet in ſuo eſſe; ergo voluntas non neceſſariò, ſed liberè amat obiectum beatificum. min. prob. Charitas in Viatore non tollit, aut diminuit eius libertatem, & indifferentiam; ergo ſi priùs non neceſſitabat, nec poſtea id

operatur; per hoc enim, quod perſeuerat in aliquo priùs confusè cognoſcente, deinde clarè vidente Deum, non mutatur eius natura; ac proinde per nullum habitum, aùt qualitatem ſuperuenientem voluntati immutari poteſt eius principium; quia, vt docet D. Aug. in Enchirid. cap. 104. *Aut voluncas non eſt, aut libera dicenda eſt*

Prob. 3. Principium agendi eſt priùs omni conditione agendi, quia ab intrinſeco eſt tale, ſiue agat, ſiue non: ergo, & modus connaturalis eius agendi, qui oritur ex differentia virtutis, aut principij quò ex 2. phyſ. eſt prior conditione, ſine qua non ageret: ſed voluntas eſt principium; & intellectns oſtendens obiectum eſt conditio ſine qua non ageret; ergo voluntas in actu primo, & in modo ſibi connaturali agendi eſt prior obiecto ab intellectu propoſito; nec à poſteriori aliquid principij liberi participat.

Dicent Aduerſarij. Quod oblectum beatificum, habet tantam vim, vt rapiat voluntarem, ac proinde neceſſariò in tale obiectum tendat.

Contra. Voluntas ad finem vltimum non dicit ordinem agendi determinatè, ſed indifferenter cum libertate; ergo ex eo quod finis vltimus in Patria clarè proponatur ſub eadem ratione vltimi finis, qua terminat eumdem actum in ſpecie, non variat modum agendi voluntatis: conſequentia patet, quia conditio, quæ non variat actionem in ſpecie, non variat modum agendi cauſæ: ergo cum voluntas in via liberè tendat in vltimum finem per fidem obſcurè propoſitum, ſequitur, quod etiam in Patria amet illum indifferenter.

Confirmatur. Etenim libertas eſt perfectio ſimpliciter, quia eſt in Deo formaliter, & per liberum arbitrium ex Tertulliano lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 5. *Conſtituitur homo imago Dei*; ſed neque perfectio ſimpliciter, neque imago deſtruitur in Patria, immò reformatur, & perficitur, ergo liberum arbitrium manet in Patria; & ſi tendat in obiectum beatificum clarè viſum; ac proinde Beatus in Patria, ſpectata eius libertate, poſſet non amare obiectum clarè viſum; & ſic remotè poſſidet ſuam libertatem, licet proximè nequeat ceſſare, Diuina prouidentia ſic ordinante. Itaque neceſſitate exercitij voluntas etiam in Patria nequaquàm tendit in finem vltimum,

Arg. cont. 2. conc. In Patria nihil adeſſe poteſt, quod retrahat voluntatem ab actu amandi, ergo &c. Reſp. cum Emin. Card. Brancato diſting. ant. nihil ex parte obiecti, conc. nihil ex parte potentiæ nego: Adeſſet enim libertas, & motiuum experiendi illam.

Reſp. cum Hiquæo Scoti Commentatore ſuper 4. ſent. quod voluntas poſſet ſuſpendere actum ſuum in exercitio, quantum eſt de ſe, & ſecundùm potentiam phyſicam; non tamen ſecundùm potentiam moralem; quàm ſic explicat idem Hiquæus, vt ſcilicet vtatur ſua libertate ad contradictorium actus; ſicut voluntas e. g. confirmati in gratia, quæ per gratiam efficacem mota, licet habeat potentiam non conſentiendi executioni, tamen infallibiliter conſentiet, & nunquàm vtetur illa potentia.

Arg. 2. Si voluntas ceſſare poſſet ab amore circa finem clarè viſum: vel hoc poſſet ceſſante viſione, vel ea manente; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. min. patet, quia ceſſare à viſione non eſt in poteſtate voluntatis, cum ſemper permaneant eius cauſæ nempe lumen gloriæ, & præſentia obiecti; nec ceſſare à fruitione, quia nemo poteſt velle, ſe non eſſe fœlicem, & nemo diſcedere poteſt à bono, niſi ob aliquam rationem mali.

Reſp. Quod voluntas remotè quantum eſt ex ſua libertate poſſet ceſſare ab amore, & conſequenter imperare intellectui, Deo concurrenti, vt ceſſaret à viſione; in tali enim caſu ſuſpenderet Deus lumen gloriæ, & ſuum beatificum influxum. Vel reſp. quod ſtante viſione adhuc voluntas ſpectata ſecundum rationem principij liberi, & phyſici poſſet ceſſare, ſed non ſecundum potentiam moralem, ſeù proximè.

Quæres 1. An omnia appetantur propter vltimum finem.

Reſp. ex Scoto in 4. d. 49. q. 9. Report. quem ſequuntur communiter Theologi contra quoſdam Thomiſtas. Omnia homo appetitu naturali appetit propter illud, in quo vltimum ſuum finem conſtituit, non verò appetitu elicito; & ſi appetat finem, qui ſecundum rectam rationem talis eſt. Patet de peccante venialiter; qui, & ſi iuſtus, venialiter peccans indubiè non operatur propter Deum; & tantò minùs peccans mortaliter. Patet etiam de Infideli-

delibus, qui præfigentes ſibi pro fine vltimo; vel Deum falſum, vel voluptates &c. non omnia in gratiam Idoli agunt; alioquin omnia opera Infidelium eſſent peccata, quæ eſt propoſitio Baij damnata, vt dicetur in part. 2. tract. de gratia actuali. Immò & ſi ſuppoſita ordinatione hominis in finem vltimum, qui eſt Deus, teneatur homo ſe in talem finem per media concurrentia dirrigere, vt fides, & ratio euidenter oſtendit; & licet ſit etiam homini catholico ſtrictè commendandum, vt omnes ſuas operationes in Deum dirrigat; adhuc tamen non eſt ad id ſtrictè, ſeù in conſcientia obligatus; vt ex communi docet Herincx cont. Gregor. Ariminenſem, & Ianſenium Iprenſem; ratio deducitur euidenter ex damnatione à tribus Pontificibus facta huius propoſitionis Michaelis Baij. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata & virtutes Phyloſophorum ſunt vitia*: Tùm quia nulla apparet turpitudo, immò potiùs apparet honeſtas in eo, quod homo fidelis ſectetur temperantiam, iuſtitiam, & cęteras virtutes morales, & abhorreat vitia virtutibus oppoſita; tùm quia talis obligatio, neque ex lege naruræ, neque ex lege poſitiua diuina rectè inferri poteſt: tum quia non eſſet conſentanea humanæ infirmitati; impletio enìm eſſet moraliter impoſſibilis etiam timoratis, vt ſapienter aduertit Herincx diſp. 1. de beat. q. 4. Neque vrgent verba Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 10. & ad Colloſ. 3. nempè *Omnia facienda in gloriam Dei, ſiue in nomine Chriſti*; quia non præceptum, ſed conſilium continent.

Quæres 2. An appetitus hominis ad beatitudinem ſit naturalis, vel ſupernaturalis.

Reſp. ex Scot. q. 1. prologi, & in 4. diſt. 49. q. 10. quem præter ſuos ſequuntur quamplures Recentiores; quod appetitus beatitudinis innatus etiam in particulari dicendus eſt potiùs naturalis, quàm obedientialis, vel ſupernaturalis: Appetitus verò elicitus poteſt eſſe naturalis, & ſupernaturalis. Ratio primæ partis reſponſionis. Appetitus ſiquidem innatus beatitudinis ſupernaturalis coincidit cum capacitate illius, ſeù perfectibilitate hominis per illam: hæc autem capacitas eſt naturalis hominis naturæ, ergo &c. ſecunda pars ſimiliter eſt manifeſta; nàm deſiderium efficax, quo fideles gratia Dei adiuuante eli-

ciunt, eſt actus ſupernaturalis ſpei theologicæ. Quod autem poſſit eſſe naturalis conſtat in hæreticis habentibus huiuſmodi actus erga beatitudinem, qui cum ſint iniuſti, nequeunt actus ſupernaturales elicere.

QVÆSTIO IV.

Vtrum beatitudo formalis conſiſtat in increata viſione, & fruitione Dei hominibus communicata.

NOt. Quòd beatitudo formalis, vt ſupra indicauimus eſt poſſeſſio ſummi boni; vel vt clariùs loquamur, eſt operatio vitalis intellectus, & voluntatis, qua modo inæffabili Anima, ſeù Angelus vnitur obiecto beatifico, eoque fruitur, quam deſcriptionem non admitterent, qui opinati ſunt, beatitudinem formalem conſiſtere in increata viſione; & fruitione Dei hominibus communicata; tales fuerunt nonnulli Doctores Pariſenſes, teſte Gregorio Ariminenſi, relato ab Herincx, & quidam alij putarunt, id ſaltem eſſe poſſibile. Immò de Chriſto hoc docuit Hugo de S. Victore tom. 3. opuſc. de ſapientia Animæ Chriſti; nempe communicatam fuiſſe Animæ eius ſapientiam increatam. Quæ quidem opiniones notantur a Doctoribus temeritatis nota; & ſignantèr Arriaga cenſet, eas eſſe erroneas: ideò ſit.

Conc. Beatitudo noſtra non conſiſtit in increata viſione, & fruitione Dei. Eſt communis ſententia Theologorum. Prob. 1. ex Concilio Chalcedon. act. 6. general. vbi contra Monotholitas definitur in Chriſto Domino duplex operatio, altera procedens à verbo, altera procedens à carne in humanitate; & quod impoſſibile eſt, eandem operationem eſſe elicitiuè ab vtraque natura, diuina, & humana, adeòut per eandem dicatur vtraque operari, ergo &c.

Prob. ratione. Beatitudo, prout tradunt SS. Patres eſt vita æterna: ſed vita debet eſſe interna viuenti, & ab eo procedere, aut certè connaturaliter id exigere, quæ non competunt actui increato Dei reſpectu hominis: ergo &c.

Confirmatur. Nàm actus increatus eſt ipſe Deus, at Deus nequit per ſe ipſum ſupplere effectum formalem

actus vitalis, cùm hic debeat eſſe internus viuenti, immò ab eo procedere, ſaltem iuxtà naturalem exigentiam.

Prob. 2. Si beatitudo eſſet quid increatum communicatum creaturæ, eadem ratione poſſent ei communicari potentia, ſapientia, & alia Dei attributa; & ſic creatura eſſet omnipotens, immenſa &c. prout quidam hæretici de humanitate Chriſti finxerunt, dicentes, idcircò eam eſſe vbique; ſed hæc ſunt abſurda, ergo &c.

Arg. 1. auctoritate; & primò Sacræ Scripturæ. Habetur enim pſalm. 35. ſic: *In lumine tuo videbimus lumen*; ideſt tu, qui es lumen, videbimus in lumine, ideſt in te ipſo, & in tua viſione. Matt 25. dicitur. *Intra in gadium Domini tui*, & ad Corint, 2. c. 13. *Transformandi dicimur à claritate in claritatem à Domini Spiritu*: quo ſenſu videtur docere D. Aug. 1. de Trin. c. vlt. eandem viſionem, & beatitudinem ſecundum quam Deus apparet mundis corde, & paulò infrà hanc viſionem appellat ſummum bonum.

Reſp. allegatas auctoritates nil fauere Aduerſarijs: Non quidem prima, quia à Theologis paſſim explicatur de lumine gloriæ quo Beati vident Deum. Neque 2. nàm intelligitur de gaudio Dei obiectiuè, non verò formaliter, denique Apoſt. loquitur de transformatione, & tranſmutatione à ſtatu fidei, quæ per Apoſt. Petrum eſt lucerna lucens in caliginoſo loco in ſtatum clariſſimę viſionis Dei.

Arg. 2. Eſſentia Diuina, vt volunt quamplures Theologi vnitur intellectui Beati inſtar ſpeciei intelligibilis, ergo pari ratione actus increatus poteſt vniri, vt ſuppleat vices actus creati. Reſp. neg. conſ. & paritatem; ratio eſt: Siquidem ad priùs nulla requiritur vnio niſi intimæ præſentiæ, ac proindè Eſſentia diuina intimè præſens intellectui creato per ſe cum illo efficit viſionem; ad poſterius autem requireretur, vt potentia creata per actum increatum intelligeret, & vellet, ac per conſequens viueret vita intellectuali increata.

Dices. Eſſentia Diuina non minùs eſt formaliter actus intelligendi, ac ſit obiectum actu intelligibile; ergo ſicut per ſe ipſam poteſt vniri in ratione obiecti, ſeù ſpeciei intelligibilis; ità etiam in aatione actus. Reſp. neg. antec. nàm ſpecies intelligibilis non ponitur, vt informet, ſed vt gerat vices obiecti ſupplendo eius abſentiam, vel efficaci-

tatem

tatem in ratione principij efficientis; ſic pariter vnitur Diuina Eſſentia intellectui creato, ideſt in ratione principij efficientis.

Arg. 2. Sicut Anima formaliter intelligit per actum intelligendi, ita ſubſiſtit per actum ſubſiſtendi, ſed Verbum Diuinum, quia eſt formalis ſubſiſtentia, poteſt per ſe ipſum vniri, & ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ, vt patet in Anima Chriſti, ergo &c. Reſp. neg. aſſumptum, quia ſubſiſtentia non conſiſtit in actione, ſeu operatione, ſicut intelligere, neque eſt vera forma, ſed terminus naturæ humanæ.

QVÆSTIO V.

Vtrum beatitudo formalis conſiſtat in illapſu Dei in Beatum.

NOt. 1. Quod illapſus apud Theologos nil aliud eſt, quàm intima præſentia alicuius ſubſiſtentis alteri ſuſiſtenti cum ſuperioritate, & prædominio, ſeù operatione in ipſum; docet namque D. Bonau. in 2. d. 8. q. 2., quod illabi alicui eſt eſſe intimè præſens, & in illo dominari, & operari, & hoc eſt ſolius Dei reſpectu Animæ; Demones autem poſſunt illabi corporibus, ſed non Animæ, & conſonat D. Aug. lib. de Eccleſ. dogm. cap. 83. Illapſus autem Dei in creaturas triplex aſſignari poteſt, nempè naturalis, ſeù communis, hypoſtaticus, & beatificus: per naturalem eſt intimè præſens omnibus ratione ſuæ immenſitatis; per hypoſtaticum eſt intimè præſens humanitati Chriſti perſonaliter eam terminando; per beatificum denique fit obiectiuè præſens intellectui Beatorum, & voluntati; qui eum vident, & poſſident; Cęterùm in quolibet illapſu ex dictis adeſt, nedùm intima præſentia, ſed aliqua Dei operatio ſpecialis, qualis in primo eſt influxus conſeruationis; ſuſtentationis in ſecundo, & efficientiæ viſionis, & fruitionis in tertio: licet ergo hic illapſus ſit neceſſarius, non tamen in eo conſiſtere poteſt formalis beatitudo, ſed tantum ſupponitur.

Not. 2. Quod Henricus à Gandauo quol. 13. q. 2. ſingularem ſententiam tenuit; quam ſic refert Scot. in 4. d. 49. q. 1. Report. Hic eſt vna opinio, quæ ponit; quod beatitudo

tudo vno modo eſt in eſſentia Animæ beatæ, & alio modo eſt in potentijs eius; ità quod in eſſentia eſt principaliter, & in potentijs minùs principaliter; quatenùs, vt aduertit Scholiaſtes ex Animæ eſſentia beatitudo redundat in eius potentias. Modus iſtius poſitionis ad hoc deducitur ex Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. c.7. qui dicit, *Quod amor eſt vis vnitiua, & tranſit in amatum per circumminceſſionem*, quia non poteſt eſſe per illapſum obiecti creati, ſed increati; & ſic eſt deiformis in ipſo illapſu, & formatur ad hoc talis ratio. Illud principaliùs beatificari poteſt, quod principaliùs perficitur obiecto, quod eſt eſſentialitèr beatitudo; ſed eſſentia animæ principaliùs perficitur obiecto beatifico, quia per eſſentiam, & per illapſum; ergo eſſentia principaliùs beatificatur, quàm potentia, & per conſequens beatitudo erit in aliquo actu primo, qui reſpicit illapſum, & non ſecundùm potentiam, niſi terminatiuè tantum, ſ. in quantum terminatur ad obiectum per operationem ſuam, & ſic minùs principaliter beatitudo erit in operatione. Sed hanc opinionem non capio, inquit Scotus. Quæro à te de illapſu illo, non enim per ſe eſt ratio habendi Deum, nec per hoc quod Deus ſit præſens Eſſentiæ animæ, quia ſimiliter eſt præſens lapidi, & cuilibet creaturæ. Nec erit, quia Deus ſe habeat aliter ad eſſentiam nunc, quàm priùs, nec ſicùt nouus illapſus, niſi quia aliqua forma eſt in eſſentia huius, quæ non eſt in eſſentia alterius, qui non eſt beatus; puta in Lucifero, ergo eſſentia beata erit, ſicùt carbo ignis per aliquam formam ſibi datam, non autem obiectum ipſum. Iſta autem forma, quę illabitur non poteſt eſſe immediata beatitudo eius, quia tunc illa forma, quæ illabitur, eſſet formalis beatitudo eius, quod eſt falſum, quia beatitudo eſt immediata coniunctio obiecto beatifico, ſed per formam iſtam cum non ſit operatio, ſed quidam actus primus non poteſt eſſentia habere obiectum beatificum, ergo per illam formam non eſt formaliter beatus. Item. Illapſus prior eſt ſecundum naturam, quàm operatio potentiarum, quia illapſus eſt priùs in eſſentia, & ſecundò in potentijs ſequitur operatio, ergo ſine aliqua contradictione primus actus, ideſt, illapſus poteſt ſeparari à ſecundo, qui eſt operatio; & ſic Michael beatus erit ſicut dormiens, non ſicut operans. Alias rationes affert

Scot.

Scot. contra Herincum, ſed quia breuitati ſtudeo, eas ommitto.

I. Conc. Beatitudo formalis non conſiſtit in illapſu Dei in Beatum, ſeù eſſentiæ diuinæ in eſſentiam Animæ: Hæc conc. licet remaneat probata ex improbatione opinionis Henrici. prob. tamen vlterius. Beatitudo eſt eadem ac vita æterna, ſed hæc non conſiſtit in illapſu Dei ad potentias Animæ, ergo &c. ant. patet ex illo Io. 17, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum; & Matt. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.

Prob. 2. Nulla vnio eſſentiæ D. cum eſſentia Animæ excogitari poteſt, quæ ſit eius formalis beatitudo; immò neque ſi daretur poſſet in illa conſiſtere beatitudo formalis; ergo &c. Prob. Nàm duplex vnio excogitari poteſt Dei ad Animas Beatorum, alia ſubſtantialis, alia accidentalis; ſed neutra intercedit inter Deum, & Animam Beati, non quidem prima, quia ex Anima, & eſſentia D. fieret vna natura compoſita, quod implicat; neque ſecunda, quia reſultaret neceſſariò ex illa vnicum compoſitum accidentale, quod eſt abſurdum. ſecunda pars in antecedente aſſumpta oſtenditur in conc. ſequenti.

II. Conc. Beatitudo formalis conſiſtit in operatione vitali intellectualis naturæ. Eſt Scoti vbi ſupra. D. Thom. d. 49. q. 1. art. 2. & eſt communis. Prob. ex Sac. Scriptura, quæ in pluribus locis tam noui, quàm veteris Teſtamenti deſcribit beatitudinem per aliquam vitalem, vel per plures operationes: ergo &c.

Prob. 2. ex conſtit. 4. Benedicti xij. ſ. 3. incip. Benedictus; vbi definiens Sanctos etiam ante diem Iudicij eſſe beatos; inter alia, tradit, Diuinam eſſentiam clarè, & nudè, & apertè ſe illis oſtendere, quodque ſic videntes eadem D. Eſſentia perfruuntur. Nec non, quod ex tali viſione, & fruitione eorum Animę, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ &c. ergo per operationes &c.

Prob. ratione ex Scoto deſumpta. Quilibet actus primus ordinatur ad attingendum ſuum optimum per operationem, tanquam per medium finem; ſed ſi beatitudo formalis conſiſteret in vnione Dei cum Anima beati, & non in operatione; talis vnio ordinaretur ad operationem aliquam ſupernaturalem; qua attingi poſſet obiectum

beatificum, ergo beatitudo formalis nequit conſiſtere in vnione Eſſentiæ D. cum Eſſentia Animæ, ſed in operatione. Accedunt etiam rationes Ariſt. dicentis lib. 1. Eth. c. 8. fœlicitatem eſſe operationem optimam. Idem docuerunt Gentiles, qui vt ſupra indicauimus, dixerunt, beatitudinem conſiſtere, vel in ſpeculatione, vel in virtute, vel in voluptatibus, quæ omnia per operationes vitales habentur.

Arg. contra 1. conc. Beatitudo eſt ſumma Animæ perfectio, ſed nequit maior perfectio excogitari, quam Dei illapſus per eſſentiam; ergo &c. min. prob. Ideo vnio hypoſtatica inter primaria Dei opera locum habet, quia per eam Deus illabitur humanitati perſonali, ergo &c.

Reſp. diſting. mai. Eſt ſumma perfectio verè perficiens Animam, neg. mai. non perficientis; ſed ſubſiſtentis conc. min. Et quidem in noſtra ſententia vnio hypoſtatica ex ſui natura non beatificat, neque eſt principium actiuum beatitudinis; & ſic patet quid ſit dicendum ad probat.

Arg. 1. Anima eſt origo, & fons potentiarum, ergo, & beatitudinis earum, ſed præciſis potentijs alio modo beari non poteſt, niſi per illapſum, quo Deus ſe in Animam transfundit; ergo. Reſp. neg. primam conſeq. Potentiæ namque ſicùt animæ inſeruiunt ad operandum; ità dùm perfectiſſimè operantur, eorum perfectio in Animam redundat, ac illabitur.

Arg. cont. 2. conc. Beatitudo eſt finis creaturæ, ſed operatio non eſt finis ſubſtantiæ, ſubſtantia enim nobilior eſt quolibet accidente; ergo beatitudo non conſiſtit in operatione. Min. etiam patet, quia finis debet eſſé nobilior eo, quod eſt ad finem, ſicut cauſa equiuoca eius.

Reſp. diſting. mai. Beatitudo obiectiua conc. formalis nego, & diſting. pariter min. operatio non eſt finis cuius conc. non eſt finis quo attingitur finis cuius nego, quod autem additur pro confirmatione minoris verificatur de fine cuius. Vnde operatio dicitur finis ſecundum quid, finis vero obiectiuus ſimpliciter finis.

Arg. 2. Beatitudo creaturæ conſiſtit formaliter in coniunctione ſui vltima ad ſummum bonum, ſed talis coniunctio non eſt operatio, imò eſt relatio, ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. coniunctio pro materiali

riali ſumpta, nempe pro operatione vnitiua, qua attingitur obiectum beatificum, nego, coniunctio pro formali, prout eſt talis reſpectus operationis ad obiectum; & ſic conc. min. quamuis talis reſpectus attingentiæ ſit eſſentialiter idem cum ipſa operatione, in qua conſiſtit beatitudo.

Arg.3. Agens non perficitur operatione, alioquin omne agens mutaretur de imperfecto ad perfectum, quod eſt falſum; tunc enim motus non eſset actus imperfecti, ſed perfecti, & exiſtentis in actu; ſed operatio eſt actio, ergo &c.

Reſp. Scot. neg. mai. & addit, quod agens non eſt perfectiuus ex hoc, quod agit, ſed ex hoc quod producit, ſeù operatur; ad min. ſic reſp. Dico, quod mihi eſt demonſtratio, quod nulla operatio eſt actio de genere actionis; ſed operatio eſt perfectio operantis, & actio de genere qualitatis: ità in Reportatis.

Arg.4. Operatio eſt aliquid abſolutum, ergo ſi beatitudo eſt operatio, poſset Deus facere beatitudinem ſine reſpectu ab obiectum, quod eſt falſum. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia viſio, & fruitio, eſtò ſint formę abſolutæ, tamen habent reſpectus ad obiectum ſibi coeſſentiales, ſine quibus, nec per Dei potentiam eſſe poſſunt.

Arg. 5. Beatitudo eſt perfectio hominis beati; ſed habitus eſt perfectior, quàm operatio, quia ex Phyloſopho bona permanentia, & diuturniora ſunt meliora, ergo beatitudo conſiſtit in habitu, & non operatione. Reſp. ex Scoto conc. mai. & neg. min. abſolutè acceptam; quia, inquit. Doct. omnes conſiderationes Phyloſophi in illo libro intelliguntur cęteris paribus. Ad propoſitum ergo ſubdit, quod actus ità natus eſt durare, ſicut habitus, & ità perpetuus eſt actus beatitudinis: & dato, quod non eſſet perpetuus, non tamen ob id habitus eſſet ſimpliciter nobilior actu, ſed cęteris paribus,

QVÆSTIO VI.

Vtrum operatio beatifica debeat produci ab ipſo Beato, vel effectiuè ſit à Deo, anima Beati paſſiuè ſe habente.

NOt. 1. Quòd pro fundamento, & plena intelligentia præſentis quæſtionis facit doctrina, quæ in lib. de

Anima

Anima traditur de actibus vitalibus: & præſertim illa quæſtio maximè controuerſa: An actus vitales ita à ſua cauſa pendeant, vt nec etiam à Deo poſſint produci abſque potentiæ vitalis concurſu; cuius reſolutio iuxtà doctrinam Scoti; & Scotiſtarum eſt àctus iſtos non ità dependere à potentijs, quin à Deo immediatè poſſint produci, ſiue in potentijs, ſiue in ſe ipſis exiſtentes, & hoc etiam, vt vitales ſunt, ac proindè ſi in potentia ponerentur, reuerà talis potentia denominaretur vitaliter operans: ità Scot. in 1. d. 3. q. 7. & in 3. d. 13. q. 3. & in 4. d. 49. q. 11. & quol. 13. quam doctrinam amplectuntur etiam Nominales, & ex Recentioribus Hurtad. Suarez, Molina, Conimbricenſes, Arriaga, & alij.

Not. 2. Quòd in actu creato vitali quatuor reperiuntur: primum, quod ſit accidens. 2. qualitas. 3. actus. 4. vitalis; ex nullo autem illorum apparet repugnantia, quod nequeat actus vitalis produci independenter à potentia; non quidem ex primo, nec ex ſecundo, quia plura ſunt accidentia, quę à Deo immediatè producuntur, non etiam ex tertio, quia habitus ſunt actus potentiarum, quas informant, & eos Deus producit, non denique ex quarto, quia nutritio, accretio, & generatio, quæ ſunt actus vitales fieri poſſunt à Deo nulla concurrente potentia: non enim productio à Deo facta deſtruit eſſentiam actus vitalis, qui remanet ſemper vltimus actus viuentis, vt viuens eſt, æquè ac ſi à propria potentia produceretur. Siquidem eſſentia actus vitalis poſita eſt in dependentia aptitudinali à potentia vitali, ſeù à viuente, quam dependentiam in tali hypotheſi non minus retineret actus, quàm accidentia Euchariſtica reſpectu ſubiecti; vnde cum non repugnet accidens eſse ſine actuali dependentia, ſeù inhæſione, ità nec repugnat, actum vitalem eſſe ſine vitali actione.

Not. 2. Quod in hac quæſtione ſunt duæ opiniones: prima eſt Nominalium aſſerentium, operationem beatificam produci à ſolo Deo, anima Beati paſſiuè ſe habente; quam opinionem Caiet. exiſtimat eſſe in Concil. Vien. damnatam: quatenùs ibi definitur, beatos indigere lumine gloriæ animam eleuante ad videndum Deum, eoque beatè fruendum; non autem indigent, niſi ad videndum actiuè: At alij vt Vaſquez, Smiſing. apud Herincx, talem cenſu-

tam

ram nimiam eſse arbitrantur, quia ſcopus Clementinæ ſubiungit idem Herincx, eſt ſolum damnare hæreticos, qui dicebant, hominem naturaliter eſſe beatum, nec indigere ſupernaturali Dei influxu ad illum videndum; qui influxus, an ſit totalis, an partialis cauſalitas reſpectu operationis beatificæ: & an ſit actuale, vel habituale, quod actiuitatem potentiæ eleuet, Concilium non curauit. Altera eſt ſententia communiter recepta; docens, operationem beatificam produci debere ab ipſo Beato.

I. Conc. De facto operatio beatifica producitur ab ipſo beato, à lumine gloriæ ex parte intellectus, & à charitate ex parte voluntatis eleuato: Eſt omnium Theologorum. Prob. breuiter. Anima Beati effectiuè concurrere poteſt ad operationem beatificam quantùmuis ſupernaturalem; ergo de facto ita concurrit. Prob. conſ. Gratia, & gloria perficit animæ beatæ potentias, eas eleuando, ad quod naturali virtute nequit peruenire, ergo de facto ita fieri, eſt dicendum; tum quia operatio ipſa, vtpotè vitalis connaturaliter hoc exigit.

Confirmatur. Anima iuſti in hac vita ſuis potentijs eleuatur ad producendos actus ſupernaturales ex Trid. ſeſſ. 6. can. 4. ergo potiori iure talis operatio danda eſt Animæ Beatæ.

II. Conc. De poſſibili poteſt à Deo in Anima Beati produci operatio Beatifica, prout importat actum de genere qualitatis. Hæc in noſtra Schola ex Doctrina in primo notabili tradita debet eſſe communis; quicquid reclament Thomiſtæ, quibus conſentit etiam Caſpenſ. tom. 1. diſp. 3. ſect. 2. de viſione beatifica. Prob. Deus poteſt ſupplere effectiuam cauſalitatem actus vitalis; non enim ab Aduerſarijs negari poteſt, maximè in abſolutis, nec afferri poteſt aliqua ratio, cur implicet, niſi petendo principium; ergo Deus poteſt producere in Anima Beati, ideſt in intellectu actum viſionis in genere entis, & in Voluntate actum fruitionis. Prob. ant. licet actus vitalis inuoluat intrinſecè ordinem aptitudinalem, ſeu reſpectum tranſcendentalem ad principium vitæ; ac proinde poſtulet effectiuè procedere a principio vitali, non tamen ſequitur, quod non poſſit à Deo ſe ſolo produci; cum ſit quædam qualitas nata retinere aptitudinem ad ſuum naturale principium; ſicut

accidens ad ſubiectum, extra ſubiectum poſitum. Adde, quod vitalitas actus dici poteſt ſolumodo denominatiuè, quatenus à potentia vitali accipit eſſe; neque producere actum eſt propriè operari; tunc enim potentia vitaliter operatur, quando medio actu vitali tendit in obiectum, eique vnitur, & illud percipit, & illi intentionaliter copulatur; ideoque in concluſione dicitur prout operatio importat actum de genere entis, ſeu qualitatis; ergo nulla apparet repugnantia, quin Deus poſſit ſe ſolo producere actum; quo mediante potentia vitalis tendat in obiectum, quæ tentio dicitur propriè operatio; vel ſaltem per operationem indicamus id, quod nos latet. Hinc Scot. in Rep. in 4. d. 49. q. 1. in reſponſione ad vltimum argumentum principale; ſic ad rem noſtram loquitur Quod autem beatitudo dicitur coniunctio; iſta prædicatio non eſt formalis, ſed cauſalis. Vnde aliquando dicimus, quod eſt operatio, aliquando, quod beatitudo eſt in operatione, & tamen ſunt ſubſtantiua, & concreta. Vnde beatitudo fortè non eſt niſi habitio, vel ſufficientia vltimati boni.

Arg. 1. cont. 2. conc. Nequit dari operatio vitalis ſine attentione: at ſine operatione potentiæ nulla eſt attentio, ergo &c.

Reſp. diſting. mai. Prout operatio vitalis dicit ſolum actum de genere qualitatis nego; prout importat tendentiam potentiæ in obiectum circa quod operatur, conc. maiorem.

Arg. 2. Intellectio eſt verbum mentis ex Scoto, ſed verbum mentis eſt ſimpliciter eſſentialis habitudo ad potentiam producentem, quia petit naturaliter produci, ergo &c. Reſp. conc. mai & diſting. min. Verbum mentis materialiter ſumptum nego: formaliter ſumptum conc. min. nam primo modo importat entitatem intellectionis: 2. modo dicit relationem producti modo naturali ad producens, quæ eſt ab intellectione ſeparabilis; non enim quælibet intellectio eſt verbum, ac proindè intellectio à Deo cauſata eſſet actio vitalis, non autem Verbum.

Arg. 3. Actus vitalis de ſua ratione eſt actio immanens, ergo petit produci à principio, in quo recipitur.

Reſp. Io: Baſſolius in 2. d. 9. q. 2. §. ad primum iſtorum; negando actum vitalem eſſe actionem immanentem de ſua

ſatione formali; ſed accidere illi, quod eſt produci ab eodem principio, in quo recipitur, vnde diuiſio illa actionis in imanentem, & tranſeuntem eſt per accidentalia, non per eſſentialia: ergo &c.

Arg. 4. Viuens à non viuente diſtinguitur per habere in ſe principium actiuum propriæ perfectionis, ergo ſi actus aduenirer potentiæ omninò ab extrinſeco, nullo modo poſſet per illum operari. Prob. conſeq. Nam illi potentiæ vt ſic nullo modo conuenit ratio viuentis, quæ in principio productiuo fundamentaliter, & in actione actuali formaliter conſiſtit; ergo &c. Reſp. neg. conſ. ad prob. dicimus; concedendo primam partem antecedentis, quæ dici ſolet vita productiua, & phyſica; & neg. ſecundam partem; non enim potentiæ conuenit ratio vitæ ex eo quod actualiter producat; ſed quia poteſt producere; vnde in forma reſpondendo diſting. ant. de vita productiua, & phyſica, conc. de vita operatiua, & intentionali, neg. ant.

QVÆSTIO VII.

Vtrum formalis beatitudo conſiſtat in operatione intellectus, an verò Voluntatis.

NOt. 1. Quod ex dictis in præcedentibus quæſtionibus conſtat beatitudinem conſiſtere in operatione coniungente immediatè optimo; & nihil materiale eſt tale, nec aliqua operatio materialis poteſt coniungere immediatè ſuo optimo. Itaque beatitudo conſiſtit in operatione immateriali; ideſt vel in operatione intellectus, vel voluntatis. Difficile autem eſt definire in qua operatione reuerà conſiſtat beatitudo: An videlicet in actu intellectus tantum, vel voluntatis dumtaxat, vel in actu intellectus, & voluntatis ſimul. Qua de re tres ſententiæ, circa præſentem quæſtionem verſantur. Primum eſt D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 4. & in 4. d. 49. docentis beatitudinem eſſentialiter conſiſtere in actu intellectus, & accidentaliter in actu voluntatis. Secunda ſententia eſt D. Bonau. quem inter alios ſequitur Richard. in 4. d. 49. q. 6. art. 1. qui aſſerunt, beatitudinem per ſe, & eſsentialiter conſiſtere in vtroque actu, nempe intellectus, & voluntatis: quorum fun-

fundamenta afferuntur in parte argumentatiua. Tertia denique eſt Scoti cum ſuis, & nunnullis alijs extra noſtram Scholam, beatitudinem in ſolo actu voluntatis, ideſt fruitione, & amore beatifico, vt in ſequentibus concluſionibus magis patebit, conſiſtere.

I. Conc. Beatitudo formalis non conſiſtit in ſolo actu intellectus. Eſt Scoti loc. cit. qui ſic eam probat. Immediatius vltimo, & optimo eſt magis volendum; ſed velle eſt immediatios optimo, & vltimo, quia immediate tendit in illud vt in finem; ergo non in actu intellectus poteſt beatitudo conſiſtere.

Confirmatur. Illud recta ratione libera eſt magis eligendum, quod actu naturali appetitur, quàm quod non; ſed volitio eſt talis, quia immediatiùs vnitur vltimo, ergo melius: ac proinde appetitu libero eſt rectè appetendum. Tum quia, vt dicit D. Anſel. lib. cur Deus homo cap. 1. *Ordo peruerſus eſt velle propter intelligere; & quod velle eſt propter eligere*, ergo velle habet magis rationem voliti, quàm intelligere; ac per conſequens recta ratione plus debet velle ſuum velle, quam ſuum intelligere; & ſic intelligere debitè ordinatur ad velle.

Prob. 2. In actu illius potentiæ debet poni beatitudo, cuius obiectum eſt nobilius; ſed bonum eſt nobilius vero; ergo in voluntate reponenda eſt beatitudo, & non in intellectu. Tum quia indubium eſt, amorem eſſe actum cognitione præſtantiorem; ſimiliter charitas, quæ præ ceteris virtutibus theologicis eſt nobilior ponitur in voluntate, ergo &c.

II. Conc. Beatitudo non conſiſtit per ſe ſimul in actu intellectus, & voluntatis: eſt Scoti vbi ſuprà. Prob. fœlicitas ex Ariſt. 1. & 10. eth. eſt operatio ſecundùm optimam virtutem; ex qua propoſitione infert Scot. tres rationes. Prima eſt, Impoſſibile eſt plures virtutes optimas eſſe in diuerſis potentijs, ſed beatitudo eſt operatio ſecundùm optimam virtutem: ergo impoſſibile eſt duas tales virtutes, ſiue habitus, ſiue operationes optimas eſſe in diuerſis. 2. operationes, nimirum actus intellectus, & voluntatis differunt ſpecie; ſed impoſſibile eſt duas ſpecies eſſe æquè optimas, ſeù æquales in optimitate: ergo nec beatitudo erit formaliter in vtraque, ſed tantum in vna. 3.

Impoſſibile eſt duas ſpecies eſse æquè proximas primo; quia ſicut illud primum eſt omninò vnum; ita impoſſibile eſt, quod aliquid ſit ſibi propinquum, niſi vnum; ergo aliud non erit ità propinquum illi, nec ſic primum.

III. Conc. Beatitudo formalis extenſiuè ſumpta rectè dicitur, conſiſtere adæquatè in viſionis actu intellectus, & in fruitionis actu voluntatis. Eſt Scoti in 4. ſ. ad quæſtion. & ſequuntur Recentiores paſſim extra noſtram Scholam. Prob. Nam beatitudo formalis extenſiuè ſumpta, hoc eſt, quatenùs ſignificat completam attingentiam, ſeù adæquatam conſecutionem, & poſseſſionem ſummi boni, conſiſtit in perfecta adeptione ipſius Dei ſummi boni modo rationali, & ſpirituali; ſed talis adeptio perfecta neceſse eſt, quod ſit videndo, & fruendo; non enim ſolo intellectu, ſed etiam affectu: ergo rectè dicitur beatitudo formalis complecti adæquatè vtramque operationem.

Confirmatur auctoritate Benedicti xij. qui in extrauag. incipient. *Benedictus Deus*, definiuit, quod viſione, & fruitione Animæ ſint beatæ.

IV. Conc. Beatitudo formalis, prout importat perfectiſſimam ſummi boni poſseſſionem; quæ dici poteſt beatitudo intenſiuè ſumpta conſiſtit ſimpliciter, & præcisè in ſola fruitione, ſeù amore amicitiæ: eſt Scoti, contra D. Thom. Leſſium, Amicum, & alios; & à parte rei concordant D. Bonau. Richard & alij Doctores ſecundæ ſententiæ; quatenùs præcipuas partes in beatitudine tribuunt fruitioni, ſeù amori. Prob. Beatitudo in hoc ſenſu accepta debet eſse operatio optima, qua perfectiſſimè, & vltimatè Beatus coniungitur immediatè bono vltimo: ſed talis operatio eſt fruitio, quia eſt actus voluntatis, quo immediatè inhæret Deo, amando illum propter ſe: ergo &c. min. prob. Siquidem in primis fruitio eſt operatio optima, & perfectiſſima potentiæ perfectiſſimæ, nempe voluntatis; viſio autem non eſt ita perfecta: ergo in fruitione conſiſtit ſimpliciter beatitudo. Deindè fruitio etiam perfectiſſimè, & immediatè vnit Beatum cum Deo, eumque in Deum transformat; viſio autem eſt tantum imago, & ſimilitudo intentionalis obiecti præſentis, quæ ordinatur ad vlteriorem, & vltimatum actum, ideſt ad fruitionem; ergo in fruitione reponenda eſt ſimpliciter beatitudo.

Con-

Confirmatur. Etenim maxima, & maximè ſatiatiua perfectio hominis debet exiſtimari illa, quàm homo ipſe maximè deſiderare debet, & quæ Deus ipſe ab homine maximè deſiderari exigit: ſed talis perfectio eſt amor perfectiſſimus Dei in Patria, ſicut in via amor eſt actus perfectior: ergo &c.

Arg. 1. cont. 1. conc. Io: 17. dicitur. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: ergo &c. Reſp. cum Cyrillo, & alijs Patribus; ibi agi de cognitione per fidem, quæ eſt vita æterna cauſaliter, &c. diſpoſitiuè. Adde quod viſio Dei eſt vita æterna, hoc eſt, quædam pars ſpectans ad perfectionem, & integritatem illius; etſi non magis principalis.

Arg. 2. ex D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. vlt. aiente. *Sola viſio eſt ſummum bonum noſtrum*; & alibi idem docet; ergo &c.

Reſp. D. Aug. tantum velle excludere viſionem humanitatis Chriſti, ideoque dixit ſola viſio. Quod ſi quis contendat D. Aug. expreſsè loqui de viſione, prout contradiſtinguitur à fruitione. Negamus id tantum intendere; ideo namque ſolam viſionem nominat, quia per ipſam diſcernitur viator à Beato, nec excludit fruitionem, ad quam viſio ordinatur, vt ipſe D. Aug. apertè docet, & ſignanter lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 9. ait *Nemo beatus eſt, qui eo, quod amat, non fruitur* Itaque D. Aug. & alij Patres loquuntur cum annexis ſpectantibus ad completam beatitudinem, vt optimè aduertit D. Bonau. in 4. d. 49. art. 1. q. 5. ad 1. dicens: *In Sanctorum verbis per connexionem, quod eſt omnium attribuitur vni*. Simili ratione loquitur Concil. Francfordien.

Arg. 3. ratione. Summa infęlicitas damnati eſt pœna damni; ſed hæc pœna eſt carentia viſionis Dei; ergo ipſa eſt ſumma infęlicitas; & conſequenter viſio Dei eſt ſumma fęlicitas, & beatitudo. Reſp. diſting. min. Pœna damni adequate, aut principaliter neg. min. inadęquate, & minus principaliter, conc. licet enim comuniter pœna damni exprimatur per carentiam viſionis Dei, non tamen rectè infertur in viſione ſola reponendam eſſe beatitudinem: igitur exprimitur pœna damni per carentiam viſionis, quia ſicut hæc eſt primum donum beatificum; & fundamentum aliorum; ſic carentia illius eſt prima miſeria Damnatorum; ſub qua cæteræ pœnæ connexæ intelliguntur.

Arg. 4. Fęlicitas eſt bonum per ſe ſufficiens ex Ariſt. 1. Eth. cap. 10. ſed maxima ſufficientia eſt in intellectu; vnde Io: 14. dixit Philippus. *Domine oſtende nobis Patrem; & ſufficit nobis*. Reſp. Scotus Ariſt. non excludere operationem voluntatis, ſed loqui de actu, & habitu intellectus potiùs, quàm voluntatis, quia eſt nobis magis manifeſtus. Ad illud Io: 14. dicit idem Doctor, quod diſcipuli viderant Ieſum, vt hominem, & non vt Deum, atque ideò ſufficit, inquit Apoſt. nobis, vt oſtendas Patrem, quantùm ad inſtructionem noſtram in fide, quam prædicaſti nobis.

Arg. cont. 2. conc. Beatus eſt, ait D. Aug. lib. 13. de Ciuitate Dei, *Qui habet, quidquid vult*, ſed habere quidquid vult, non eſt per actum voluntatis tantum, ſed etiam per actum intellectus, veluti ſuam perfectionem: erg. &c. min. prob. nam beatus vult videre, & habere, ergo in vtraque operatione beati &c. Reſp. Scot. quod ly quidquid non intelligitur diſtributiuè, ideſt pro ſingulis volibilibus in ſe, ſed prout ſunt in aliquo vno eminenter, & tunc eſt ſenſus. Beatus eſt, qui habet quidquid, vel omnia, quæ vult, ideſt, quidquid eſt rectè volendum eminenter in ipſo ſummo volibili; & ſic eſt habere obiectum beatificum, & obiectum nobiliſſimum. Ad probationem min. dicit idem Doctor; quod illud habere eſt velle, ſed non quodcunque velle, ſed amare reſpectu obiecti beatifici præſentis. Et tunc eſt ſenſus. Beatus eſt, qui habet, quidquid vult, ideſt, qui amat quidquid vult rectè volendum, & nihil mali vult; & ſic rectè Beatus vult videre; vt fruatur, & non è contra.

Arg. 2. Beatitudo conſiſtit in perfecta vnione naturæ beatificabilis ad obiectum beatificum immediatè; ſed iſta perfecta vnio requirit vtramque potentiam, nempè intellectum, & voluntatem, quarum quælibet vniri poteſt immediatè obiecto beatifico, erg. &c. Reſp. Scot. conc. mai. & diſt. min. requirit vtramque adeòut, vtraque ſit æquè ſumma, & optima, neg. quatenus vna vnio, vel immediatio ordinatur ad aliam, conc. min, vna enim eſt vnio, quę eſt prior, ideſt vnio naturæ.

Arg. 3. Per illud competit alicui quieſcere in termino ſecundùm quod competit ei moueri: ſed natura beatificabilis mouetur per vtramque potentiam ad obiectum beati-

tifi-

tificum; ergo &c. Reſp. Scot. diſting. min. Etiam intellectus tendit in obiectum immediatè, & vltimatè, nego, prout tentio intellectus ordinatur ad vnionem ſimpliciter, & vltimatam, conc. Itaque vtraque potentia tendit in obiectum, ſed diuerſo modo.

Arg. cont. 3. conc. Fruitio non diſtinguit Beatum à non beato: ergo beatitudo formaliter non conſiſtit in actu voluntatis, qui dicitur fruitio: ant. prob. Frui eſt amore inhærere alicui propter ſe; vel eſt velle alicui bonum propter ſe; vel eſt velle alicui bonum propter ſe, ſed talis actus competit tàm Beato, quàm non Beato: ergo &c.

Reſp. ex Scoto neg. ant. ad prob. diſt. min. Talis actus eiuſdem ſpeciei competit tàm Beato, quàm non Beato nego min. diuerſæ ſpeciei, conc. min. Nam actus fruitionis in via, & in Patria eſt alterius ſpeciei; & ideo nullus actus fruitionis eſt communis beato, & non beato.

Arg. Omnia inferiora, quæ quietantur, ſuo modo beatificantur, ſiue ſecundùm quid beatificantur in amore concupiſcentiæ &c. quatenùs ſecundùm appetitum quietantur in amando aliquid ſibi, & in delectando in bono præſenti: ſed fruitio non eſt actus huiuſmodi: ergo &c.

Reſp. ex Scoto neg. paritatem, & ratio eſt, quia ſolus appetitus rationalis eſt liber, & ideo ſolus poteſt velle bonum alteri propter ſe, & non propter bonum volentis. Quare concedimus, quod appetitus liber amando ſummum bonum amore concupiſcentiæ eſt beatus ſecundum quid; eſt tamen beatus ſimpliciter per amorem amicitiæ, qui dicitur propriè fruitio.

QVÆSTIO VIII.

Quid propriè ſit fruitio, & vſus, & quommodò inter ſe ordinentur.

NOt. 1. Quòd frui poteſt ſumi dupliciter: vno modo generaliter pro omni actu delectatiuo, quo ſenſu ait D. Aug. quod *Frui eſt vti cum gaudio*: alio modo ſpecialiter, & proprie pro actu delectatiuo, & quietatiuo; & in hoc ſenſu inquit D. Aug. quod *Fruimur cognitis, in quibus voluntas propriè ſe delectata conquieſcit*, hoc autem non poteſt eſſe

 niſi

niſi reſpectu ſummi, & infiniti boni, quod eſt verus,& vltimus finis: quàmuis, vt in ſuperioribus quæſtionibus tactum fuit, poſſit quis per rationem erroneam, vel per malitiam voluntatis quieſcere etiam in obiecto creato. Inſuper frui, ſeù fruitio aliquandò ſumitur abuſiuè tantum, pro quietatione appetitus ſenſitiui iuxta illud D. Aug. lib.8. q.q. *Frui quidem cibo, & qualibet corporali voluptate non abſurdè exiſtimantur, & Beſtiæ; quia videlicet adhærent obiecto delectabili, non referendo illud in finem.* Aliquandò dicitur fruitio propriè,quatenùs eſt actus voluntatis irreferibiliter adhærentis obiecto, & ſe in eo liberè quietantis. Hæc autem fruitio eſt duplex; quædam eſt formaliter infinita, qua nimirum D. voluntas fruitur Eſſentia Diuina; alia eſt finita formaliter; & hæc duplex; alia ordinata,qua voluntas creata fruitur bono infinito; vel perfectè, vel imperfectè; primo modo competit Beatis, ſecundo modo Viatoribus. Alia fruitio eſt inordinata,qua videlicet voluntas peccatoris ſe liberè quietat in bono creato, & commutabili; non quidem in bono, quod ſibi concupiſcit, quia omnis amor concupiſcentiæ præſupponit amorem amicitiæ, ſed magis in ſe ipſo, inordinatè ſe amando.

Not. 2. ex D. Bonau. in p.d.1. quod vſus poteſt accipi quinque modis: primo modo communiſſimè pro naturali operatione, ad quam res ordinatur; & ſic dicitur Cuius vſus eſt bonus, ipſum quoque bonum eſt. 2. minus communiter pro operatione frequenti,prout dicit Victorinus, quod vſus eſt actus a potentia frequenter elicitus. 3. ſumitur vſus propriè pro operatione potentiæ liberæ; quo ſenſu dicit D.Auguſt. *Vti eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis*. 4. modo magis propriè pro actu voluntatis referentis aliquid in finem, & diſtinguitur contra fruitionem. 5. modo proprijſſimè prout diſtinguitur contra abuſum; nempe pro actu ordinato voluntatis aliquid referentis in finem quo ſenſu ait D. Aug. quod *Vti eſt id, quod in vſum venerit ad id quo fruendum eſt referre*: Fruitio verò eſt actus voluntatis, quo diligimus bonum propter ſe; & quidem propter ſe finaliter, & non formaliter tantum: Vndè quàmuis virtutes, teſte D. Ambroſio ſint diligendæ propter ſe formaliter, non tamen finaliter; ac proinde non eſt eis fruendum, ſed ad vltimum finem ſunt ordinandæ.

Not.

Not. 3. Quod vti aliqua re prout ad præſens ſpectat ex Richardo in 1. d. 1. q. 2. art. 1. poteſt accipi quadrupliciter: primo ſicut inſtrumento, quo operamur; ſic Faber legnarius vtitur ſecuri; & ſic ſola voluntate vtimur. 2. ſicut habitu quo regulamur, & ſic vtimur habitu virtutis, & non vitij; iuxta illud D. Aug. *Nullus malè vtitur virtute*; 3. ſicut actu, quo mouemur, & ſic non omni actu contingit benè vti; vt patet de actibus vitioſis. 4. denique ſicut obiecto, circa quod mouemur; & ſic omni alio à Deo vtendum eſt, vel accipiendo, ſi bonum eſt, vel deteſtando ſi eſt malum culpæ, vel patienter ſuſtinendo ſi eſt malum pęnę; Verùm quia vtile importat aliquid, quod in ſe habet, vt ordinetur, cuiuſmodi non eſt malitia: ideo non conceditur, quod vtendum ſit malitia, quia tota ratio ordinationis eſt ex parte ordinantis; qui bene vtitur malitia ipſam deteſtando propter Deum: quare non eſt admittendum; quod quicquid poteſt aſſumi in facultatem voluntatis, cadat ſub vſu propriè dicto; niſi intelligatur de eo, quod eſt aſſumptibile in facultatem voluntatis, acceptabile propter aliud.

I. Conc. Frui eſt actus voluntatis, qui dicitur amor amicitiæ, quo Beatus inhæret ſummo bono propter ſe, & in eo vltimatè quieſcit. Eſt Scoti vbi ſupra Richard. & aliorum extra noſtram Scholam. Prob. Frui in re fruente eſt vltimus actus eius, quem delectatio concomitatur immediatè, vt infrà dicetur, ſed vltimus actus, quo Beatus in obiecto beatifico quieſcit eſt amor amicitiæ: ergo frui eſt amor amicitiæ, quo Beatus inhæret ſummo bono. Vnde frui in re fruente dicitur ſecundum ſimilitudinem ſuauis fructus in arbore, vt tradit noſter Richard. Suauis autem fructus arboris eſt vltimum, quod de arbore expectatur, & cum ſuauitate percipitur.

Confirmatur. Non poteſt eſſe actus cognitiuæ potentiæ huiuſmodi actus frui; ergo eſt potentiæ appetitiuæ, nempe Voluntatis. Prob. ant. Actus potentiæ cognitiuæ non eſt actus vltimus, quia ad actum appetitiuæ ordinatur iuxta illud Ariſt. 3. de Anima. Appetitus ſequitur rationem, ac proinde in tali actu potiùs eſt tendentia, quàm quies; non enim delectamur in cognito, niſi quia ipſum diligimus, nec delectamur in cognitione, niſi inquantùm diligimus

cogni-

cognitum; ergo frui nequit eſſe potentiæ cognitiuæ, ſed appetitiuæ.

II. Conc. Vſus eſt actus Agentis per voluntatem præuia cognitione. Hæc videtur communis. Et prob. Vti re aliqua eſt ipſam referre in debitum finem; ſed omne Agens voluntate præditus poteſt aliquam creaturam referre in debitum finem, ſiue ſit Creator, ſiue Creatura beata, vel Viatrix; ergo vſus propriè dictus, de quo hìc agitur eſt actus Agentis per voluntatem. Prob. min. Prouerb. 16. dicitur. *Vniuerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus*; ergo Deus refert omnia creata ad ſe ipſum, vt ad finem; ſed vti re aliqua eſt referre ipſam in debitum finem, ergo Deus vtitur omnibus creaturis; ſed ſic eſt, quod minùs videtur vti conuenire Deo, quàm alicui alij rei habenti voluntatem; ergo quælibet creatura habens voluntatem, ſiue beata, ſiue Viatrix poteſt aliquam rem referre in debitum finem; ac proinde vti tali re. Quod autem Deus vtatur creatura docet D. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſti. *Non fruitur nobis, ſed vtitur, nam ſi neque fruitur, neque vtitur, non inuenio quemmodo diligat, ſed neque ſic vtitur vt nos, nam nos rebus, quibus vtimur ad id referimus, vt bonitate Dei perfruamur; Deus autem ad ſuam bonitatem vſum noſtrum refert*. Hinc liquidò patet; quod re increata non eſt vtendum, Deus enim cum ſit finis vltimus, & omnium non poteſt niſi peruersè ordinari ad finem; quia vt dicit D. Aug. *Maxima peruerſitas eſt frui vtendis, & vti fruendis*

III. Conc. Vſus, & fruitio ſemper formaliter diſtinguuntur; & aliquando realiter; ita Nicol. de Nyſe tract. 2. part. 2. q. 10. de voluntate humana. Prob. Vſus ſe habet ad fruitionem ſicut actus imperfectus ad perfectum: item vſus eſt actus voluntatis, quo diligimus bonum propter aliud; fruitio autem eſt actus voluntatis, quo diligimus bonum propter ſe; ergò ſaltem formaliter iſti actus inter ſe diſtinguuntur. Quod autem aliquis actus fruendi realiter diſtinguatur ab actu vtendi, patet, nam poſſumus Deum concipere nil aliud cogitando, ac proinde ita frui eo, non vtendo aliquo alio. Similiter aliquis actus vtendi realiter differt ab omni actu fruendi; vt cum aliquis diligit aliquod bonum propter finem non vltimum: & denique aliquis actus vtendi eſt idem realiter cum aliquo actu fruendi; vt

cum

cum quis vtitur creatura propter Deum; in quo quidem actu non apparent, niſi rationes vſus, & fruitionis penès diuerſa obiecta.

Arg. cont. 2. conc. probando, quod vſus non ſit actus Voluntatis. Ex D. Aug. lib. 83. q. q. q. 30. vbi ſic habet: *Omnia, quæ facta ſunt in vſum hominis facta ſunt, quia omnibus vtitur ratio iudicando, quæ homini data eſt*, ergo videtur, quod vti ſit rationis, & non voluntatis actus. Reſp. ex Richardo; quod D. Aug. accipit vti non propriè, ſed pro actu primo ad actum vtendi propriè dictum ordinato.

Arg. 2. Eius eſt referre, cuius eſt conferre; ſed rationis eſt conferre, ergo ad rationem pertinet referre, ac proinde vſus eſt actus rationis. Reſp. quod vera eſt minor loquendo de referre per modum dictantis; ſecùs autem de referre per modum liberè inclinantis, ſeù mouentis. Igitur ratio refert dictando, voluntas inclinando; & ſic vſus non eſt rationis, ſed Voluntatis.

Arg. 3. quod Deus non vtatur re aliqua. Qui vtitur aliqua re indiget ea, ſed Deus bonorum noſtrorum non eget, ergo Deus nullo bono creato vtitur. Reſp. neg. aſſumptum in maiori; non enim eſt vera, quando ille, qui vtitur, rem qua vtitur, non refert in ſe ipſum, vt in finem propter ſui ipſius vtilitatem, ſed bonitatem, qualiter Deus vtitur re creata.

Arg. 4. probando, quod creatura vtatur Deo. Lucæ 15. dicitur. Quanti mercenarij &c. vbi gloſa dicit, *Quod liceat Deo ſeruire intuitu mercedis*; ſed maxime ſeruitur Deo ipſum amando, ergo licitum eſt Deum amare propter mercedem; hoc autem eſt vti Deo, quia qui Deum amat propter mercedem, Deum refert ad mercedem in intentione: Item D. Aug. lib. 10. de Trin. caa. 11 ait. *Omnis, qui fruitur vtitur*; ergo fruendo Deo, vtimur Deo.

Reſp. Gloſ. intelligendam eſſe de mercede increata, qualis eſt Deus ipſe, qui eſt ſumma merces dlligentium ſe. Ad D. Aug. reſp. cum loqui de vti nimis impropriè, & nimis largè; extendit enim vti ad omnem actum volendi; nàm D. Aug. ſtatim ſubiungit, vt aduertit Rich. aſſumit enim aliquid in facultatem voluntatis.

Quæres. Quibus competat frui.

Reſp. ex Scoto in 1. d. 1. q. 5. Vbi pro præſentis dubij expli-

explicatione vtitur analogia valde idonea ex ipſis corporibus deſumpta, quatenùs illa diuerſimodè quietantur in centro, tanquàm in vltimo termino quietis corporum grauium. Huic autem centro veluti vltimo termino terra per ſe, & propriè adhæret, ideſt per ſuam naturam, & grauitatem, & immediatè. Deinde ſunt aliqua corpora, vt lapides, & metalla in viſceribus terræ, quæ centro adhęrent immobiliter quidem, & per ſe, ideſt per ſuam formam intrinſecam, ſed non primò, quia mediante terra cui ſunt vnita primò quieſcunt, cuius grauitatem, & adhæſionem participant. 3. ſunt aliqua corpora centro adhærentia mediante terra, cui vniuntur, vt grauia, quæ ſunt in ſuperficie terræ, quæ licet per aliquod tempus quieſcant, non tamen perinde ac ea, quæ quieſcunt ſecundo modo. 4. corpus aliquod adhęrere poteſt vniformiter corpori proximo (vt homo iacens in Naui) & reſpectu illius quieſcere, non tamen reſpectu vniuerſi eò quod Nauis ſit in continuo motu.

A ſimili. Corporis ponderi correſpondet in ſpiritualibus voluntas; nàm ſicut corpus pondere, ſic Animus, & Voluntas amore fertur, vt ait D. Aug. Centrum autem, quod natura ſua eſt vltimatè quietatiuum eſt finis vltimus, Deus ipſe; huic centro D. Voluntas primò, & per ſe imobiliter, & neceſſariò adhæret, ſeù fruitur; ideò comparatur Terræ in centro exiſtenti; vnde Hermes Trimegiſtus aiebat, quod Deus eſt Sphera intellectualis, cuius centrum eſt vbique, & circumferentia nuſquàm. Deinde voluntas creata beata adhæret illi fini, & fruitur eo ſimpliciter, & perpetuò, ac per ſe; quia per formam intrinſecam ſuo actui, ideſt per charitatem, ſed non primò, quia id habet à Deo; ideò comparatur lapidibus, & metallis in terræ viſceribus exiſtentibus. 3. Voluntas iuſti Viatoris fruitur quidem ſimpliciter, & per ſe; ſed non immobiliter, quia aliquandò auertitur à Deo, & recedit à gratia; neque primò, quia mediante D. Voluntate innititur ſummo bono, ſeù adhæret; ideò ſimilis grauibus in terræ ſuperficie exiſtentibus. 4. Voluutas mortaliter peccantis fruitur ſimpliciter aliquo alio à Deo. Nam quantum eſt ex parte voluntatis ſe ipſam quietat in obiecto quod propter ſe amat; non tamen ſimpliciter quietatur quantùm

eſt ex parte obiecti, quod non eſt de ſe quietatiuum. Quinimmò, ſicut quieſcens in Naui, non quieſcit ſimpliciter; eò quod non quieſcat reſpectu centri, quod eſt vltimum quietans ſe in vniuerſo; ità voluntas quietans ſe in creatura, non ſimpliciter quietatur. Huiuſmodi autem peccator, vt in pluribus fruitur ſe ipſo, quia ſe inordinatè amore amicitiæ diligendo, cæteras creaturas amore concupiſcentiæ proſequitur iuxtà illud D. Auguſt. dicentis. *Duas Ciuitates fecerunt duo amores, Ciuitatem Diaboli amor ſui vſque ad contemptum Dei: Ciuitatem Dei amor Dei, vſque ad contemptum ſui*: ergo peccans fruitur ſe inordinatè.

De Brutis autem dico, quod non fruuntur; nàm frui eſt alicui rei inhærere amore propter ſe: ſed Bruta amorem non habent, cum voluntate careant; nec alicui rei propter ſe inhærent, ſed propter eorum bonum; ideoque non fruuntur, niſi accipiatur frui abuſiuè, & impropriè pro non referre ad aliud negatiuè tantum. Inſuper non adhærent propriè obiecto, quia non ducunt, ſed ducuntùr à naturali inſtinctu. Quarè comparari poſſunt ferro vi adamantis attracto. Quod ſi habentia inſtinctum naturalem, ſeù appetitum ſenſitiuum (qui magis competit voluntati, quàm appetitus naturalis) propriè non fruantur, multò minus dicentur frui, appetitum naturalem ſolum habentia; quia frui propriè præſupponit cognitionem; quam non habent entia inſenſitiua: Denique frui eſt actus à potentia diſtinctus, ſed huiuſmodi entia nullum habent actum, ſed ſolam naturalem inclinationem, quæ non diſtinguitur ab eis: ergo frui nequeunt niſi abuſiuè.

QVÆSTIO IX.

Vtrum gaudium de obiecto beatifico ſit de eſſentia, vel pertineat ad eſſentiam beatitudinis.

NOt. 1. Quòd gaudium coincidit cum delectatione, & videntur ſolum differre, tanquàm magis commune, & minùs commune; nam delectatio conuenit etiam parti ſenſitiuæ, quæ ſic deſcribi ſolet: Eſt quies vitalis appetitus, & complacentia in bono poſſeſſo; gaudium autem competit propriè ſoli parti rationali; & ſic deſcribi poteſt

ex communi Doctrina, eſt vitalis quædam ſuauitas, quæ ex amore ad præſentiam obiecti amati connaturaliter in anima reſultat: Ex qua deſcriptione clarè conſtat, quod non eſt actus, ſeù operatio voluntatis, ſed quædam paſſio, vt contra multos docet Scot. in 3. d. 15. q. vn. & alibi, quem ſequuntur Scotiſtæ, Nominales, & quamplures Neutrales. Similiter patet, quod delectatio, gaudium, & triſtitia non ſpectant ad intellectum ex Scoto in 4. d. 49. q. 2. & alibi, eò quia delectatio, & triſtitia proueniunt ab obiecto, vt conueniente vel diſconueniente, bono, vel malo; hæc autem pertinent ad voluntatem, non ad intellectum; vnde triſtitia definiri ſolet ex D. Auguſt. 14. de Ciuit. Dei: eſt de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt; Itaque non ex cognitione rei conuenientis, vel diſconuenientis oritur, lætitia, vel triſtitia, ſed ex actu volitionis ſequitur gaudium, ſeu lætitia, & ex actu nolitionis triſtitia.

Not. 2. Quòd beati in primis gaudent de bono ſummo, & infinito in ſe, & propter ſe; de quo gaudio intelligitur illud Apocal. 19. *Quoniam regnabit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* Secundò gaudent de bono proprio, & de fœlicitate, quam poſſident, & de hoc loquitur Propheta. Pſal. 19. cum ait. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem;* primum gaudium dicitur amicitię, & primariò verſatur circa ipſum Deum, cum ſit à charitate. Secundum à quò eliciatur, non ſatis conueniunt Recentiores: Suarez, & alij exiſtimant illud elici ab habitu ſpei, quem dicunt remanere in Patria, & eò vel maximè, quia eſt amor concupiſcentiæ. Verum communis ſententia tenet, huiuſmodi gaudium concupiſcentiæ, habens Deum non ſolum pro obiecto motiuo, ſed etiam pro terminatiuo immediate, & per ſe elici ab habitu charitatis, & dici poteſt tentio ſpei ſuccedens; non enim elici poteſt ab habitu fidei, neque ſpei, quæ in noſtra ſententia non remanent; ergo conſequens eſt, vt eliciatur à charitate.

Not. 3. Quòd in hac quæſt. ſunt duæ opiniones; prima eſt D. Thom. in 4. d. 48. q. 3. art. 1. & 1. 2. q. 4. art. 2. docentis, delectationem eſſe de eſſentia beatitudinis; cui ſententiæ ſubſcribitur, præter Thomiſtas etiam Durand. in 4. ibidem. Secuda eſt Scoti in 4. d. 49. q. 6. aſſerentis, delectatio,

ctationem non eſſe de eſſentia beatitudinis, nec beatitudinem eſſe formaliter delectationem, ſeu gaudium, ſed gaudium eſſe velut proprietatem, & paſſionem ex operatione beatifica ſequentem; vnde Doct. loc. cit. §. ad quæſt. aduertit, quod voluntas poteſt dupliciter conſiderari, vel prout eſt actiua ſui actus, vel prout eſt paſſiua, non in quantum recipit actum, ſed inquantum eſt receptiua paſſionum ſpiritualium, de quibus paſſionibus loquitur D. Aug. lib. de moribus Eccleſiæ, vbi omnes paſſiones voluntatis reducit in amorem. Voluntas igitur vtroque modo accepta, ſiue vt actiua, & elicitiua, ſiue vt paſſiua, perficitur vltimatò; nam voluntas primò modo perficitur vltimata operatione, ſecundo modo perficitur paſſione vltimata; & ſic quilibet perficitur vltimato in ſuo ordine; & ſic delectatio concomitatur beatitudinem, quæ eſt operatio, & gaudium, ſeu delectatio, quæ eſt paſſio magis concomitatur beatitudinem, quàm ſecuritas.

Conc. Gaudium, ſeu delectatio non eſt de eſſentia beatitudinis, ſed eſt quaſi paſſio ab ea profluens. Eſt Scoti loc. cit. Prob. quæcunque ſunt de eſſentia alicuius non poſſunt ab inuicem ſeparari; ſed dilectio, & delectatio, ſeu gaudium poſſunt ab inuicem ſeparari, ergo &c. min. pat. in Demonibus, qui ſe diligunt, & tamen non delectantur immò triſtantur. Præterea. Illi actus non ſunt idem realiter, quorum oppoſita diſtinguuntur realiter; ſed odium, & triſtitia, quæ opponuntur dilectioni, & delectationi diſtinguuntur realiter; ergo &c. min. patet in Beatis, qui odiunt peccata noſtra, nec tamen triſtantur de eis, cum in illos non cadat triſtitia.

Prob. 2. Nulla paſſio eſt beatitudo eſſentialiter: ſed gaudium, ſeu delectatio eſt eſſentialiter paſſio; ergo &c. probat Scot. mai. Quia beatitudo eſt vltima perfectio, ex eo quod ſimpliciter optimo coniungit, ſed nulla paſſio coniungit obiecto beatifico, ſed ſola operatio, ergo nulla paſſio eſt beatitudo eſſentialiter. Tum quia, quod eſt de eſſentia beatitudinis, oportet, reſpicere obiectum beatificum, non ſolum in ratione cauſæ efficientis, ſed etiam obiecti; at gaudium cum ſit paſſio non reſpicit obiectum, niſi vt cauſam efficientem, ergo &c.

Prob. 3. Per aliquid ſimilis rationis coniungitur potentia

tia ſuo obiecto in via, & in Patria: ſed in via non coniungitur paſſione, ſed operatione: ergo ſimiliter in patria non coniungitur paſſione, ſed operatione.

Confirmatur ex Ariſt. lib. 10. eth. c. 3. vbi dicit, quod multas operationes appeteremus; & ſi nulla delectatio ſequeretur, ſicut patet de actibus virtutum, quos frequenter non exercemus propter delectationem; ſed delectatio eſt ſolùm propter operationem, & non è conuerſo: ergo &c.

Arg. 1. contra conc. auctoritate D. Aug. lib. 10. Confeſs. vbi ait. *Beatitudo eſt gaudium de vita beata*: ergo &c.

Reſp. Scot. quod D. Aug. in hoc ſenſu eſt locutus, nempe quod gaudium de Deo erit beata vita, quia gaudium, & delectatio quædam vita eſt, ſicut omnis paſſio ſpiritualis. Ità in Report. & in ſcripto oxion. reſpondit, quod illa propoſitio D. Aug. & conſimiles propoſitiones ſunt veræ cauſaliter, non per eſſentiam, beatitudo autem eſt cauſa quietationis, & delectationis, quæ conſequitur actus beatificos.

Arg. 2. Beatitudo eſt vltimum bonum ipſius beati; ſed delectatio eſt vltimum conſequens operationem, nam alia quærimus propter delectationem; ipſam autem delectationem propter ſe, ergo &c. Reſp. Scot. neg. aſſumptum in mai. quia nunquàm quietatio in ſe eſt per quietationem in alio. Vnde creatura nunquàm quietatur in ſe per delectationem, quia delectatio non habet in ſe formaliter quietationem, niſi per operationem; & ideo ſolum per operationem poteſt quis quietari in vltimo bono.

Arg. 3. Beatitudo vnit eſſentialiter vltimo bono perfectiſſimè operando, quieſcendo, & delectando, ſed operatio eſt de eſſentia beatitudinis, ergo & quietatio, & delectatio. Reſp. Scot. Quod non omne vltimum eſt finis, ſed optimum: & ideo beatitudo non eſt de bono vltimo, niſi ſit optimum: ad delectationem autem non ordinatur fruitio, ſed delectatio ſequitur fruitionem, igitur fruitio magis vnitur optimo, quàm delectatio.

Contra. Probauit ſupra Scotus, quod beatitudo conſiſtit in fruitione, & non in viſione, quia perfectior operatio eſt, cum ſit vltimior iuxta regulam Phyloſ. quæ ſunt poſteriora generatione ſunt perfectiora: ſed delectatio eſt

vlti-

vltimior fruitione per Scot. ergo & prior perfectione, & per conſequens beatitudo erit in delectatione, & non in fruitione. Reſp. Scot. quod ſimpliciter in eodem genere ſint perfectiora poſteriora prioribus, & hoc poſteriora generatione, vt ſi plures formæ ſubſtantiales ſunt in eodem ſuppoſito, vltima eſt perfectiſſima. Sed ſi accipiatur in alio genere priùs, & poſteriùs, frequenter ſunt perfectiora poſteriora, non tamen ſemper, vt poſt vltimam formam ſequuntur accidentia, quæ tamen ſunt imperfectiora. Sic dico in propoſito; in operationibus, quæ tendunt in obiectum poſterior perfectior eſt; & ſic operatio voluntatis operatione intellectus: licet non ſint in eodem genere proximo, ſed vna in genere cognoſcitiui, alia in genere appetitiui. Sed variatur genus in paſſionibus, quia illæ non tendunt in obiectum, ſed ſunt ab obiecto. Vnde regula Phyloſ. intelligitur, quando prius, & poſterius ſunt in eodem genere, puta operationis, vt viſio, & fruitio; vel in genere paſſionum.

Arg. rationibus D. Thomæ contra eandem conc. Si gaudium non eſſet de eſſentia beatitudinis, ſed eſſet aliud realiter ab ea: ergo Deus poſſet ſeparare vnum ab altero, & ſic aliquis poſſet eſſe beatus, & non gaudens, quod videtur abſurdum: ergo &c. Reſp. ex Scoto conc. Sequelam, ſeu conſ. Quarè ſi Deus ſepararet à fruitione delectationem, adhuc remaneret beatus intenſiuè, ſed non extenſiuè, quia non haberet omnia, quæ requiruntur ad beatitudinem, nempe conſequentiam ad eam.

Arg. 2. Beatitudo eſt maxima perfectio beati, ſed ipſa erit maior perfectio, ſi gaudium fuerit de eſſentia eius, quàm non; quia ſic meliùs ſaluatur perfectio eius: ergo &c.

Reſp. Scot. conc. mai. ad min. dicit, quod verum eſt, beatitudinem eſſe perfectiorem, ſi gaudium eſſet de eſſentia eius; Sed hoc non poteſt eſſe; vt ſi ſapientia eſſet de natura hominis, eſſet perfectior, quàm modò; ſed paſſio non poteſt eſſe de natura beatitudinis, quia de eſſentia eius eſt, quod coniungat obiecto beatifico, ſed hoc non poteſt facere paſſio; immò contra naturam delectationis eſſet, ſi eſſet de eſſentia beatitudinis, quæ eſt operatio.

Arg. 3. Sicut ſe habet pœna ad gaudium; ſic triſtitia ad præmium, ergo permutando; ſicut ſe habet pena ad triſti-

tiam, ſic prǫmium ad gaudium, ſed pœna eſt eſſentialiter triſtitia, ergo prǫmium eſt eſſentialiter gaudium, erg. erit eſſentialiter beatitudo. Aſſumptum, nempe, quod pǫna eſt eſſentialiter triſtitia probatur. Quia nō poteſt eſſe actus aliquis ipſius voluntatis, & inuoluntarius; nam omnis actus voluntatis eſt nolle, ſicut velle, ſed triſtitia non eſt voluntaria, immò eſt de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt; ergo non eſt actus voluntatis, ergo eſsentialiter ipſa pǫna triſtitia eſt.

Confirmatur, quia ſicut ſe habet malum inhoneſtum ad malum incomodum, ſic bonum honeſtum ab bonum commodum, ſed malum inhoneſtum eſt per ſe peccatum, & malum incommodum pǫna, ergo bonum honeſtum eſt per ſe meritum, & bonum commodum per ſe prǫmium, ſed nihil eſt delectatio, niſi bonum commodum, ergo &c. ita Scotus contra ſe format argumentum.

Reſp. Scot. neg. conſ. nempe quod ſi pǫna ſit eſſentialiter triſtitia, ergo prǫmium eſt eſſentialiter gaudium; quia non eſt ſimile; eò quod nihil eſt pǫna, niſi pro quanto eſt inuoluntarium. Prǫmium autem nihil eſt, niſi voluntarium; pǫna igitur non poteſt eſſe actus voluntatis; quia omnis actus eius, ſiue ſit nolle, ſiue velle, ſemper eſt voluntarius; prǫmium autem, ſemper eſt actus voluntatis, ſeu voluntarius; & de eſt in actu, non igitur eſt paſſio, nec in paſſione, omnis autem pǫna eſt paſſio, quia triſtitia, vel cum triſtitia.

Et ſi arguatur. Quod miſeria eſt eſsentialiter triſtitia, ergo prǫmium, hoc eſt, bǫatitudo eſt eſſentialiter gaudium. Reſp. Scot. neg. ant. quia miſeria non eſt eſſentialiter pǫna, ſeu triſtitia, ſed eſt eſſentialiter culpa, & ſola culpa facit hominem miſerum; & ſicut culpa eſt male velle, ſic per oppoſitum prǫmium erit bene velle in operatione; & ſic bonum commodi poteſt eſſe voluntarium, & prǫmium maximum Beati, & maximum gaudium ſibi.

QVÆSTIO X.

Vtrum omnes Beati ſint impeccabiles.

QVāmuis præſens quæſtio videatur ſoluta ex ijs, quæ dicta ſunt in quæſt. 3. huius diſputationis, vbi oſtenditur

ditur voluntatem non neceſſitari ab vltimo fine clarè viſo, quoad exercitium, ſed liberè ſuum actum elicere; attamen quia alias peculiares difficultates habet; ideoque ex profeſſo hic tractanda eſt; pro cuius maiori claritate ſit de more.

Not. Quòd fide certiſſimum eſt, neminem peccato maculatum introire poſſe Regnum Cœlorum, vt perſpicuè pluribi tradit Sac. Scriptura; at dubium, & incertum eſt, an viſio beatifica, vel fruitio vi ſua excludat omnem peccati maculam, ſeù omne peccatum habituale. Vaſquez, & quidam alij putant nec de potentia Dei poſſe maculam peccati cum viſione componi. Verùm Suarez, & plerique alij id rectiùs negant, vt aduertit noſter Herincx. Quæ enim poteſt implicantia inuolui in eo, quod Deus aliquem ad ſui conſpectum admittat, cui tamen condonare nolit iniurias præcedentes, immò quem amantem, etiam fruitione Diuina, non redamet, ſed ob peccata præcedentia odio proſequatur? Quàmuis id certiſſimè nunquàm ſit euenturum, & minùs conſonum D. pietati appareat. Ità diſcurrit Herincx q. 9. de impeccabilitate Beatorum n.52. Quare duplex difficultas inter Scholaſticos controuertitur. Prima eſt: An clara viſio Dei reddat Beatos phyſicè impeccabiles, etiam ſecluſo Dei amore conſequente. Secunda: An ſaltem phyſicè determinet voluntatem Beatorum ad amorem perfectiſſimum Dei, adeout Beati, nec à viſione, nec ab amore ceſſare valeant, ac proinde ipſe amor beatificus non eſt liber, ſed phyſicè neceſſarius, & vi huius amoris neceſſarij Beati ſint phyſicè impeccabiles. Quid autem ſit ſentiendum iuxtà principia noſtræ Scholæ oſtendent ſecunda, & tertia concluſio.

I. Conc. Omnes Beati de facto ſunt impeccabiles. Eſt de fide contra Origenem. Prob. ex Sac. Script. & præſertim Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium*: ergo multò minùs poterit ibi quis coinquinari, aut mendacium, ſeu peccatum facere; Et 1. Petri, c. 1. Beatitudo vocatur: *Hæreditas incorruptibilis, & incontaminata*. Idem vnanimi conſenſu docent SS. Patres. Accedit etiam euidens ratio Theologica. Etenim Beati continuò fruuntur Deo, amore, & quidem perfectiſſimo ſuper omnia: ſed huiuſmodi amor nequit conſiſtere

cum peccato, nec etiam minimo; cum etiam in via, vt paſſim docent Theologi, peccatum veniale repugnet feruori, & perfectioni charitatis: ergo beati ſunt omninò impeccabiles, & huius impeccabilitatis radix eſt continuus Dei amor perfectiſſimus.

II. Conc. Viſio Dei non reddit Beatos phyſicè impeccabiles, ſecluſo amore beatifico. Eſt Scoti, & Scotiſtarum, nec non Nomiualium, proùt refert Herincx, eamque ſic probat. Nàm ſecluſo eo, quod viſio determinet ad amorem beatificum, nil reſtat, quòd Beatos determinet ad abſtinendum à peccato. Quamuis enim clarè appareat videnti Deum, quod omnis offenſa Dei ſit mala moraliter, attamen maneret abſolutè loquendo voluntas libera ad eligendum malum morale, velut delectabile, poſtpoſito bono fine comparatione meliori. Deindè non obſtante viſione beatifica Chriſtus liberè fecit opera, præcepta, ac proindè liberè abſtinuit à peccato, ergo etiam Beati, ea non obſtante, liberè abſtinent à peccato, & conſequenter hi non eſſent phyſicè impeccabiles. Adde etſi viſio beatifica etiam de abſoluta potentia non compateretur ſecum peccatum actuale in ſenſu compoſito, cur non poſſet præditus viſione Dei pro hoc inſtanti per peccatum ſequenti inſtanti priùs natura commitendum impedire continuationem viſionis Dei, illamque deſtruere? Confirmatur ex dicendis ſequenti concluſione: Si enim viſio Dei non excludat phyſicè peccatum actuale, etiam eo modo quò nunc conſequitur amor beatificus (vt ibi dicetur) quantò minùs hoc ſecluſo?

III. Conc. Viſio Dei non determinat phyſicè voluntatem Beati ad amorem continuum, qui per conſequens excludat omne peccatum actuale. Hæc in iſtis terminis eſt Herincx pro qua citat Scotum, & Scotiſtas, nec non Nominales cont. Thomiſtas, & alios. Prob. Quia viſio clara obiecti, etſi infiniti, eſt voluntati creatæ extrinſeca, tantùmque finitè ei applicat infinitam bonitatem, non apparet proindè, cur ipſam ex natura ſua liberam phyſicè determinaret ad amandum; tum quia alioquin vix explicari poteſt, quommodò Chriſtus in hac vita beatus fuerit liber in operibus illi quoad ſubſtantiam, ac determinatas circumſtantias præceptis; quòd tamen non eſt difficile in

noſtra

noſtra doctrina, quandòquidem nec vnio hypoſtatica, nec viſio Dei impediuerit intrinſecam voluntatis Chriſti indifferentiam. Tum denique, quia nil eſt, quod eiuſmodi phyſicam voluntatis Beatorum ex vi viſionis neceſſitatem perſuadeat; vt magis patebit ex ſolutione obiectionum.

Arg. 1. contra 3. conc. Quæ argumenta æquè militant etiam contra 2. conc. Beatus neceſſariò ſe habet in ordine ad Deum, ſicut Viator ad bonum, vt ſic; ſed Viator quidquid amat, amat neceſſariò ſub ratione boni, ergo ſimiliter beatus neceſſariò amat Deum, & cætera in ordine ad illum.

Reſp. neg. maiorem. Quia bonum in genere includitur eſſentialiter in quolibet bono particulari; ac proinde dùm hoc appetitur, neceſſariò ſimul appetitur communis ratio boni incluſa: non ſic Deus includitur in omnibus alijs bonis, ſed multa ſunt ei condiſtincta, quæ amari poſſunt, non amato Deo, vt patet de hominibus viatoribus. Idem autem repugnare in Beatis, ex hoc capite non oſtenditur. Deinde viator non neceſſariò aliquid vult, ſed poteſt à volendo ceſſare; adeòque etiam admiſſa paritate poſſet ab amore ceſſare Beatus; & ſic negatur conſ. ita Herincx.

Arg. 2. In obiecto infinito clarè propoſito apparet infinita ratio boni, nec in ipſo actu amandi poteſt apparere vlla ratio mali, ergo voluntas Beati neceſſariò illud amat. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Nam Beatus poſſet ceſſare ab actu; vt etiam in q. 3. cit. dictum fuit.

Contrà. Nequit voluntas ceſſare ab actu amoris, quia in ceſſatione nulla ratio boni apparet, ergo &c.

Reſp. neg. ant. & in primis ratio eſt, quia ad puram ceſſationem, ſeù ommiſſionem actus id non exigitur, ſed ſufficit innata libertas. Deinde ipſum libertatis exercitium eſt bonum aliquod, quod in ea reperiri, & appeti poteſt. Itaque proximè nequit voluntas ceſſare, benè tamen remotè; quia potentia quæcunque, ait Scot. ſicut habet vnum obiectum, ita habet vnum modum agendi; ideòque voluntas ſemper liberè agit reſpectu cuiuſcunque obiecti.

Vtrum ad eſſentiam beatitudinis requiratur ſecuritas perpetua.

NOt. 1. Quòd D. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 30. refert, Platonicos nonnullos docuiſſe Animarum circulum, & conſequenter negaſſe ſtatum earum perpetuum. Qui quidem error tribuitur etiam Origeni, qui nedum ſtatum damnatorum non eſſe perpetuum aſſerebat, ſed etiam Dæmones aliquandò ſaluandos putabat; ac proinde non aſſe perpetuitatem præmiorum, & ſuppliciorum. Verùm de fide eſt, beatitudinem, quam in Cœlo poſſident Beati eſſe æternam; quam veritatem pluribus in locis Sac. Scriptura docet, vt Sap. 5. *Iuſti in perpetuum viuent*; Matt. 25. *Ibunt Iuſti in vitam æternam, &c.* Et de hac vita æterna iuſti ſunt certi, & ſecuri. Vnde ait Scot. in 4. d. 49. q. 6. quod ſicut dubietas, & certitudo ſunt in intellectu, ita timor, & ſecuritas ſunt in voluntate. Eſt autem ſecuritas carentia timoris prouenіens ex certa cognitione boni non amittendi; vel eſt quædam vitalis quies in voluntate de bono non amittendo, & malo non habendo, & de tali perpetuitate ſibi nota per reuelationem, aut claram cognitionem D. voluntatis.

Not. 2. ex Scot. loc. cit. q. 5. §. ad quæſt. in Report. Quod Beatum eſſe non eſt niſi cum vltimatè benè eſt in coniunctione perfecta ad optimum: iſta autem coniunctio perfecta poteſt intelligi dupliciter intenſiuè, vel extenſiuè: loquendo de perfectione vnionis intenſiuè dicit, quod poteſt eſſe in inſtanti, vel cum inſtanti temporis, ſiue menſuretur æuo, ſiue non, Deus poteſt eam tantum conſeruare pro tunc, & non plus; & ſic eſt ita perfecta beatitudo pro illa hora, ſicut ſi ſemper duraret, & ſic in raptu poſſet aliquis eſſe beatus: accipiendo autem perfectionem extenſiuam, dum natura manet, & ad quam eſt inclinatio naturalis potentiæ, ſic beatitudo eſt perfecta, & perpetua, non ſolum raptim, ſed ſemper.

Not. 3. Quòd licet omnes Theologi catholici concordent, beatitudinem de facto eſſe perpetuam; diſcordant tamen in aſſignanda huiuſmodi perpetuitatis cauſa. Etenim

nim Egidius quol.1.q.1.art.1. putat ex ipſamet beatitudinis entitate procedere talem perpetuitatem. Henricus quol.9.q.11. exiſtimat, eam prouenire à potentijs neceſſariò, & perpetuò cauſantibus. D.Thom. q.2.q.10.art.1. & 2. docet eam prouenire ex habitibus ita determinantibus potentiam intellectiuam, & volitiuam; vt non poſſint non exercere actus beatificos; nam beatitudo eſt talis forma, ſeù operatio de ratione ſua formali, quod cui ineſt, incorruptibiliter ineſt, & non poteſt non eſſe manente ſubiecto, quod eſt incorruptibile: & denique Scotus cum ſuis docet, beatitudinem eſſe perpetuam ex Dei decreto libero de eius conſeruatione; iuxtà quam ſit.

I. Conc. Perpetuitas, & ſecuritas ſunt de eſſentia beatitudinis completè ſumptæ, non verò ſumptæ pro beatitudine eſſentiali; vel vt cum Scoto loquamur, ſunt de eſſentia beatitudinis extenſiuæ, non intenſiuæ. Prob. prima pars. Nempe quod perpetuitas non eſt de eſſentia beatitudinis intenſiuè ſumptæ. Quęcunque perfectio eadem permanens, & æqualis poteſt eſſe per inſtans, vel in aliquo breui tempore, quæ, & quanta poteſt eſſe in toto tempore; vnde albedo vnius diei eſt æquè perfecta, ac albedo vnius anni. Tum quia beatitudo formalis eſt quid creatum, cui nequit eſſe eſſentialis actualis duratio; Quare ſi Deus donaret alicui homini beatitudinem per breue tempus, vt non pauci Doctores cenſent de D. Paulo, & de immaculata Deipara; eſſet vere beatus, ergo &c.

Prob. 2. pars, videlicet, quod perpetuitatis ſecuritas non ſit de eſſentia. Securitas eſt in voluntate, & ſupponit certitudinem in intellectu de continuatione beatitudinis, ergo ſecuritas perpetuitatis non eſt de intrinſeca ratione beatitudinis; certitudo enim in intellectu de continuatione beatitudinis ſupponit eius reuelationem, & apprehenſionem, ex qua voluntas redditur ſecura, ac proinde hæc omnia eſſentiam beatitudinis iam ſupponunt in eſſe poſitam. Confirmatur. Etenim apprehenſio perpetuitatis beatitudinis, & illius certitudo non eſt actus tendens in obiectum beatificum, ſed eſt actus reflexus ſuper ipſam beatitudinis continuationem, & ſecuritas de hac aliud non reſpicit, vt obiectum, niſi perpetuæ continuationis certitudinem: ergo ſi nec apprehenſio, nec certitudo perpetui-

perpetui-

petuitatis ſunt de eſſentia beatitudinis; tantò minùs ſecuritas.

II. Conc. Beatitudo nequit dici ſimpliciter, & abſolutè perpetua, & neceſſaria ex eo, quòd potentiæ eam producentes agunt neceſſariò, neque ratione habiturum ad eam concurrentium; ſed perpetuitas ineſt beatitudini ex ſola Dei prouidentia eam conſeruante per continuationem influxus. Eſt Scoti loc. cit.; & omnium Scotiſt. Prob. conc. quoad primam partem. Licet intellectus ſit talis naturæ, vt præſente obiecto, & eo non impedito, neceſſariò videat; tamen voluntas non ſic neceſſitatur, nec etiam à ſummo bono, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo ſolùm ex parte intellectus apparet neceſſaria, & perpetua, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; Nam ſi Deus non daret intellectui concurſum, non valeret viſionem beatificam continuare. Prob. 2. pars. Non eſt neceſſaria ratione potentiarum: ergo multò minùs ratione habiturum: prob. conſ. Habitus ſe habent ad potentias tanquam cauſæ ſecundæ, & inſtrumenta reſpectu agentis principalis; ergo &c. Siquidem B. Virgo Immaculata habuit in via maiorem charitatem, quam cæteri Sancti; & tamen illa charitas non neceſſitauit eam ad fruendum Deo; vbi ipſum contemplabatur.

Prob. 3. pars. à ſufficienti excluſione cauſarum quæ poſsent aſſignari. Non enim ex ſe ipſa, quia eſt ens creatum, & contingens intrinſecè defectibile: non ex potentijs, quæ pariter ſunt contingentes, & contingenter operantur: nec denique ex habitibus ſupernaturalibus; & aliud aſſignari nequit; ergo ex ſola D. prouidentia eſt perpetua, & neceſsaria.

Prob. conſ. Duratio quælibet entis creati eſſentialiter dependet à D. prouidentia, ſeu voluntate non ſubtrahente concurſum, ſed poſitiuè in eam influente: ant. eſt per ſe notum; nam Deus non operatur ad extra neceſſario: tum quia beatitudo licet extrinſecè duret æternitate à parte poſt, intrinſecè tamen menſuratur æuo ex Scoto in 4. d. 49. q. 6.

Arg. cont. conc. Si beatitudo non eſſet intrinſecè ens neceſſarium ſequeretur quod poſſet deficere, ac proinde beatus fieri miſer, & ſic non eſſet beatus, quia non haberet; quid-

quidquid vellet. Reſp. ex Scot. loc. cit. diſting. ſequelam, de poſſibili, ſeu in ſenſu diuiſo, conc. de facto, & in ſenſu compoſito; neg. ſequelam.

Dices. Si beatitudo non eſſet perpetua, tunc homini diſpliceret etiam in ſenſu compoſito, quod aliquando tanta fælicitate careret; & ſic beatitudo compateretur aliquam moleſtiam: ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Reſp. Quod ſi beatus ſciret, non perpetuo ſe in tali ſtatu manſurum; ad huc non triſtaretur; tum ob ſummam delectationem; tum ob conformitatem omnimodam cum D. Voluntate.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Natura humana ſit inferior natura, quæ eſt capax beatitudinis.

NOt. quod Ariſt. cum multis alijs à veritate longè aberrauit, putans, non poſſe dari aliam notitiam de ſubſtantia prima niſi confuſam, & obſcuram; non enim poſſumus habere aliquem conceptum de beatitudine, niſi ex ſenſibilibus poſter. 1. & per ſenſibilia, & hoc per cognitionem abſtractiuam tantum; Quam opinionem vt falſam improbat Doctor; licet inferat; quod per rationem naturalem non poteſt inquiri propria ratio beatitudinis, ſed tantum in vniuerſali.

Conc. Natura humana eſt capax beatitudis ſecundùm ſuam propriam rationem; & nulla alia natura inferior eſt capax talis beatitudinis ſupernaturalis. Eſt de fide, & expreſſè traditur à S. Scrip. vt paulò ſuperiùs indicauimus. Prob. auctoritate D. Aug. dicentis lib. 14. de Trin. cap. 28. *Eo eſt capax beatitudinis, inquantum eſt imago Dei*, ſed natura humana, & nulla inferior ipſa, eſt imago Dei: ergo &c. Prob. ratione. Naturæ inferiores natura humana non operantur niſi per potentias organicas, quæ nequeunt attingere obiectum immateriale, vt omnibus eſt exploratum; ergo nulla natura inferior humana eſt capax beatitudinis ſupernaturalis.

Arg. cont. conc. Deus eſt primum efficiens omnium, ſed primo efficienti correſpondet vltimus finis: ergo Deus eſt finis immediatus omnium, & per conſequens omnis natu-

ra erit æquè capax beatitudinis &c. Reſp. ex Scot. conc. mai. & diſting. min. correſpondet vltimus finis. vt attingibilis ab omnibus immediatè per operationem, neg. vt cauſa finalis, conc. In hoc enim ſenſu Deus eſt immediata cauſa finalis omnium, & efficiens.

Quæres. Quæ, & quot ſint dotes Animarum Beatarum, Reſp. Dos generaliter accepta eſt perfectio corporis, aut Animæ; naturalis, vel ſupernaturalis; vnde dici ſolet, quod aliquis multis dotibus eſt ornatus. Specialiter autem accepta, Dos eſt donum Sponſæ nubenti datum; hinc dotes Animæ dicuntur, ſumpta metaphora à matrimonio carnali; & ſic poſſunt deſcribi: Sunt dona ſupernaturalia collata Animæ beatæ, tanquàm Chriſti Sponſæ. Sicut autem Sponſa in humanis poteſt dotari, tum à ſuis Parentibus, tum ab alijs; immò & ab ipſo Sponſo, qui ſi diues, & potens ſit, & ſibi deſponſet pauperem, non ſolet exigere dotem à parentibus ſponſæ; ſed ipſemet eam magnificè dotat. Sic equidem dotatur Anima noſtra de ſe egena; & à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; & ab ipſo Sponſo Chriſto; partim efficienter, quatenus eſt Deus, partim meritoriè, vt eſt Deus homo. Huiuſmodi autem Animæ beatæ dotes ſunt tres, vt paſſim tradunt Doctores; nempe viſio, quæ reſpondet fidei; comprehenſio, ſeu tentio, quæ ſpei; & fruitio, quæ reſpondet charitati; & licet in Chriſto non reperiantur hæ dotes, ſub ratione dotis; nam Chriſtus homo non eſt Sponſa Patris æterni; ſunt tamen in Chriſto ſecundùm ſubſtantiam, ſeù ſupetexcellenter. Immò nec in Angelis admittendæ ſunt dotes huiuſmodi ſub ratione dotis, vt potè, quæ reſpiciunt matrimonium inter Sponſum, & Sponſam; nam Angeli non ſunt Sponſæ Chriſti, vel Dei. Aliter ſiquidem coniungitur Chriſto Eccleſia hominum, & Eccleſia Angelorum; hæc namque ſola participatione gratiæ; illa verò etiam participatione naturæ; cum ergo ſponſalia, & matrimonium ſint inter perſonas eiuſdem ſpeciei, propriè matrimonium eſt inter Chriſtum Sponſum, & Eccleſiam hominum; eſtò lato modo admitti poſſit etiam inter Chriſtum, & Eccleſiam Angelorum; vt notat inter alios noſter Nicolaus de Nyſe in hac quæſtione, vbi alia plura habet, quæ videri poſſunt apud eundem Doctorem.

Cæte-

Cæterùm de Aureolis, & corporis glorioſi dotibus agetur Deo fauente, in 4. part. in diſp. de reſurrectione, & beatitudine ipſius corporis.

DISPVTATIO VI.

De Intellectu Diuino, & Scientia Diuina.

QVÆSTIO I.

Vtrum potentia intellectiua Dei diſtinguatur ab actuali intellectione Diuina.

NOt. 1. Quòd potentia operatiua, & productiua poteſt accipi dupliciter: vno modo pro per ſe ſignificato, quod eſt potentia; potentialitas autem ſecundum Mayronem Scoti Diſcipulum dicitur reſpectus aptitudinalis; aut fundamentalis alicuius potentis ad aliquod poſſibile; aptitudinalis eſt ad aliqua, quæ non ſunt in actu: fundamentalis dicitur illa natura, vel perfectio naturalis, in qua fundatur illa potentialitas, ſic pòtentia generandi in Patre. Inſuper diuiſio reſpectus in formalem, & fundamentalem non eſt eadem cum diuiſione in reſpectum actualem, & aptitudinalem; in Deo enim non eſt reſpectus aptitudinalis, quia ea, quæ ſunt in Deo, non ſunt apta ad aliqua, quæ actu non habent; ſed benè ſunt ibi reſpectus fundamentales, qui etiam dici poſſunt actuales; quia ſunt actualiter in Deo, ſicut potentia generandi, ſpirandi &c. Vnde reſpectus aptitudinales dicuntur fundamenta illa, quibus natum eſt in eſſe relatio, & non ineſt, vt ſi eſſet in mundo vnicum album in eo eſſet ſimilitudo aptitudinalis. Reſpectus autem fundamentales dicuntur illa fundamenta, quibus ineſſet relatio niſi infinitas, aut neceſſitas fundati repuguaret, & in hoc ſenſu intellectus dicitur potentia intellectiua.

Not. 2. Quod intellectus Diuinus nec eſt agens, ideſt agendo ſuper phantaſmata corporea, ſeù ſpecies materiales deriuatas ab obiectis; neque poſſibilis, quia notitia eſſentialis eſt improducta, & radicata in Diuina eſſentia; neque intellectus Diuinus eſt diſcurſiuus, quia in diſcur-

ſu requiruntur tria, nempe progreſſus ab vno ad aliud, idest ab vna cognitione ad aliam. Secundò quod poſterior cognitio oriatur à priori; cognitio namque concluſionis oritur à præmiſſis. Tertiò vt prima cognitio ſit notior poſteriori, eſt enim diſcurſus progreſſus à notioribus ad ignotiora: ſed hæc omnia excludenda ſunt à Deo, quia vnico, & ſimpliciſſimo actu infinito, omnia diſtinctè, & clarè cognoſcit, ac proindè non tranſit de noto ad ignotum, ſed omnia in ſua eſſentia noſcit. Eſt tamen intellectus Diuinus in Deo ſub ratione potentiæ, ſeù principij intellectiui diſtincti formaliter ab intellectione eſſentiali. Nàm intellectus poteſt concipi ſine intellectione; in primo enim ſigno, ſeù inſtanti naturæ concipitur Deus, vt Deus; in ſecundo vt habens intellectum; & in tertio, vt intelligens: ex quo infertur euidenter, non eſſe idem formaliter intellectum, & intellectionem diuinam.

Conc. Admittenda eſt in Deo potentia intellectiua ab eſſentia Diuina, & intellectione formaliter diſtincta. Eſt Scoti in 1. d.13. 26. q. vn. d.8. q.4. & alibi. Quod intellectus diſtinguatur ab eſſentia Diuina probatum eſt ſupra, agendo de attributis: Prob. igitur, quòd diſtinguatur formaliter ab intellectione. Potentia intellectiua eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, nullam in ſuo conceptu inuoluens imperfectionem, ergo eſt in Deo admittenda. Prob. ant. Meliùs eſt habere vim intelligendi, quàm non habere, & omnes illas perfectiones, quas præſefert creata intellectio, præſertim, quod ſit actus diſtinctus ab intellectu: ergo in Deo eſt admittenda potentia intellectiua, & intellectio formaliter diſtincta &c.

Confirmatur. Omnes Aduerſarij fatentur in Deo reperiri intellectum per modum potentiæ productiuæ Verbi Diuini; ergo non apparet ratio, quare non ſit admittenda in Deo potentia intellectiua; non quidem productiua intellectionis, ſed tantum illius operatiua, ſeù perfectio, ex qua velut à radice alia perfectio metaphyſicè emanat.

Prob. 2. Vt verè intelligatur potentia intellectiua in Deo per modum actus primi ſufficit, quod concipiatur vis intelligendi, non concepta eſſentia Diuina, & actuali intellectione: ſed poteſt concipi illa vis, abſque eo quod concipiatur eſſentia, vel actualis intellectio; poteſt namque

que concipi Deus vt ſubſtantia ſpiritualis, prædita virtute intelligendi, & volendi; non conſiderando eius prædicata eſſentialia, nec eius actualem intellectionem, erg. &c.

Arg. cont. conc. prob. quod intellectio non diſtinguatur formaliter à potentia intellectiua, & è contra. Potentia intellectiua, ſeù actus primus intelligendi repugnat Deo: ergo non eſt admittenda diſtincta ab actuali intellectione. Prob. ant. Actus primus intelligendi prout diſtinguitur ab actu ſecundo, conſtituitur formaliter per virtutem productiuam, & receptiuam intellectionis: ſed hoc includit diſtinctionem realem, quia vbi eſt productio, ibi eſt diſtinctio realis: ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. probationis. Aduerſarij enim non intelligunt noſtram ſententiam; eò quia non aſſerimus, intellectum Diuinum eſſe productiuum, & receptiuum, ſed tantum operatiuum circa diuinam eſſentiam, intellectione eſſentiali, quæ eſt improducta.

Arg. 2. Sola Eſſentia Diuina eſt ſufficientiſſima radix intellectionis: ergo fruſtrà fingitur, & ſuperadditur ei intellectus habens rationem actus primi, ſeù potentiæ.

Reſp. neg. aſſumptum in antec. Nàm, licet Deus ſicut etiam Angelus ſit eſſentialiter intellectiuus radicaliter, vt, & volitiuus, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis intellectualis, attamen admittenda eſt potentia indiſtincta realiter, magis determinata, ideſt intellectus ad intelligendum, & voluntas ad volendum: neque hoc repugnat Diuinæ eſſentiæ, ſicut non repugnat determinari per alias perfectiones, & per perſonalitates, cum non determinatur tanquam potentia perfectibilis per actum perfectiuum, ſed tanquam purus actus non vltimus per actum vlteriorem. Immò hoc eſt neceſſarium ad diſtinctionem diuinarum proceſſionum, quorum vtraque eſt per eſſentiam, ſed vna per intellectum, altera per voluntatem.

Arg. 3. Diuina eſſentia debet conſtitui per conceptum perfectiſſimum vitæ: ſed conceptus perfectiſſimus vitæ conſiſtit potiùs in actu ſecundo, quàm in actu primo; ſicut intelligere eſt perfectius, quàm poſſe intelligere, ergo &c.

Confirmatur. Quia in hoc ſenſu Patres dicunt, ſolùm Deum per eſſentiam eſſe intelligentiam, vt loquitur Maximi-

ximinus apud Euthymium, & D. Auguſt. 15. de Trinitate cap. 13. ait, *In Deo non eſſe aliud ſapere, quam eſſe*, ergo &c.

Reſp. neg. min. nempe conceptum vitæ infinitè perfectæ (de qua hìc agitur, aliter non eſſet ad propoſitum) in actu ſecundo non eſſe perfectiorem conceptu vitæ infinitè perfectæ in actu primo, ſunt enim æqualis perfectionis, vti ſunt æquè infiniti ex parte obiecti. Ad Confirmationem reſp. Soli Deo conuenire eſſentialiter, ſic eſse intellectuale, vt ſit realiter ſuum intelligere, & idem realiter in eo ſit ſapere, & eſse; quod non poteſt competare creaturis, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit obiectum primarium Diuini Intellectus.

NOt. 1. Quòd obiectum adæquatum Diuini intellectus eſt omne intelligibile; ſicut Diuinæ Voluntatis obiectum adæquatum eſt omne poſſibile. Iſtud autem obiectum diuiditur in obiectum primarium motiuum, quod eſt Diuina eſſentia præciſa à perfectionibus attributalibus, & in ſecundarium, de quo agetur in ſequenti quæſtione. Verùm, etſi nos cum Scoto aſseramus, eſſentiam Diuinam eſſe obiectum primarium, tamen alij aliter à nobis ſentiunt. Quidam enim affirmant omnia illa, quæ formaliter in Deo ſunt, ſiue eſsentialia, ſiue attributalia, ſiue abſoluta, ſiue relatiua ſpectare ad obiectum primarium. Alij volunt relationes Diuinas, non verò attributa eſse ſub ratione obiecti ſecundarij.

Not. 2. Quod hoc eſt diſcrimen inter cognitiones, quibus res aliqua dicitur in ſe ipſa, vel in alia, vel ex alia cognoſci: Tunc cognoſcitur in ſe ipſa, quando ſibi ipſi eſt primaria, & ſufficiens ratio, tum ad ſui, tum ad ea, quæ in ipſa cognitione habentur. Dicitur in alio cognoſci, quando cognoſcitur illud directè, in quo res ipſa cognoſcenda continetur; ſic, v.g. cognita directè eſsentia, indirectè cognoſcuntur proprietates ab illa emanantes, & directè cognita cauſa, indirectè noſcitur effectus, cuius eſt grauida. Denique tunc cenſetur ex alia cognoſci, quando nimirum vnius cognitio alterius cognitionem gignit, & ſic concl. cognoſcitur ex præmiſſis.

I. Conc.

I. Concluſio. Eſsentia Diuina eſt obiectum primarium, nedum primitate dignitatis, & ordinis, ſed etiam virtutis intellectus Diuini, tàm ad ſui, quam ad creaturarum cognitionem. Eſt Scoti pluribi, & ſignanter quæſtion. 3. Prologi, vbi expreſsè docet, eſsentiam diuinam eſse primum obiectum totius Theologicæ, ſeu ſcientiæ Dei. Totius, inquit, Theologiæ in ſe, & Dei, & Beatorum primum ſubiectum eſt eſsentia, vt hæc. Eadem repitit in 1. diſt. 3. quæſt. 3. vbi ſic docet. Sicut autem prædictum eſt in quæſtione de obiecto Theologiæ, eſsentia Diuina, ideò eſt primum obiectum intellectus Diuini, quia ipſa ſola mouet intellectum Diuinum ad cognoſcendum ſe, & omnia alia cognoſcibilia ab ipſo intellectu. Denique in quol. 15. ait in fine art. 2. lapidem videri in eſsentia Diuina, vt obiectum ſecundarium in primo obiecto mouente proprium intellectum ad intellectionem ſecundi.

Probatur ratione. Illud eſt ſtatuendum obiectum primum motiuum intellectus Diuini, quod eſt omne ens intelligibile, continens in ſe, aut formaliter, aut virtualitèr omnium rerum intelligibilitates; ſed ſola eſsentia Diuina eſt huiuſmodi: ergo &c.

Probatur quoad creaturas. Si in viſione eſsentiæ Diuinæ formaliter non contineretur notitia creaturarum, eſſet terminatio ad eſsentiam ex ſua ratione formali limitata, vt potè non extendens ſe ad omne verum, ideſt intelligibile; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. Tum quia accipere cognitionem à creatura dicit imperfectionem in intellectu Diuino, ideoquè Doctores cum Scoto q. 3. Prol., & alibi dicunt, quod vileſceret intellectus Diuinus, ſi acciperet cognitionem à creaturis, tanquam à primo, & immediato termino, aut motiuo.

II. Conc. Deus cognoſcit ſe in ſe ipſo, non verò in alio, neque ex alio. Hæc traditur à SS. Patribus, & eſt euidens ratione. Nam Deo tribuendus eſt modus præſtantiſſimus cognitionis, ſed præſtantius eſt cognoſcere ſe ipſum, & alia in ſe, quia ſic cognitio non eſt dependens, neque diſcurſum inuoluit: ergo Deo talis modus cognitionis eſt tribuendus.

Arg. contra conc. 1. Scientia Dei eſt ſimpliciter infinita, ergo primarium eius obiectum debet eſse pariter infi-

nitum

nitum, & omnibus ſuis perfectionibus conſtans: ſed talis non eſt eſsentia Diuina præciſa ab attributis, ergo non ſola eſsentia Diuina vt ſic eſt obiectum primarium Diuini intellectus. Reſp. diſting. primum conſ. obiectum primarium debet eſse ſimpliciter infinitum, vel formaliter vel radicaliter conc. conſ. formaliter ſolum, nego: licet enim eſsentia Diuina præciſa ab attributis non concipiatur in primo ſigno infinita formaliter, eſt tamen ſimpliciter infinita radicaliter, quia ipſa eſt radix, & pelagus omnium perfectionum.

Arg. 2. Si ſola eſsentia haberet rationem obiecti primarij; attributa verò, & relationes obiecti ſecundarij, ſequeretur, quod Diuina ſcientia poſset terminari ad eſsentiam, & non ad attributa; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. mai. patet; quia quando aliqua potentia habet duo obiecta, quorum vnum eſt primarium, & alterum ſecundarium, poteſt abſque repugnantia terminari ad primarium, abſque eo, quod terminetur ad ſecundarium, vt docet Scot. in 1. diſt. 14. Minor etiam eſt manifeſta, quia tunc cognitio Diuina eſset abſtractiua; nec eſset comprehenſiua, & illimitata, & infinita. Reſp. diſting. mai. Si Diuina cognitio non eſset neceſsariò comprehenſiua, conc. ſecùs nego; Accedit etiam, quod Diuina eſsentia neceſsariò mouet ad ſui, & omnium aliorum cognitionem, ac proinde non poteſt terminari ad ſolam eſsentiam. Cæterùm ſi attributa comparentur ad obiectum creatum potiùs habent rationem obiecti primarij; ac proinde dicenda ſunt obiectum ſecundarium tantum ſecundum quid.

Arg contra 2. conc. Deus cognoſcit creaturas comprehenſiuè; ac proinde cognoſcit ordinem eſsentialem, quem dicunt ad Creatorem: ſed talis ordo, ſeù reſpectus, cognoſci nequit, niſi cognoſcatur Deus, qui eſt terminus huius ordinis, & cognitionis, erg. Deus cognoſcit ſe in creaturis.

Reſp. diſting. mai. cognoſcit, vt in obiecto ſecundario, & terminatiuo conc. vt in obiecto primario, & mouente nego mai. & ſic pariter reſponderi poteſt ad alias obiectiones.

(✠)(†)(✠)

QVÆSTIO III.

Quodnam ſit obiectum ſecundarium D. Intellectus.

NOt. Non leuem apud Veteres fuiſſe controuerſiam; an Deus cunctas creaturas intueatur, & cognoſcat. Et quidem non ſolum ſcelerati homines denegarunt talem cognitionem Deo, vt habetur in Iob cap.22. *Circa Cœli cardines perambulat, & noſtra non conſiderat*: Et in pſal.71. *Quemmodo ſcit Deus & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Sed etiam ſapientiores Phyloſophi aſſeruerunt cognitionem minutarum creaturarum Deum dedecere. Id docuit Ariſt. teſte Scoto 12. metaph. & Aueroes &c.

Cæterùm, & ſi omnes Theologi vnanimi conſenſu fateantur, Deum omnes creaturas, etiam viliores, cognoſcere perfectiſſimè; diſcrepant tamen inter ſe de modo, quo Deus illas percipit. Quidam enim putant, quod Deus creaturas poſſibiles non agnoſcat in ſe ipſo, ſed in illis ipſis, quam ſententiam nonnulli Thomiſtæ tribuunt Scoto. Aliqui cum Aureolo in 1. diſt. 35. art. 1. q. 2. affirmant, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo ſecundum eſſe virtuale, & eminentiale, non verò ſecundum eſſe formale, & entitatiuum. Cæteri denique ſentiunt, creaturas à Deo cognoſci non ſolum in ſe ipſo, ſed etiam in illis ipſis: quid autem tenendum ſit ſecundum noſtram Scholam, oſtendent concluſiones ſequentes.

I. Conc. Deus cognoſcit omnes creaturas etiam minutiſſimas diſtinctè, & perfectiſſimè. Hæc eſt de fide, & habetur expreſsè in vari s locis Sac. Scripturæ, & præſertim pſal.138. *Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam &c.* Gen. cap. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ad Hebr.4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Hanc eandem veritatem tradunt omnes Sancti Patres, & Theologi, ideò &c.

II. Conc. Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo, tanquam in medio prius cognito. Eſt Scoti q. 14. quol. art.2. vbi diffusè hanc materiam tractat; & in 3. diſt.14. q.2. & q.3. prol. vbi ſic docet. Ideò dico aliter, quod diuina Theologia eſt de omnibus cognoſcibilibus, quia obiectum pri-

mum Theologiæ, quod eſt Deus, facit omnia alia cognita actu in intellectu Diuino: idem tradit in pluribus alijs locis: in quibus apertè oſtenditur, falſum eſſe, quod immeritò nonnulli Thomiſtæ, & ſignanter Caietanus attribuit Scoto, vt ſupra notauimus. Prob. 1. auct. D. Dionyſ. lib. de Diuin. Nomin. *Neque enim ea, quæ ſunt, ex his, quæ fiunt, diſcens noſcit Diuina mens, ſed ex ſe ipſa, & in ſe ipſa ſecundum cauſam omnium ſcientiam, & notionem, & eſſentiam præhabet, & comprehendit.* Et addit. *Seipſam igitur Diuina Sapientia noſcens, ſcit omnia materialia, ſine materia, & indiuisè diuiſibilia, & vnitè multa, ipſo vno omnia, & cognoſcens, & producens*; cui conſonat D. Aug. lib. 5. Gen. ad litt. qui proferens illud Ioann. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat, ait. In qua vita vidit omnia, quando fecit, & ſicut vidit, ità fecit, non præter ſeipſum videns ſed in ſe ipſo*; ergo &c.

Prob. ratione. Nobiliori modo Deus cognoſcit creaturas, quam cognoſcant Angeli, & Animæ ſeparatæ, & beatæ: ſed Angeli, & Animæ beatæ creaturas cognoſcunt perfectiori modo in eſſentia Diuina, quam in ſe ipſis, vt teſtatur S. Auguſt. loquendo de cognitione matutina, & veſpertina Angelorum: ergo &c.

Prob. 2. Quod eſt medium ſufficiens ad cognitionem comprehenſiuam cauſæ, poteſt etiam eſſe medium ad comprehenſionem effectuum, ſed Deus in ſe ipſo eſt medium ad comprehenſionem omnipotentiæ, & eſſentiæ: ergo & omnium effectuum poſſibilium. Tum quia cognitio Diuina debet neceſſariò habere obiectum formale motiuum, à quo ſpecificetur: ſed hoc non poteſt eſſe creatura, ergo &c.

III. Conc. Non eſt etiam improbabile, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſis, hoc eſt ſecundum ſuum proprium eſſe; ſed tanquam obiectum terminatiuum. Hanc docent Fraſſen. in tract. 2. de intellectu Diuino, & Herincx ibidem quęſt. 2. §. nihilominus Prob. intellectus D. cognoſcit res ſecundùm omne earum eſse intelligibile, ſed creaturæ non ſolum habent eſse eminentiale, & virtuale in eſſentia Diuina, ſed etiam eſſe formale in ſe ipſis: ergo Deus videt creaturas etiam ſecundum eſse ſuum proprium, & formale. Etenim Beati vident illas cognitione matutina in Verbo, & veſpertina in ſe ipſis; ergo non eſt impoſſibile

Deum

Deum videre creaturas ſecundùm eſse proprium, & formale vt obiectum terminatiuum.

Arg. cont. 2. conc. Diuina Eſſentia nequit repræſentare creaturas in ſe ipſa: ergo intellectus Diuinus nequit in eſsentia Diuina illas videre. Prob. ant. Non poteſt eſsentia repræſentare creaturas in eſſe intelligibili, niſi contineat eorum eſſe intelligibile formaliter, vel ſit eis ſimilis in eſse intelligibili; ſed neutrum eſt dicendum; non primum quia creatura eſſet formaliter in Deo, quod eſt falſum; neque ſecundum, quia eſſe intelligibile ſequitur eſse entitatiuum, ergo &c. Reſp. neg. ant. & mai. prob. & ratio eſt quia Eſsentia Diuina cum ſit entitas infinita continet in ſe ipſa, non quidem formaliter, ſed eminenter, & virtualiter omnes creatutas, ac proinde illas reddit intelligibiles intellectui Diuino.

Arg. 2. Inter medium cognoſcendi, & rem cognitam debet eſſe neceſsaria connexio; ſed talis connexio non reperitur inter Deum, & creaturas poſſibiles: ergo &c. mai. pat. min. prob. Si D. eſsentia neceſſariam connexionem haberet cum creaturis poſſibilibus, ſequeretur, quod illis deſtructis, neceſſariò periret etiam Eſſentia Diuina, quod videtur maximum abſurdum: ergo &c.

Reſp. conc. mai. & neg. min. ad prob. diſt. conſ. ſeu ſequelam; Deſtructis illis deſtrueretur etiam eſsentia Diuina à priori, & per locum intrinſecum nego: à poſteriori, & per locum extrinſecum conc. Non enim eſse poſſibile creaturarum eſt aliquid reale in Deo à Diuina Eſſentia diſtinctum, & in ipſa omnipotentia, ac proinde ſi per impoſſibile non eſsent poſſibiles creaturę, non ſequeretur perire Deitatem ipſam, vt alibi dicetur, & præſertim in illa quæſtione: An Verbum producatur ex cognitione creaturarum &c.

Arg. à Thomiſtis contra 3. conc. Hæc concluſio militat apertè contra Sanctos Patres, docentes, Deum non videre creaturas in ſe ipſis, ſed eminenter, & virtualiter, & præſertim contra D. Dionyſ. dicentem, quod *Deus non ſecundum viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundum cauſæ continentiam ſcit omnia*: ergò &c. Reſp. Sanctos Patres docere, Diuinum intellectum non accipere cognitionem à rebus ſingulis, vt paulò ante indicauimus; non verò Intellectum

Diuinum non cognoſcere creaturas in ſenſu noſtræ concluſionis. Vnde D. Dionyſ. ſolum vult, quod Deus non ſeipſum nouerit cognitione diſtincta ab ea, quam habet de creaturis; ità vt duplicem requirat cognitionis actum, vnum, quo creaturas, alterum, quo ſeipſum percipiat, ſed vnico actu ſimplici, & infinito omnia comprehendat.

Arg. 2. In Deo infinitè perfecto, non eſt admittendus duplex modus cognoſcendi creaturas, quorum vnus ſit perfectior altero; ſed modus cognoſcendi creaturas in eſſentia Diuina, tanquam in cauſa, eſt perfectior, quam modus illas cognoſcendi in ſe ipſis immediatè: ergo præter modum cognoſcendi creaturas poſſibiles in Eſſentia Diuina, tanquam in cauſa, non debet admitti alius, quo eas immediatè, & independenter ab eſſentia ſua priùs cognita proſpiciat, & percipiat. Reſp. diſt. mai. Non poteſt admitti duplex modus &c. ſi vterque habeat rationem obiecti per ſe mouentis ad illam cognitionem, & fiat per diſtinctum actum, vt fit cognitio Angelica, & beatifica, conc. mai. duplex modus &c. ratione diuerſæ terminationis immediatæ ad diuerſa obiecta, nempè ad eſſentiam, & ad creaturas, nego; nàm huiuſmodi diuerſus modus cognoſcendi nullam imperfectionem, vel minorem perfectionem includit; immò connotat ſummam Diuini intellectus vim, & infinitam actiuitatem.

Arg. 3. Si Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſe ipſis, & independenter ab Eſſentia D. priùs cognita, obiectum formale, & ſpecificatiuum D. intellectionis eſſet ens creatum, vel ens abſtrahens ab increato, & creato; ſed hoc dici nequit: ergo nec illud: ſequela mai. eſt euidens; nàm illud cenſetur eſſe obiectum formale, & primarium alicuius potentiæ, vel operationis, quod primariò, & immediatè ab illa attingitur, & independenter ab alio cognito, vt patet de potentia viſiua, cuius obiectum formale, & primarium eſt color, ſecundarium verò, ſeù materiale eſt paries. Reſp. diſting. ſequelam mai. Ens creatum eſſet obiectum ſpecificatiuum D. intellectionis, ſi per ſe primò D. intellectum moueret ad ſui cognitionem, conc. ſi per ſe primò non moueat, ſed ſolummodò terminat ipſam, nego ſequelam. Itaque creaturæ nullam rationem motiuam habent, immò nec terminatiuam independenter ab

Eſſen-

Eſſentia Diuina, adeòut non cognita Eſſentia Diuina, nec cognoſcantur terminatiuè creaturæ.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex ſit Scientia Diuina.

NOt. Quòd ſcientia D. ſumi poteſt dupliciter, nempè formaliter, & ſic nil aliud eſt, quam eſſentia Diuina ſe habens per modum actus intelligendi, & terminatiuè, & ſic eſt eadem ſcientia, & ſolummodò diuerſa, quatenùs diuerſa obiecta reſpicit diuerſo modo, & ad illa terminat, ſiue ſit eſſentia D. & omnia, quæ ſunt in illa, ſiue ſint creaturæ, quæ ſunt aliquo modo extra eſſentiam Diuinam.

Concl. Scientia Dei formaliter ſumpta, & ſecundum ſuam realem entitatem eſt vna; ſpectata verò terminatiuè, eſt multiplex. Prob. 1. pars: Scientia Dei eſt infinita; ergo per vnum actum debet intelligere omnia intelligibilia, alioquin ſi per vnam ſcientiam vnum obiectum intelligeret, & per aliam aliud obiectum, quælibet ſcientia eſſet finita: ergo eſt tantùm vna, & ratione ſuæ infinitatis, & ratione obiecti formalis, nempe Eſſentiæ Diuinæ, quæ eſt vna.

Prob. 2. pars ex communi doctrina Theologorum, qui docent, ſcientiam Diuinam diuidi in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & eſt ea, qua Deus cognoſcit res poſſibiles; & in ſcientiam viſionis, qua Deus cognoſcit res futuras: v. g. antequam Mundus per decretum Diuinæ voluntatis eſſet futurus, erat tantùm poſſibilis, & Deus cognoſcebat illum ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, at poſt decretum futuritionis illum cognouit ſcientia viſionis. Quarè ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt naturalis, & neceſſaria antecedens decretum Diuinę voluntatis; ſcientia verò viſionis eſt libera; ac proindè ſequitur decretum Diuinę voluntatis, quæ ita decreuit futuritionem mundi, vt potuerit eam non decernere &c.

Arg. Iſta diuiſio non includit ſcientias approbationis, & reprobationis, quæ in Deo ſunt, ergo talis diuiſio non eſt ſufficiens. Reſp. neg. ant. Nàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis ſubdiuiduntur in ſcientiam

tiam approbationis, & reprobationis: ſi enim ſit bonum illud, quod Deus videt poſſibile, vel futurum decernit, dicitur ſcientia approbationis; ſi autem ſit malum, dicitur reprobationis. Inſuper ſcientia poſſibilium vocatur ſpeculatiua, quia Deus cognoſcit illa, & non efficit, è contra ſcientia viſionis dicitur practica, quia cognoſcit, & efficit.

Arg. 2. Diuiſio aſſignata non includit ſcientiam conditionatam, qua Deus cognoſcit res, quæ non ſunt abſolutè futuræ, ſed tantùm ſub conditione, ergo non eſt bona.

Reſp. neg. ant. quia ſcientia conditionata reducitur ad ſcientiam viſionis: res enim futuræ, quæ ſunt obiectum ſcientiæ viſionis, vel ſunt abſolutè futuræ, vel futuræ conditionatè; & ſic ſcientia viſionis duplex eſt, altera abſoluta, quæ terminatur ad futura abſoluta, altera conditionata, quæ reſpicit futura conditionata, vt infrà magis explicabitur.

QVÆSTIO V.

Vtrum Res poſſibiles ſint intelligibiles ex ſe, priuſquàm ab Intellectu Diuino cognoſcantur.

NOt. 1. Quod triplex eſſe creaturarum poteſt diſtingui. Primum quidem virtuale, & eminentiale, quod habent in Eſſentia, & Omnipotentia Diuina, quæ poteſt eas producere. 2. eſſe cognitum, & obiectiuum, quod habent in intellectu Diuino res omnes ab æterno cognitæ. 3. denique entitatiuum, quod habent in ſe ipſis, dum verè, & realiter exiſtunt: hìc non eſt ſermo de eſſe virtuali, & eminentiali, nec entitatiuo, ſed de eſſe cognito, ſeù obiectiuo. Hoc autem eſſe cognitum ſumi poteſt dupliciter: primò pro ipſa Diuina cognitione, qua Deus cognoſcit creaturas poſſibiles. 2. pro illa denominatione extrinſeca, quę dicitur eſſe cognitum, ſeù eſſe obiectiuum. Certum eſt autem duo priora eſſe, nempe eſſe poſſibile, ac eſſe cognitum eſſe in Deo realia: realiter enim Deus creaturas cognoſcit, & virtutem habet eas producendi. Vnde ſola reſtat difficultas de tertio: an ſcilicet creaturæ habeant ab æterno aliquod eſſe entitatiuum reale.

Not.

Not. 2. ex Scoto in 1. diſt. 43. q. vn. quod in detegenda rerum poſſibilitate diſtingui poſſunt tria inſtantia naturæ, in quorum primo D. intellectus producit creaturas in eſſe intelligibili, & obiectiuo: in ſecundo creatura concipi poteſt habere eſſe poſſibile ſe ipſa, quia, inquit Doct. ſeipſa formaliter non repugnat ſibi, eſſe, & ſe ipſa ſibi formaliter repugnat habere eſſe neceſſarium ex ſe, in quibus duobus ſtat tota ratio poſſibilis: in tertio creatura dicit reſpectum ad omnipotentiam Diuinam, à qua produci poteſt. In primo inſtanti habet poſſibilitatem metaphyſicam: in ſecundo logicam, & in tertio phyſicam, vt docet ibidem Scotus. Ex quibus infertur iuxta doctrinam noſtri Doctoris, creaturas habere eſſe poſſibile principiatiuè ab intellectu Diuino, formaliter à ſe ipſis, & completè à reſpectu, quem dicunt ad omnipotentiam Diuinam.

Not. 3. Quòd non conueniunt Doctores circa præſentem quæſtionem: Henricus quol. 8. q. 1. tribuit creaturis aliquod reale eſſe eſſentiæ æternum, ratione cuius creaturæ dicuntur intelligibiles, & ab intellectu D. cognoſcuntur, quam ſententiam in Vvicleffo, vt errorem peſſimum refert, & damnat Valdenſis lib. 1. fidei cap. 8. quem pariter errorem tribuunt Scoto Caietanus p. p. q. 14. & Bannes q. 10. art. 3. Suarez diſp. 30. metaph. ſect. 17. duplicem diſtinguit rerum poſſibilitatem; vnam negatiuam, quæ eſt non repugnantia rei, vt producatur, alteram poſitiuam, quæ conſiſtit in quadam extrinſeca denominatione proueniente ab omnipotentia Dei, à qua creaturæ denominantur formaliter poſſibiles; primam dicit idem Suarez habere ipſas creaturas, antequam intelligantur à Deo; poſterioriorem, dum cognitæ ſunt. Aureolus noſter in 1. diſt. 35. art. 4. affirmat, eſſe poſſibile creaturarum, non aliud eſſe, quam virtuale, ſeu eſſe cauſæ potentis eas producere. Et deniquè Vaſquez 1. p. diſp. 104. cap. 4. & 5. & omnes ferè Recentiores dicunt, creaturas eſſe poſſibiles ſaltem incompletè, independenter ab intellectu Diuino his prænotatis ſit.

I. Conc. Res poſſibiles nullum prorſus habent eſſe reale, formale ab æterno. Eſt Scoti expreſſa ſententia loc. citat. quam probat contra Henricum ſeptem rationibus; Verùm ad prolixitatem vitandam non omnes, ſed præcipuas aſſe-

ximinus apud Euthymium, & D. Auguſt. 15. de Trinitate cap. 13. ait, *In Deo non eſſe aliud ſapere, quam eſſe*, ergo &c.

Reſp. neg. min. nempe conceptum vitæ infinitè perfectæ (de qua hic agitur, aliter non eſſet ad propoſitum) in actu ſecundo non eſſe perfectiorem conceptu vitæ infinitè perfectæ in actu primo, ſunt enim æqualis perfectionis, vti ſunt æquè infiniti ex parte obiecti. Ad Confirmationem reſp. Soli Deo conuenire eſſentialiter, ſic eſse intellectuale, vt ſit realiter ſuum intelligere, & idem realiter in eo ſit ſapere, & eſse; quod non poteſt competare creaturis, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit obiectum primarium Diuini Intellectus.

NOt. 1. Quòd obiectum adæquatum Diuini intellectus eſt omne intelligibile; ſicut Diuinæ Voluntatis obiectum adæquatum eſt omne poſſibile. Iſtud autem obiectum diuiditur in obiectum primarium motiuum, quod eſt Diuina eſſentia præciſa à perfectionibus attributalibus, & in ſecundarium, de quo agetur in ſequenti quæſtione. Verùm, etſi nos cum Scoto aſseramus, eſſentiam Diuinam eſſe obiectum primarium, tamen alij aliter à nobis ſentiunt. Quidam enim affirmant omnia illa, quæ formaliter in Deo ſunt, ſiue eſsentialia, ſiue attributalia, ſiue abſoluta, ſiue relatiua ſpectare ad obiectum primarium. Alij volunt relationes Diuinas, non verò attributa eſse ſub ratione obiecti ſecundarij.

Not. 2. Quod hoc eſt diſcrimen in er cognitiones, quibus res aliqua dicitur in ſe ipſa, vel in alia, vel ex alia cognoſci: Tunc cognoſcitur in ſe ipſa, quando ſibi ipſi eſt primaria, & ſufficiens ratio, tum ad ſui, tum ad ea, quæ in ipſa cognitione habentur. Dicitur in alio cognoſci, quando cognoſcitur illud directè, in quo res ipſa cognoſcenda continetur; ſic, v.g. cognita directè eſsentia, indirectè cognoſcuntur proprietates ab illa emanantes, & directè cognita cauſa, indirectè noſcitur effectus, cuius eſt grauida. Denique tunc cenſetur ex alia cognoſci, quando nimirum vnius cognitio alterius cognitionem gignit, & ſic concl. cognoſcitur ex præmiſſis. I. Conc.

I. Concluſio. Eſsentia Diuina eſt obiectum primarium, nedum primitate dignitatis, & ordinis, ſed etiam virtutis intellectus Diuini, tàm ad ſui, quam ad creaturarum cognitionem. Eſt Scoti pluribi, & ſignanter quæſtion. 3. Prologi, vbi expreſsè docet, eſsentiàm diuinam eſse primum obiectum totius Theologicæ, ſeu ſcientiæ Dei. Totius, inquit, Theologiæ in ſe, & Dei, & Beatorum primum ſubiectum eſt eſsentia, vt hæc. Eadem repitit in 1. diſt. 3. quæſt. 3. vbi ſic docet. Sicut autem prædictum eſt in quæſtione de obiecto Theologiæ, eſsentia Diuina, ideò eſt primum obiectum intellectus Diuini, quia ipſa ſola mouet intellectum Diuinum ad cognoſcendum ſe, & omnia alia cognoſcibilia ab ipſo intellectu. Denique in quol. 15. ait in fine art. 2. lapidem videri in eſsentia Diuina, vt obiectum ſecundarium in primo obiecto mouente proprium intellectum ad intellectionem ſecundi.

Probatur ratione. Illud eſt ſtatuendum obiectum primum motiuum intellectus Diuini, quod eſt omne ens intelligibile, continens in ſe, aut formaliter, aut virtualitèr omnium rerum intelligibilitates; ſed ſola eſsentia Diuina eſt huiuſmodi: ergo &c.

Probatur quoad creaturas. Si in viſione eſsentiæ Diuinæ formaliter non contineretur notitià creaturarum, eſſet terminatio ad eſsentiam ex ſua ratione formali limitata, vt potè non extendens ſe ad omne verum, ideſt intelligibile; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. Tum quia accipere cognitionem à creatura dicit imperfectionem in intellectu Diuino, ideoquè Doctores cum Scoto q. 3. Prol., & alibi dicunt, quod vileſceret intellectus Diuinus, ſi acciperet cognitionem à creaturis, tanquam à primo, & immediato termino, aut motiuo.

II. Conc. Deus cognoſcit ſe in ſe ipſo, non verò in alio, neque ex alio. Hæc traditur à SS. Patribus, & eſt euidens ratione. Nam Deo tribuendus eſt modus præſtantiſſimus cognitionis, ſed præſtantius eſt cognoſcere ſe ipſum, & alia in ſe, quia ſic cognitio non eſt dependens, neque diſcurſum inuoluit: ergo Deo talis modus cognitionis eſt tribuendus.

Arg. contra conc. 1. Scientia Dei eſt ſimpliciter infinita, ergo primarium eius obiectum debet eſse pariter infinitum

nitum, & omnibus ſuis perfectionibus conſtans: ſed talis non eſt eſsentia Diuina præciſa ab attributis, ergo non ſola eſsentia Diuina vt ſic eſt obiectum primarium Diuini intellectus. Reſp. diſting. primum conſ. obiectum primarium debet eſse ſimpliciter infinitum, vel formaliter vel radicaliter conc. conſ. formaliter ſolum, nego: licet enim eſsentia Diuina præciſa ab attributis non concipiatur in primo ſigno infinita formaliter, eſt tamen ſimpliciter infinita radicaliter, quia ipſa eſt radix, & pelagus omnium perfectionum.

Arg. 2. Si ſola eſsentia haberet rationem obiecti primarij; attributa verò, & relationes obiecti ſecundarij, ſequeretur, quod Diuina ſcientia poſset terminari ad eſsentiam, & non ad attributa; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. mai. patet; quia quando aliqua potentia habet duo obiecta, quorum vnum eſt primarium, & alterum ſecundarium, poteſt abſque repugnantia terminari ad primarium, abſque eo, quod terminetur ad ſecundarium, vt docet Scot. in 1. diſt. 14. Minor etiam eſt manifeſta, quia tunc cognitio Diuina eſset abſtractiua; nec eſset comprehenſiua, & illimitata, & infinita. Reſp. diſting. mai. Si Diuina cognitio non eſset neceſsariò comprehenſiua, conc. ſecùs nego; Accedit etiam, quod Diuina eſsentia neceſsariò mouet ad ſui, & omnium aliorum cognitionem, ac proinde non poteſt terminari ad ſolam eſsentiam. Cæterùm ſi attributa comparentur ad obiectum creatum potiùs habent rationem obiecti primarij; ac proinde dicenda ſunt obiectum ſecundarium tantum ſecundum quid.

Arg contra 2. conc. Deus cognoſcit creaturas comprehenſiuè; ac proinde cognoſcit ordinem eſsentialem, quem dicunt ad Creatorem: ſed talis ordo, ſeù reſpectus, cognoſci nequit, niſi cognoſcatur Deus, qui eſt terminus huius ordinis, & cognitionis, erg. Deus cognoſcit ſe in creaturis. Reſp. diſting. mai. cognoſcit, vt in obiecto ſecundario, & terminatiuo conc. vt in obiecto primario, & mouente nego mai. & ſic pariter reſponderi poteſt ad alias obiectiones.

(✢✢)(†)(✢✢)

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quodnam ſit obiectum ſecundarium D. Intellectus.

NOt. Non leuem apud Veteres fuiſse controuerſiam;an Deus cunctas creaturas intueatur, & cognoſcat. Et quidem non ſolum ſcelerati homines denegarunt talem cognitionem Deo, vt habetur in Iob cap.22. *Circa Cœli cardines perambulat, & noſtra non conſiderat*: Et in pſal.71. *Quomodo ſcit Deus & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Sed etiam ſapientiores Phyloſophi aſſeruerunt cognitionem minutarum creaturarum Deum dedecere. Id docuit Ariſt. teſte Scoto 12. metaph. & Aueroes &c.

Cæterùm, & ſi omnes Theologi vnanimi conſenſu fateantur, Deum omnes creaturas, etiam viliores, cognoſcere perfectiſſimè; diſcrepant tamen inter ſe de modo, quo Deus illas percipit. Quidam enim putant,quod Deus creaturas poſſibiles non agnoſcat in ſe ipſo, ſed in illis ipſis, quam ſententiam nonnulli Thomiſtæ tribuunt Scoto. Aliqui cum Aureolo in 1. diſt.35. art. 1. q.2. affirmant, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo ſecundum eſse virtuale, & eminentiale, non verò ſecundum eſse formale, & entitatiuum. Cæteri denique ſentiunt, creaturas à Deo cognoſci non ſolum in ſe ipſo, ſed etiam in illis ipſis: quid autem tenendum ſit ſecundum noſtram Scholam, oſtendent concluſiones ſequentes.

I. Conc. Deus cognoſcit omnes creaturas etiam minutiſſimas diſtinctè, & perfectiſſimè. Hæc eſt de fide, & habetur expreſsè in vari s locis Sac. Scripturæ, & præſertim pſal.138. *Domine probaſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam &c.* Gen. cap. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ad Hebr.4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Hanc eandem veritatem tradunt omnes Sancti Patres, & Theologi, ideò &c.

II. Conc. Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo, tanquam in medio prius cognito. Eſt Scoti q. 14. quol. art.2. vbi diffusè hanc materiam tractat; & in 3. diſt.14. q.2. & q.3. prol. vbi ſic docet. Ideò dico aliter, quod diuina Theologia eſt de omnibus cognoſcibilibus, quia obiectum pri-

mum Theologiæ, quod eſt Deus, facit omnia alia cognita actu in intellectu Diuino: idem tradit in pluribus alijs locis: in quibus apertè oſtenditur, falſum eſſe, quod immeritò nonnulli Thomiſtæ, & ſignanter Caietanus attribuit Scoto, vt ſupra notauimus. Prob. 1. auct. D. Dionyſ. lib. de Diuin. Nomin. *Neque enim ea, quæ ſunt, ex his, quæ fiunt, diſcens noſcit Diuina mens, ſed ex ſe ipſa, & in ſe ipſa ſecundum cauſam omnium ſcientiam, & notionem, & eſſentiam præhabet, & comprehendit*. Et addit. *Seipſam igitur Diuina Sapientia noſcens, ſcit omnia materialia, ſine materia, & indiuiſè diuiſibilia, & vnitè multa, ipſo vno omnia, & cognoſcens, & producens*; cui conſonat D. Aug. lib. 5. Gen. ad litt. qui proferens illud Ioann. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat, ait. In qua vita vidit omnia, quando fecit, & ſicut vidit, ità fecit, non præter ſeipſum videns ſed in ſe ipſo*; ergo &c.

Prob. ratione. Nobiliori modo Deus cognoſcit creaturas, quam cognoſcant Angeli, & Animæ ſeparatæ, & beatæ: ſed Angeli, & Animæ beatæ creaturas cognoſcunt perfectiori modo in eſſentia Diuina, quam in ſe ipſis, vt teſtatur S. Auguſt. loquendo de cognitione matutina, & veſpertina Angelorum: ergo &c.

Prob. 2. Quod eſt medium ſufficiens ad cognitionem comprehenſiuam cauſæ, poteſt etiam eſſe medium ad comprehenſionem effectuum, ſed Deus in ſe ipſo eſt medium ad comprehenſionem omnipotentiæ, & eſſentiæ: ergo & omnium effectuum poſſibilium. Tum quia cognitio Diuina debet neceſſariò habere obiectum formale motiuum, à quo ſpecificetur: ſed hoc non poteſt eſſe creatura, ergo &c.

III. Conc. Non eſt etiam improbabile, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſis, hoc eſt ſecundum ſuum proprium eſſe; ſed tanquam obiectum terminatiuum. Hanc docent Fraſſen. in tract. 2. de intellectu Diuino, & Herincx ibidem quæſt. 2. §. nihilominus Prob. intellectus D. cognoſcit res ſecundùm omne earum eſse intelligibile, ſed creaturæ non ſolum habent eſse eminentiale, & virtuale in eſſentia Diuina, ſed etiam eſſe formale in ſe ipſis: ergo Deus videt creaturas etiam ſecundum eſse ſuum proprium, & formale. Etenim Beati vident illas cognitione matutina in Verbo, & veſpertina in ſe ipſis; ergo non eſt impoſſibile

Deum

Deum videre creaturas ſecundùm eſse proprium, & formale vt obiectum terminatiuum.

Arg. cont. 2. conc. Diuina Eſſentia nequit repræſentare creaturas in ſe ipſa: ergo intellectus Diuinus nequit in eſsentia Diuina illas videre. Prob. ant. Non poteſt eſsentia repræſentare creaturas in eſſe intelligibili, niſi contineat eorum eſſe intelligibile formaliter, vel ſit eis ſimilis in eſse intelligibili; ſed neutrum eſt dicendum; non primum quia creatura eſſet formaliter in Deo, quod eſt falſum; neque ſecundum, quia eſſe intelligibile ſequitur eſse entitatiuum, ergo &c. Reſp. neg. ant. & mai. prob. & ratio eſt quia Eſsentia Diuina cum ſit entitas infinita continet in ſe ipſa, non quidem formaliter, ſed eminenter, & virtualiter omnes creaturas, ac proinde illas reddit intelligibiles intellectui Diuino.

Arg. 2. Inter medium cognoſcendi, & rem cognitam debet eſſe neceſsaria connexio; ſed talis connexio non reperitur inter Deum, & creaturas poſſibiles: ergo &c. mai. pat. min. prob. Si D. eſsentia neceſſariam connexionem haberet cum creaturis poſſibilibus, ſequeretur, quod illis deſtructis, neceſſariò periret etiam Eſſentia Diuina, quod videtur maximum abſurdum: ergo &c.

Reſp. conc. mai. & neg. min. ad prob. diſt. conſ. ſeu ſequelam; Deſtructis illis deſtrueretur etiam eſsentia Diuina à priori, & per locum intrinſecum nego: à poſteriori, & per locum extrinſecum conc. Non enim eſse poſſibile creaturarum eſt aliquid reale in Deo à Diuina Eſſentia diſtinctum, & in ipſa omnipotentia, ac proinde ſi per impoſſibile non eſsent poſſibiles creaturę, non ſequeretur perire Deitatem ipſam, vt alibi dicetur, & præſertim in illa quæſtione: An Verbum producatur ex cognitione creaturarum &c.

Arg. à Thomiſtis contra 3. conc. Hæc concluſio militat apertè contra Sanctos Patres, docentes, Deum non videre creaturas in ſe ipſis, ſed eminenter, & virtualiter, & præſertim contra D. Dionyſ. dicentem, quod *Deus non ſecundum viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundum cauſæ continentiam ſcit omnia*: ergo &c. Reſp. Sanctos Patres docere, Diuinum intellectum non accipere cognitionem à rebus ſingulis, vt paulò ante indicauimus; non verò Intellectum

 Diui-

Diuinum non cognoſcere creaturas in ſenſu noſtræ concluſionis. Vnde D. Dionyſ. ſolum vult, quod Deus non ſeipſum nouerit cognitione diſtincta ab ea, quam habet de creaturis; ità vt duplicem requirat cognitionis actum, vnum, quo creaturas, alterum, quo ſeipſum percipiat, ſed vnico actu ſimplici, & infinito omnia comprehendat.

Arg. 2. In Deo infinitè perfecto, non eſt admittendus duplex modus cognoſcendi creaturas, quorum vnus ſit perfectior altero; ſed modus cognoſcendi creaturas in eſſentia Diuina, tanquam in cauſa, eſt perfectior, quam modus illas cognoſcendi in ſe ipſis immediatè: ergo præter modum cognoſcendi creaturas poſſibiles in Eſsentia Diuina, tanquam in cauſa, non debet admitti alius, quo eas immediatè, & independenter ab eſsentia ſua priùs cognita proſpiciat, & percipiat. Reſp. diſt. mai. Non poteſt admitti duplex modus &c. ſi vterque habeat rationem obiecti per ſe mouentis ad illam cognitionem, & fiat per diſtinctum actum, vt fit cognitio Angelica, & beatifica conc. mai. duplex modus &c. ratione diuerſæ terminationis immediatæ ad diuerſa obiecta, nempè ad eſsentiam, & ad creaturas, nego; nàm huiuſmodi diuerſus modus cognoſcendi nullam imperfectionem, vel minorem perfectionem includit; immò connotat ſummam Diuini intellectus vim, & infinitam actiuitatem.

Arg. 3. Si Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſe ipſis, & independenter ab Eſſentia D. priùs cognita, obiectum formale, & ſpecificatiuum D. intellectionis eſſet ens creatum, vel ens abſtrahens ab increato, & creato; ſed hoc dici nequit: ergo nec illud: ſequela mai. eſt euidens; nàm illud cenſetur eſſe obiectum formale, & primarium alicuius potentiæ, vel operationis, quod primariò, & immediatè ab illa attingitur, & independenter ab alio cognito, vt patet de potentia viſiua, cuius obiectum formale, & primarium eſt color, ſecundarium verò, ſeù materiale eſt paries. Reſp. diſting. ſequelam mai. Ens creatum eſſet obiectum ſpecificatiuum D. intellectionis, ſi per ſe primò D. intellectum moueret ad ſui cognitionem, conc. ſi per ſe primò non moueat, ſed ſolummodò terminat ipſam, nego ſequelam. Itaque creaturæ nullam rationem motiuam habent, immò nec terminatiuam independenter ab

Eſſen-

Eſſentia Diuina, adeò ut non cognita Eſſentia Diuina, nec cognoſcantur terminatiuè creaturæ.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex ſit Scientia Diuina.

NOt. Quòd ſcientia D. ſumi poteſt dupliciter, nempè formaliter, & ſic nil aliud eſt, quam eſſentia Diuina ſe habens per modum actus intelligendi, & terminatiuè, & ſic eſt eadem ſcientia, & ſolummodò diuerſa, quatenùs diuerſa obiecta reſpicit diuerſo modo, & ad illa terminat, ſiue ſit eſſentia D. & omnia, quæ ſunt in illa, ſiue ſint creaturæ, quæ ſunt aliquo modo extra eſſentiam Diuinam.

Concl. Scientia Dei formaliter ſumpta, & ſecundum ſuam realem entitatem eſt vna; ſpectata verò terminatiuè, eſt multiplex. Prob. 1. pars: Scientia Dei eſt infinita; ergo per vnum actum debet intelligere omnia intelligibilia, alioquin ſi per vnam ſcientiam vnum obiectum intelligeret, & per aliam aliud obiectum, quælibet ſcientia eſſet finita: ergo eſt tantùm vna, & ratione ſuæ infinitatis, & ratione obiecti formalis, nempe Eſſentiæ Diuinæ, quæ eſt vna.

Prob. 2. pars ex communi doctrina Theologorum, qui docent, ſcientiam Diuinam diuidi in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & eſt ea, qua Deus cognoſcit res poſſibiles; & in ſcientiam viſionis, qua Deus cognoſcit res futuras: v. g. antequam Mundus per decretum Diuinæ voluntatis eſſet futurus, erat tantùm poſſibilis, & Deus cognoſcebat illum ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, at poſt decretum futuritionis illum cognouit ſcientia viſionis. Quarè ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt naturalis, & neceſſaria antecedens decretum Diuinę voluntatis; ſcientia verò viſionis eſt libera; ac proindè ſequitur decretum Diuinę voluntatis, quæ ita decreuit futuritionem mundi, vt potuerit eam non decernere &c.

Arg. Iſta diuiſio non includit ſcientias approbationis, & reprobationis, quæ in Deo ſunt, ergo talis diuiſio non eſt ſufficiens. Reſp. neg. ant. Nàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis ſubdiuiduntur in ſcien-

Not. 2. ex Scoto in 1. diſt. 43. q. vn. quod in detegenda rerum poſſibilitate diſtingui poſſunt tria inſtantia naturæ, in quorum primo D. intellectus producit creaturas in eſſe intelligibili, & obiectiuo: in ſecundo creatura concipi poteſt habere eſſe poſſibile ſe ipſa, quia; inquit Doct. ſeipſa formaliter non repugnat ſibi, eſſe, & ſe ipſa ſibi formaliter repugnat habere eſſe neceſſarium ex ſe; in quibus duobus ſtat tota ratio poſſibilis: in tertio creatura dicit reſpectum ad omnipotentiam Diuinam, à qua produci poteſt. In primo inſtanti habet poſſibilitatem metaphyſicam: in ſecundo logicam, & in tertio phyſicam, vt docet ibidem Scotus. Ex quibus infertur iuxta doctrinam noſtri Doctoris, creaturas habere eſſe poſſibile principiatiuè ab intellectu Diuino, formaliter à ſe ipſis, & completè à reſpectu, quem dicunt ad omnipotentiam Diuinam.

Not. 3. Quòd non conueniunt Doctores circa præſentem quæſtionem; Henricus quol. 8. q. 1. tribuit creaturis aliquod reale eſſe eſſentiæ æternum, ratione cuius creaturæ dicuntur intelligibiles, & ab intellectu D. cognoſcuntur, quam ſententiam in Vvicleffo, vt errorem peſſimum refert, & damnat Valdenſis lib. 1. fidei cap. 8. quem pariter errorem tribuunt Scoto Caietanus p. p. q. 14. & Bannes q. 10. art. 3. Suarez diſp. 30. metaph. ſect. 17. duplicem diſtinguit rerum poſſibilitatem; vnam negatiuam, quæ eſt non repugnantia rei, vt producatur, alteram poſitiuam, quæ conſiſtit in quadam extrinſeca denominatione proueniente ab omnipotentia Dei, à qua creaturæ denominantur formaliter poſſibiles; primam dicit idem Suarez habere ipſas creaturas, antequam intelligantur à Deo; poſterioriorem, dum cognitæ ſunt. Aureolus noſter in 1. diſt. 35. art. 4. affirmat, eſſe poſſibile creaturarum, non aliud eſſe, quam virtuale, ſeù eſſe cauſæ potentis eas producere. Et deniquè Vaſquez 1. p. diſp. 104. cap. 4. & 5. & omnes ferè Recentiores dicunt, creaturas eſſe poſſibiles ſaltem incompletè, independenter ab intellectu Diuino his prænotatis ſit.

I. Conc. Res poſſibiles nullum prorſus habent eſſe reale, formale ab æterno. Eſt Scoti expreſſa ſententia loc. citat. quam probat contra Henricum ſeptem rationibus; Verùm ad prolixitatem vitandam non omnes, ſed præcipuas afferam

ram pro concluſione firmanda. Prob.1. Quicquid producitur per creationem, antequam producatur nihil eſt: ſed creaturæ productæ fuerunt per creationem: ergo ante ſuam productionem nihil erant: mai. pat. & eſt de fide ex 1. Geneſ. *In principio Deus creauit Cœlum, & Terram &c.*

Reſp. Aduerſarij creationem fieri ex nihilo exiſtentiæ, non autem ex nihilo eſſentiæ.

Contra arguit Scot. Creatio eſt productio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter: ſed quando ſupponit ſuum eſſe reale, non producitur ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed tantum ſecundùm quid, ideſt ad eſſe exiſtentiæ, ergo &c.

Prob. 2. ex Scoto in collat. n. 7. eſſentia, & exiſtentia creaturæ ſunt eædem realiter, vel non: Si ſint idem realiter, dum vna producitur & altera; ſi non, ergo ſunt ſeparabiles ab inuicem, quod videtur eſſe falſum. Reſp. Aliqui. Exiſtentiam eſſe æternam ſecundùm ſuum eſſe, ſed non ſecundum actualitatem exiſtendi. At hæc reſponſio eſt falſiſſima, quia in hoc ſenſu creatura non produceretur, nec quidem ſecundum exiſtentiam; ſi exiſtentia ab æterno haberet eſſe.

Prob. 3. Illud eſſe reale per vos, Henriciſtæ quod ab æterno creaturæ habent; vel eſſet à Deo communicatum, vel non: non primum, quia Deus non communicat eſſe niſi per productionem, & cum productio terminet ad exiſtentiam rei, ſequeretur, quod etiam creaturæ poſſibiles fuiſſent exiſtentes ab æterno, quod eſt contra fidem. Non ſecundum, quia totum eſſe creaturæ eſt à Deo participatum, & dependens: ergo &c.

Prob. 4. Si creatura ante ſui productionem haberet eſſe reale eſſentiale ab æterno; ſequeretur illam non poſſe anihilari, quia ſicut ante creationem ſupponitur eſſe, ſic poſt anihilationem remaneret: ſed hoc eſt manifeſtè falſum: ergo creaturę nullum habent eſſe reale eſſentiale ab ęterno.

II. Conc. Creaturæ poſſibiles nullum habent eſſe reale in ſe, ſed eſſe cognitum, ſeù obiectiuum, quod à Scoto vocatur eſſe diminutum; & ab ipſo declaratur exemplo Statuæ Cæſaris: Sicut enim Statua Cæſaris, quæ nunc produceretur, nihil producit eſſentiæ, & exiſtentiæ Cęſaris, & Cęſar nihil recipit in ſe ipſo per productionem Statuæ ipſum repræſentantis, ſed ſola Statua recipit in ſe repræſenta-

ſenta-

ſentationem realem ipſius Cæſaris: ita res ſe habet in noſtro propoſito. Cognitio D. producit in intellectu Diuino repræſentationem creaturarum ab æterno, ipſa autem repræſentatio nihil ponit reale in ipſis creaturis, ſed dicuntur habere aliquod eſſe non reale, & ſimpliciter, ſed diminutum, & ſecundum quid. Vnde Scotus in 1. diſt. 36. q. vn. in rep. ad 2. ſic ait. Dico quod productio iſta in eſſe cognito, eſt eſſe alterius rationis ab omni eſſe ſimpliciter, & non eſt relatio rationis tantum, ſed eſt fundamenti abſoluti; non ſimpliciter, ſed ſecundum quid &c. ex quo patet mens Scoti, & probata remanet concluſio.

Arg. contra 1. conc. Hæc propoſitio, homo eſt animal rationale, eſt vera ab æterno, ergo eſſentia hominis per eam ſignificata eſt realis ab æterno. Reſp. diſt. ant. eſt vera ab æterno, quatenùs res ſignificata erat obiectiuè in mente Diuina, conc. ſubiectiuè, ſeu realis in ſe, nego. Vel reſp. quod non loquimur hìc de eſſentia complexa, ſed de incomplexa.

Arg. 2. Scientia, qua Deus cognoſcit eſſentias creaturarum ab æterno eſt realis; erg. obiectum cognitum eſt reale: patet conſ. Tum quia correlatiua ſunt ſimul natura: ergo ſimul natura ſunt Deus cognoſcens creaturas, & creaturæ cognitæ: Tum, quia ſcientiæ ſpecificantur ab obiecto.

Reſp. conc. ant. & neg. conſeq. Quia realitas ſcientiæ Diuinæ non deſumitur ab obiecto ſecundario, quales ſunt creaturæ, ſed ab obiecto primario, ideſt ab eſſentia D.

Arg. 3. Scientia ſpeculatiua non producit ſuum obiectum, ſed illud ſupponit; at ſcientia, qua Deus cognoſcit creaturas poſſibiles eſt ſpeculatiua: ergo illas non producit, ſed ſupponit. Reſp. diſting. mai. Scientia ſpeculatiua non producit &c. in eſſe reali, & entitatiuo, quod habent in ſe conc. in eſſe intelligibili ſeu obiectiuo quod habent e in diuino intellectu, nego: neque in hoc videtur alia differentia inter intellectum noſtrum, & Diuinum, niſi, quod intellectus Diuinus producit illa intelligibilia in eſſe intelligibili primò; noſter non producit primò, ſed ſecundò.

Contra. Res ſunt priùs intelligibiles in eſſentia Diuina, quàm ab intellectu Diuino intelligantur; ergo non ſolum habent eſſe cognitum, ſed etiam entitatiuum.

Reſp.

Reſp. cum noſtro Baſolio in 1. diſt. 36. q. 1, art. 2. ſunt priùs intelligibiles formalitèr, & diſtinctè, ita vt in ipſa præluceant, velut in ſpeculo, nego ant. virtualiter, eminenter, & indiſtinctè, tanquam effectus in cauſa conc. Vnde ad hoc vt aliquod dicatur intelligibile formaliter debet actu repræſentari, vel in ſe ipſo, vel in ſpecie, qualiter non ſunt res poſſibiles.

Arg. vltimo ex Ariſt. & alijs Phyloſophis eſſentię rerum ſunt æternæ, inuariabiles, ingenerabiles &c. at tales non eſſent; ſi nihil reale ab æterno haberent: ergo &c.

Reſp. diſting. mai. Sunt æternæ ſecundum eſſe entitatiuum, nego. Secundum eſſe ideale, & obiectiuum, & virtuale conc. ant.

Arg. contra 2. conc. Creaturæ poſſibiles non ſunt purum nihil, ſed habent aliquid ſupra chimeram, quia chimeræ repugnat exiſtere, creaturis autem poſſibilibus non repugnat: ſed chimera eſt ens rationis, ergo creaturę ſecundum illud eſſe obiectiuum non ſunt ens rationis, quod dicitur eſſe diminutum. Reſp. Scot. loc. cit. dicens ſic. Prima igitur omninò ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini, non repugnat eſſe, eſt, quia formaliter eſt homo, & hoc ſiue in ſe realiter, ſiue in intellectu conceptibiliter; & prima ratio, quarè chimeræ repugnat eſſe, eſt chimera, in quantum chimera, hoc eſt ens impoſſibile. Aliter igitur ineſt illa negatio nihileitatis homini in æternitate, & chimeræ, & tamen non propter hoc eſt vnum magis nihil altero, quia ens reale de vtroque ab æterno verè negatur; ſicut tam verum eſt dicere, paries niger, non eſt albus, quam Angelus non eſt albus; eſtò Angelo repugnet non verò parieti. Itaque talis negatio in chimera negat poſſibilitatem, in homine negat non poſſibilitatem, ſed actualitatem eſſe.

Contra ex dictis deducitur. Scotum affirmare illud eſſe cognitum, & eſſe diminutum eſſe fundamentum relationis rationis, ergo ex mente Scoti, vel illud ens diminutum, non eſt rationis, vel Doctor ſibi ipſi contradicit.

Reſp. quod Scotus ideo illud ens diminutum appellat aliquod abſolutum, quia concipitur ad modum alicuius formæ reſultantis ex cognitione veri entis, quæ quidem forma reſultans eſſe concipitur, vt fundans relationem ad id, à quo reſultat, & ad id, quod denominat, quæ omnia

nihil

nihil realitatis habent, ſed ſunt, purum ens rationis, non fictum, ſed veluti per reſultantiam; ſicut ex viſione lapidis reſultat denominatio viſi in lapide, quæ eſt ens rationis materialiter, vt explicatur in logica in tract. de ente rationis; & ſic Intellectus D. intelligendo res poſſibiles format ens rationis per reſultantiam, & per denominationem extrinſicam, quæ fundatur quodammodò in creaturis cognitis.

QVÆSTIO VI.

Quomodo Deus cognoſcat creaturas poſſibiles.

NOt. 1. quod duplex eſt medium ducens in cognitionem alterius, vnum dicitur medium quò, quod eſt ratio cognoſcendi, ſed non cognita, qualis eſt ſpecies impreſſa, quæ non eſt obiectum cognitum, ſed ratio cognoſcendi: aliud eſt medium quod, & appellatur medium cognitum, quale eſt ſpeculum, quod priùs debet videri, quàm in eo videantur obiecta, quæ ipſum repræſentat: vt aliàs dictum eſt.

Not. 2. quod omnipotentia diuina conſiderari poteſt operatiua, vel in actu primo, nempe quatenus eſt illa diuina virtus, qua' Deus alia à ſe producere poteſt, & ſic prior eſt intellectu, & voluntate Dei, quatenus terminatur ipſamet voluntas ad obiecta ſecundaria, & ad creaturas cognitas, & volitas. Secundò; quatenus D. omnipotentia conſideratur, vt eſt actu operatiua, & productiua, & ſic poſterior eſt intellectu, & ſcientia; cum ſcientia Dei dirrigat omnipotentiam operantem in actu ſecundo, non verò operatiuam in actu primo: Vnde Deus de facto eſt omniſciens reſpectu creaturarum, quia eſt omnipotens, & ſi per impoſſibile non eſſet omnipotens, nec eſſet omniſciens eo modo, quo nunc eſt.

Conc. Creaturæ poſſibiles diſtinctè cognoſcuntur ab intellectu D. in D. eſſentia, & omnipotentia, in qua relucent, tanquàm effectus in cauſa potente illas producere, & repræſentare: Hæc eſt conformis doctrinæ Scoti, eamque tradit Fraſſen q. 2. de ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Prob. breuiter. In eo creaturæ poſſibiles cognoſcuntur

tanquam in medio cognito, in quo diſtinctum habent ſuum eſse intelligibile, & à quo poſsunt habere ſuum eſse reale, ſed vtrumque habent; primum in eſsentia D. ſecundum ab omnipotentia, ad quam ordinem habent, tanquam ad cauſam, à qua habent, quod ſint completè, & proximè poſſibiles, & producibiles; ergo &c.

Arg. contr. conc. Quod cognoſcitur tanquàm in cauſa vniuerſali, non cognoſcitur diſtinctè, ſed eſsentia D. & omnipotentia ſunt veluti cauſæ vniuerſales in ordine ad creaturas: ergo ſi creaturæ cognoſcuntur in eſsentia D. & omnipotentia, non cognoſcuntur diſtinctè, quod eſt manifeſtum abſurdum reſpectu intellectus D. Reſp. diſting. mai. quod cognoſcitur in cauſa generali, ſeu vniuerſali concurrente generaliter, vt ſol, qui dicitur cauſa vniuerſalis generationum, non cognoſcitur diſtinctè, conc. quod cognoſcitur in cauſa vniuerſali, non ſolum in genere, & in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo, vt intellectus D reuerà cognoſcit in eſsentia, neg. maiorem.

Arg. 2. Scientia Dei eſt prior omnipotentia, ſed ſi Deus in ſua omnipotentia cognoſceret creaturas, tanquam in medio prius cognito, ſcientia D. eſset poſterior, & non prior omnipotentia, ergo Deus non cognoſcit creaturas in omnipotentia: mai. eſt euidens, quia obiectum formale ſpecificans, & medium prius cognitum debent eſse prius cognitione; ergo ſi omnipotentia ſit medium, eſt prior &c. Reſp. diſting. mai. Scientia D. eſt prior omnipotentia operatiua in actu primo, neg. mai. eſt prior omnipotentia operatiua, & productiua, conc. mai. quia ſic ſcientia dirrigit omnipotentiam; vt dictum eſt notabili 2.

Contra. Omnipotentia non completur adęquatè in ratione potentiæ proximè operatiuæ, ergo etiam ſcientia Dei eſt prior omnipotentia operatiua in actu primo; ac proindè omnipotentia nequit eſse medium cognitum.

Reſp. diſting. ant. Omnipotentia non completur adæquatè in ratione potentiæ proximè operatiuæ, niſi per ſcientiam ſui directiuam, conc. ant. in actu primo, nego antecedens.

Quæres. Quid addat ſcientia viſionis ſuper ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Reſp. Scientia viſionis nil aliud addit ſupra ſcientiam ſim-

ſimplicis intelligentiæ, niſi ſolam terminationem, quę eſt reſpectus rationis. Ratio, quia Deus non ſolum cognoſcit ſuam eſsentiam, ſed percipit etiam omnia obiecta, quę relucent in ipſa eſſentia, & ad illa terminatur eo modo, quo relucent in ipſa Eſſentia Diuina. Quarè cum res poſſibiles repræſententur neceſsariò in Eſſentia Diuina: res verò futuræ contingenter tantum; ideò ſcientia Dei quatenùs fertur circa eſſentiam ſuam, & res poſſibiles eſt nenecesſaria, vt autem fertur circa res futuras eſt contingens, quia terminatur ad illas, contingenter; futuritio namque, cum dependeat à decreto Diuinæ Voluntatis, eſt contingens.

Cęterùm aduertendum, quod præfatę diuiſiones ſcientiæ D. in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, nec non in naturalem, & liberam in vno ſenſu coincidunt, & in alio non. Nàm ſi per ſcientiam ſimplicis &c. intelligamus eam, quæ antecedit quodcunquę decretum voluntatis D. ſiue abſolutum, ſiue conditionatum, & per ſcientiam viſionis intelligamus eàm, quæ omninò decreta ſubſequitur, ſiue abſoluta, ſiue conditionata; & ſic coincidunt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia naturalis; & ſimiliter ſcientia viſionis, & libera. At ſi eam explicemus, ait Maſtrius, iuxta morem Antiquorum Theologorum, qui eam conſiderarunt ſolum per ordinem ad creaturas, vel poſſibiles, qua dixerunt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel abſolutè futuras, quam appellarunt viſionis, non compræhendendo conditionatè futuras, de quibus nullam, vel raram fecerunt mentionem, in hoc quidem ſenſu non coincidunt. Nàm ſcientia libera latiùs patet, quàm ſcientia viſionis: ſcientia enim viſionis ſuper ſcientiam liberam addit exiſtentiam actualem rei in rerum natura aliquando futuram. Vnde omnis ſcientia viſionis eſt ſcientia libera, cum ſit poſt omnia decreta D. Voluntatis tam abſoluta, quam conditionata; ſed non è contra, quia ſcientia futuri conditionati eſt quidem libera, quia ſubſequitur decreta conditionata, ſed non eſt ſcientia viſionis, cum futurum conditionatum, quod eſt eius obiectum, non includat exiſtentiam actualem aliquando futuram, qua ratione Scot. in 3. diſt. 14. quęſt. 2. §. contra rationem huius poſitionis, ſcientiam conditionalem re-

uocat ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia, inquit, intellectus Animæ Chriſti poſſet cognoſcere in Verbo aliquod poſſibile futurum, nunquam fiendum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus certò; & infallibiliter ab æterno nouerit futura contingentia.

NOt. 1. Quòd ens generaliter ſumptum diuiditur in ens neceſſarium, & contingens: Contingens autem conſiderari poteſt, vel in ordine ad cauſam primam, vel ſecundam. Priori modo omnes creaturę omneſque earum effectus abſolutè ſunt contingentes; poſteriori modo cum duplex ſit earum naturalium ordo, quarum aliquæ ſunt naturales, & neceſſariæ, quæ ſcilicet poſitis omnibus ad agendum requiſitis, neceſſariò producunt effectus, niſi à prima cauſa præpediantur. Aliæ ſunt liberæ, quæ habent in ſua poteſtate agere, & non agere, etiam poſitis omnibus requiſitis ad agendum. Effectus cauſarum naturalium dicuntur neceſſarij reſpectu cauſæ ſecundæ; eſtò ſint abſolutè contingentes in ordine ad primam cauſam: effectus verò cauſarum liberarum ſunt omninò contingentes in ordine ad vtramque cauſam, & de iſtis præſertim procedit quæſtio; An Deus nouerit omnes effectus &c.

Not. 2. ex Scoto q. 14. quol. art. 2. Quod in Diuina cognitione rerum creatarum rectè talis ordo ponitur; Primò namque Eſsentia D. poſtquam mouit intellectum Diuinum ad cognitionem ſui, & omnium, quæ formaliter ſunt in Deo, mouet illum ad ſimplicem cognitionem entis creati, quatenùs abſtrahit ab exiſtentia, & ſic habet tantum rationem entis intelligibilis, & poſſibilis. 2. offeruntur Diuinæ voluntati creaturæ omnes poſſibiles, & in hoc ſigno Diuina voluutas decernit talium creaturarum pro tali tempore futuram productionem, & exiſtentiam; quo decreto poſito Intellectus Diuinus cognoſcit in Diuina Eſsentia, à qua mouetur ad huiuſmodi cognitionem, determinatè futuram exiſtentiam illarum creaturarum, & ſic intellectus Diuinus certò, & infallibiliter rerum contingentium futuritionem agnoſcit.

Not.

Not. 3. Quod celebris eſt inter Theologos, & Phyloſophos Gentiles controuerſia: an Deus futura contingentia certò nouerit. Stoici, & alij Aſſertores, & Defenſores Diuinæ præſcientiæ è medio ſuſtulerunt omnem contingentiam; ac proinde putabant omnia à fato, & neceſſitate quadam impellente fieri. E contra Cicero lib. 2. de natura Deorum, Aueiroes, & alij ex veteribus, vt retinerent contingentiam, ac humanam libertatem exiſtimarunt; à Deo contingentes effectus ignorari; ſicque vt ait D. Auguſt. lib. 5. de Ciuitate Dei, *vt homines facerent liberos fecerunt Sacrilegos*. Verùm S. Scriptura oſtendit apertè, Deum omnia diſtinctè, & perfectè videre, & diſponere, quam veritatem firmant Sancti Patres, atque Theologi omnes; ideò ſit.

Conc. Deus certè, & infallibiliter nouit omnia futura contingentia: hæc eſt de fide contra Gentiles Phyloſophos, & quoſdam Hæreticos, & ſignanter contra Ioannem Vvicleff. & Lutherum aſſerentes cum Stoicis Deum non habere certam ſcientiam de futuris contingentibus. Prob. conc. ex S. Scriptura in Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti*: Eccleſ. c. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem circumſpicientes, omnes vias hominum, à Domino enim Deo antequàm eſſent; omnia ſunt agnita*.

Prob. ratione. Deus cum ſit infinitus, & illimitatus in omni genere perfectionis, infinitam, & illimitatam poſſidet cognitionem, ergo debet agnoſcere omne ſcibile, ſed futura contingentia verè ſunt ſcibilia, quia verè ſunt futura; ergo Deus certè, & infallibiliter nouit omnia futura contingentia. Prob. 2. duarum propoſitionum contradictoriarum de futuro contingenti, & ſingulari vna eſt determinatè vera, altera eſt determinatè falſa; ergo ſunt à Deo determinatè ſcibiles. Prob. ant. primò, quia vna eſt determinata conformis obiecto, & altera difformis; ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, eo tempore, quo ſignificatur eſſe, vel non eſſe, propoſitio id ſignificans eſt conformis, vel difformis obiecto; ac proinde eſt vera, vel falſa.

Prob. 2. Si indeterminata, & incerta veritas inter vtramque propoſitionem penderet, & ſolum vera eſſet diſiunctim, v. g. Petrus peccabit, vel non peccabit, ſequeretur,

quod

quod ſingula huius diſiuncti membra ſeorſim ſumpta eſſent falſa; ſed hoc euidenter eſt impoſſibile. Quia ſi hæc falſa ſit: Petrus peccabit; ergo altera, quæ dicit: Petrus non peccabit erit vera, quia eſt conformis obiecto.

Prob. 3. Implicat dari medium inter duo contradictoria; quia implicat dari medium inter ens, & non ens, ſeu inter eſſe, & non eſſe: ergo implicat eſſe vnam ex duabus contradictorijs, quæ affirmat, vel negat, rem eſſe, non cenſeri veram, neque falſam prò tempore præſenti, ſiue pro præterito ſiue prò futuro; obiectum enim præteritum, aut præſens iam aliter eſſe non poteſt. Vnde Ariſt. 6. Ethicorum c. 2. ait quod factum eſt, iam factum eſſe nequit, & lib. de interpret. cap. 10. quidquid eſt, quamdiù eſt, neceſſe eſt eſſe. Adde, quod omnis propoſitio à Deo reuelata eſt determinatè vera: ergo &c.

Prob. 4. Artifex omnis nouit rem antequàm eam ædificet; ſed Deus eſt infinitus, & Sapientiſſimus Artifex: ergo nouit ab ęterno nedum creaturas, ſed etiam earum effectus, & incertos euentus; alioquin Diuina Scientia mutabilis eſset, & incrementum acciperet iuxta rerum, & effectuum exiſtentiam, quod Deum deducet; & hoc argumento D. Auguſt. impugnabat Priſcilianiſtas, & Origeniſtas vt refert Fraſsen Doctor Pariſienſis prima p. diſp. de Scientia Dei.

Arguunt Hæretici, & Phyloſophi. Si propoſitio de futuro contingenti eſt determinatè vera, vel falſa; ſequeretur, illam non eſse indifferentem, ac proinde nec contingentem; contingèns enim eſt, quod poteſt eſſe, vel non eſſe; ergo vel vna propoſitio eſt indeterminatè vera, vel nulla in rebus eſt contingentia.

Reſp. diſt. ant. Sequitur illam non eſſe indifferentem ad verum, vel falſum, concedo, ſequitur illam non ſignificare rem indifferentem, & contingenter exiſtentem, nego: eſtò enim propoſitio ſit vera, vel falſa, tamen rem contingenter futuram connotat. Vnde hæc duo non repugnant, quod idem effectus ſit contingens, & ſimul determinatè futurus; Dicitur enim contingens propter indifferentiam cauſæ in actu primo; dicitur autem determinatè futurus propter determinationem eiuſdem cauſæ in actu ſecundo.

Arg.

Arg. 2. ex locis Sac. Scripturæ, in quibus videtur Deus dubitatiuè loqui; & præſertim Matth. 2. *Verebuntur fortè filium meum* & Ierem. 26. *Noli ſubtrahere verbum ſi fortè audiant*, ergo cum dubitiuè loquatur, non certè nouit illa. Reſp. per hanc particulam, fortè, non ſignificari dubiam de rebus futuris cognitionem, ſed primò vt oſtendatur liberum hominis arbitrium, quo poteſt Verbum Diuinum audiri, vel non audiri. *Verbum enim ambiguum (forſitan) inquit D. Hieronymus in c. 26 Ieremiæ. Maieſtati Domini non poteſt conuenire, ſed humano loquitur affectu vt liberum hominis ſaluetur arbitrium*: 2. vt deſignetur maxima hominum malitia, ex qua vix aliquid boni expectari poſſit. 3. vt Scriptura Sacra ſignificet futurorum euentuum eſſe hominibus incertum, vt D. Auguſtinus in Pſalmo 2. tradit.

Arg. 3. Si Deus nouiſſet futura contingentia, ergo Deus haberet præſcientiam futurorum: ſed in Deo non eſt præſcientia ex Auguſt. lib. 2. q. q. ad Simplicianum, vbi ait. *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* at per hoc non iam præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt. Reſp. conc. ſequelam. Ad D. Auguſt. dicitur ſolum velle, vt ipſemet ſe explicat, dici potius ſcientiam cum omnia in eius proſpectu ſint, quàm præſcientiam, quæ potiùs reſpectu noſtri ſic appellatur, quia quæ nobis futura ſunt, videt, vt ipſe Auguſtinus teſtatur.

Arg. 4. Deus nouit me ſeſsurum cras: at ego non ſedebo cras, quia eſt in mea poteſtate ſedere, & ſeſſio eſt contingens, ac proinde poteſt eſſe, & non eſſe; ergo Deus non certò ſcit futura contingentia. Reſp. neg. conſ. & ratio eſt, quia ſemper eſt concomitantia ſcientiæ, & rei ſcitę, & ideo ſicut res poteſt non eſse, ità poteſt Deus non ſcire; ac proinde nunquàm contingere poteſt, quod Deus aliter ſciat rem, quam res ſit; & ideò certò ſcit, nec vnquàm fallitur; Vnde licet ſit in mea poteſtate, & poſſim de poſſibili non ſedere, tamen de facto oppoſitum nunquam ponetur.

Arg. vltimo. Si in Deo eſset certa, & infallibilis ſcientia futurorum contingentium, ergo vana eſset, & otioſa prouidentia, & ſollicitudo hominum, tam circa temporalia, quàm circa ſpiritualia, quia infallibiliter euenient, vt præuidet Deus. Reſp. breuiter (quia de hac difficultate

 redibit

redibit ſermo, cum de Dei prouidentia agetur) quod Deus præſciendo futura præſcit quoque cauſas, & media, quibus debent euenire, ac proinde non eſt ſuperflua humana induſtria, cum illa ſit vna ex medijs, & cauſis, à quibus dependent futura contingentia.

QVÆSTIO VIII.

Quommodò, & in quo medio priùs cognito Deus nouerit futura contingentia.

NOt. 1. Quod multum variant Doctores circa præſentem quæſtionem. Quidam enim affirmant futura contingentia à Deo cognoſci quatenùs ſunt ſemper præſentia æternitati, & ipſi Deo: ita quidam Thomiſtæ. Alij præſcire in Ideis; ita Egidius Roman. d. 38. ſed nec prima, nec iſta placet Scoto: eò quia neque creaturæ coexiſtere poſſunt ſecundùm eſſe reale æternitati, ſed tantùm ſecundùm eſſe obiectiuum; Nequè Ideæ hoc præſtare poſſunt, eò quod Idea repræſentat ſolam rem, quatenùs factibilem; ac proindè indifferenter reſpicit futura, & non futura, & ab vtriſque præſcindit. Alij præſcire putant in efficacia ſuæ præſcientiæ: at etiam iſta opinio eſt infundata, cum ſcientia viſionis nullam habeat efficaciam reſpectu futurorum contingentium; immò futura præſuponuntur, ſcientiæ viſionis ob poſitionem Decreti de futuritione. Alij præſcire in decreto Diuino præuiſo, antequàm ponatur in eſſe. Cæteri denique ſentiunt videri à Deo futura contingentia in Eſſentia Diuina, & omnipotentia, præſuppoſito Diuino Decreto de illorum futuritione: ita Scotus in p. d. 38. quem ſequuntur Scotiſtæ omnes.

Not. 2. Quòd propoſitiones de futuro contingenti ſunt determinatè veræ, vel falſæ ab æterno pro omni inſtanti reali; adeò vt nullum aſſignari poſſit inſtans reale, in quo Deus non ſe determinauerit abſolutè, vel conditionatè circa futuritionem, vel non futuritionem omnium rerum poſſibilium; ideò quæritur: an Deus cognoſcat futura contingentia ante, vel poſt Decretum; per illas autem particulas, ante, & poſt, non ſignificatur prioritas, & poſterioritas realis, ſed rationis cum aliquo fundamento in re, nem-

re, nempè ratione dependentiæ, vel independentiæ a Decreto, vnde idem eſt dicere ante decretum, ac independenter à decreto, & poſt, ac dependenter à decreto.

Concl. Deus infallibiliter, ac determinatè nouit futura contingentia in ſua eſſentia, ſuppoſito primo Decreto de ipſorum futuritione, hæc eſt communis inter Thomiſtas, & Scotiſtas. Et quidem Scotus eam apertè docet in p. diſt. 39. q. vnica. Prob. conc. & primò auctoritate SS. Patrum diſertè affirmantium ſcientiam futurorum fundari per decretum Diuinæ voluntatis, idque ſignanter tradit D. Dionyſius apud Fraſſen, & D. Hylarius, qui lib. 3. de Trinitate inquit. *Quæ Deus facere decreuit, in ſua voluntate cognouit*, & D. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum ſic loquitur. *Ideo neſcio, quia quid habeat hac de re voluntas Dei, me latet. Illud me tamen non latet ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habeat*: quæ conſequentia nulla eſſet ſi per ſcientiam bonorum operum non eſſet fundata in decreto voluntatis D. ergo &c.

Prob. ratione. Futura contingentia non poſſunt priùs cognoſci, quàm habeant rationem futuri: ſed talem rationem non habent non præſuppoſito decreto Diuino: ergo ante decretum cognoſci nequeunt: mai. pat. min. prob. Decretum Dei eſt prima radix, & primum principium determinatæ futuritionis rerum: ergo ante decretum res nec eſſe, nec concipi poſſunt, vt determinatæ futurę.

Prob. ant. Decretum Diuinum ſolum deducit creaturas à ſtatu poſſibilitatis, ad ſtatum futuritionis: ergo ſolum decretum Diuinum eſt prima radix, & principium futurarum creatarum.

Prob. 2. Si res contingentes eſſent determinatè futuræ, antecedenter ad decretum abſolutum, vel conditionatum Dei, talis futuritio conueniret illis vel ex ſe, & ex ſui natura; vel ex cauſalitate Dei; vel ex efficacia alterius cauſæ: ſed non primum, quia ſequeretur illa eſſe futura neceſſariò, & ex natura rei: neque ſecundum: nam cum Deus ſit agens non naturale, ſed liberum ad extra nulla poteſt eſſe, aut concipi cauſalitas antecedenter ad decretum, neque tertium, quia cauſæ ſecundæ dependent à determinatione, & concurſu Diuino, adeòut ſi nulla eſſet in Deo cauſalitas, ſicut reuerà nulla eſt ante decretum Diuinum de illis producendis, nulla pariter concipi poſſet in cauſis

 ſecun-

ſecundis efficacia à quo prouenire valeat illa determinata futuritio rerum.

Prob. 3. ratione qua euertitur opinio Suarez ponentis, Deum cognoſcere rerum futuritionem in decreto, vt futuro, & formando in ſigno ſequenti, ſeu inſtanti rationis. Decretum Dei non poteſt concipi vt futurum; ergo neq; Deus poteſt cognoſcere futura contingentia in decreto, vt futuro in ſequenti ſigno. Prob. ant. Si Deus in ſigno rationis antecedente exiſtentiam ſui decreti illud vt futurum cognoſceret, cognoſceret illud vt futurum neceſſarium, & non liberè: ſed hoc eſt abſurdum, & repugnans Diuinæ libertati: ergo &c. patet ſequela maioris. Etenim quod cognoſcitur vt futurum debet cognoſci vt determinatum in ſua cauſa ad exiſtendum in inſtanti ſequenti: at in illo ſigno, in quo Deus cognoſceret ſuum Decretum vt futurum, illud non eſſet determinatum liberè, ſed neceſſario, alioquin determinari deberet per aliud decretum, & ſic in infinitum, quia omnis determinatio libera Diuinæ voluntatis eſt decretum: ergo &c.

Arg. Suarez contra Conc. Deus priùs ratione concipit ſuam voluntatem poſſe velle, quàm concipiat eam volentem: ergo etiam priùs ratione concipere poteſt illam vt volituram, quàm nunc volentem. Reſp. neg. conſ. nàm plus requiritur ad concipiendum aliquod tanquam ponendum, quàm ad illud tanquam poſſibile; ad hoc enim requiritur aliquid determinans ipſum poſſibile ad ponendum, ſicut poſſibile ad producendum in eſſe: at reſpectu Diuini decreti nil concipi poteſt, quod determinet poſſibile ad eſſe ponendum, ſeù de non futuro ad eſſe futurum.

Arg. 2. In illo priori ſigno, quo Deus antecedit ſua decreta libera, & concipitur habere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ iſta propoſitio: Deus non decernit in ſequenti ſigno creare mundum eſt falſa, quia ſuo obiecto non eſt conformis, & conſequenter eius contradictoria: nimirum Deus decernit &c. eſt vera: ergo decretum de Creatione Mundi in illo priori ſigno eſt futurum, ac proinde cognoſcibile eſt vt tale ab intellectu Diuino.

Reſp. Quod Deus ſua decreta libera non antecedit aliqua prioritate, in quo, ſed ſolum à quo: cæterum falſum eſt de propoſitionibus contradictorijs vnam eſſe determi-

natè veram, & alteram falſam in ſigno præcedenti Diuinum decretum, cum nihil ſit futurum ante illud decretum. Reſp.2. Alterutrum contradictorium verificari debere pro quouis inſtanti durationis realis, non autem prò quouis inſtanti naturæ vel rationis.

Contra. Ratio, & vis contradictoriorum neceſſariò efficit, vt vna ex duabus propoſitionibus contradictorijs ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa, vt iſtæ propoſitiones. Si Paulus vocetur in tali tempore, & occaſione conſentiet, vel non conſentiet: ergo pro ſigno priori ad D. decretum, vna illarum eſt determinatè vera, altera falſa, & conſequenter à Deo cognoſcibilis. Reſp. diſt. mai. Ratio contradictoriorum exigit &c. pro omni inſtanti reali, conc. pro omni rationis inſtanti, neg. mai.

Contra. Veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionis, vt traditur in logica, ac proinde conuenire debent propoſitioni in quocunque ſigno conceptibili; ſed illæ propoſitiones concipi poſſunt antecedenter ad decretum Diuinum; ergo in illo ſigno ſunt veræ, vel falſæ.

Reſp. Fraſſen diſt. mai. Sunt proprietates propoſitionis formalis, conc. materialis nego. Vnde in illo ſigno antecedente decretum Diuinum non ſunt propoſitiones formales, ſed materiales tantùm: Vel reſponderi poteſt, dicendo veram eſſe mai. de propoſitionibus neceſſarijs non autem de contingentibus; cum iſtæ preſcindant ante decretum à falſitate, & veritate; neque enim huiuſmodi propoſitiones dici poſſunt verę, neque falſę pro illo ſigno; & coincidit cum reſponſione Fraſſen, ſed eſt clarior.

QVÆSTIO IX.

Vtrum cum certitudine infallibili Scientiæ Dei conſiſtere poſſint rerum contingentia, & humana libertas.

NOt. 1. Quod præſcientia, quam Deus habet de rebus liberè futuris, non eſt illarum effectiua, nec influit in earum futuritione, imò illam præſuponit, ſicut effectus preſuponuntur cauſam. Quare Diuina Scientia, ſeu preſcientia Dei ſe habet inſtar ſpeculi repreſentantis diuerſa

obiecta, & liberos, hominum geſtus, ac motus oppoſitos. Aut inſtar hominis, qui in Turri eminenti conſpiceret ea omnia, quæ in demiſſa planitie fierent, nempe videndo homines, alios in foueam labentes, alios ſaltantes, alios digladiantes, alios aliud agentes, quæ quidem diuerſa viſio non eſſet cauſa diuerſarum illarum actionum: immò illæ diuerſæ actiones eſſent cauſa illius diuerſæ viſionis. Vnde Iuſtinus martir q. 58. ad Orthodoxos ſic loquitur. *Non è præſcientia cauſa eius, quod futurum eſt, ſed quod futurum eſt, eſt cauſa præſcientiæ*, & D. Auguſt. ac D. Hieron. idem docent, immò omnes Patres, tam Latini quàm Græci vt aduertit noſter Fraſſen.

Not. 2. Quod neceſſitas, quà aliquid dicitur non poſſe aliter ſe habere, eſt duplex: altera abſoluta, altera hypothetica. Abſoluta eſt illa, quà aliquid ex natura ſua, & ſine vllo ordine ad aliud aliter ſe habere non poteſt; ſic neceſſe eſt Deum exiſtere, hominem eſſe animatum, hypothetica eſt, quà aliquid neceſſariò ſequitur, facta hypotheſi, ſeù ex ſuppoſitione, quàmuis ſublata hypotheſi aliter poſſet ſe habere: ſic dicimus: ſi homo currit, neceſſariò mouetur, dum currit: eò quia, quidquid eſt, quamdiù eſt, neceſſe eſt eſſe. Rurſus hæc hypothetica neceſſitas partitur in antecedentem, & conſequentem. Prima eſt, quæ oritur ex illa hypotheca, quæ eſt prior effectu neceſſariò, vel tanquam cauſa, vel tanquam conditio præuia ſe tenens ex parte cauſæ; talis eſt neceſſitas effectuum, qui oriuntur à cauſis naturalibus, vt calefactio aquæ, & combuſtio ligni ex approximatione ignis: hæc autem neceſſitas libertatem aufert: poſterior neceſſitas eſt, quæ oritur ex aliqua conditione conſequente ipſam rei exiſtentiam: Sic ex hyphoteſi, quod Deus præuiderit aliquod futurum, illud dicitur eſſe neceſſariò futurum, & hæc neceſſitas non lædit libertatem cum non tollat indifferentiam agentis liberi ad agendum, & non agendum. Talis enim præuiſio Dei ſequitur futuritionem rei; ideo enim præuidentur futura, quia futura ſunt: ſed non ideò futura ſunt, quia præuidentur.

Not. 3. ex Scoto in p. d. 39. q. vn. quod eſt diſcrimen inter determinatam veritatem propoſitionum de præterito, de præſenti, & de futuro. Non enim, inquit Scotus, eſt ſi-

eſt ſimilis veritas in illis de futuro, ſicut in illis de præſenti, & de prætento. In præſentibus quidem, & de præterito eſt veritas determinata, ita quod alterum extremum eſt poſitum, & vt intelligitur poſitum, non eſt in poteſtate cauſæ, vt ponatur. Talis autem non eſt determinatio ex parte futuri, quia licèt alicui intellectui ſit vna pars vera determinatè, & etiam vna pars ſit vera in ſe determinatè, etiamſi nullus intellectus apprehenderet; non tamen ita quin ſit in poteſtate cauſæ in illo inſtanti ponere oppoſitum: hæc Scotus.

I. conc. certitudo, & infallibilitas Diuinæ præſcientiæ non tollit rerum contingentiam: hæc eſt communis inter Theologos, & Sanctos Patres. Prob. 1. Diuina Scientia non efficit, ſed ſupponit obiectum: ergo non tollit ſed ſupponit rerum contingentiam: Ant. patet ex auctoritatibus SS. Patrum, & ratione ſuadetur. Scientia, quæ eſt cauſa operis eſt illa, quæ voluntatem, & potentiam artificis ex cognitione operantis in ſuo opere efficiendo dirrigit. Contra, quæ non dirrigit artificem ad opus efficiendum; immò opus fieret, quam vis illa non eſſet; non è cauſa operis, ſed opus ſupponit; at ſic eſt quatenus Diuina Præſcientia eſto tempore præcedat res exiſtentes, attamen non antecedit, ſed ſupponit illorum futuritionem in eſſentia Diuina rapreſentatam, & à Diuina voluntate decretam, ergo illa non efficit futuritionem rei contingentis, ſed ſupponit, ergo &c.

Prob. 2. Rerum contingentia ſtat cum determinatione illatum ad alteram partem contradictionis à Diuina voluntate facta, ergo multo magis conſiſtit cum infallibilitate Scientiæ D. Antecedens patet, Primo quia futurum contingens eueniet per cauſas contingentes, & non neceſſariò operantes: ergo non obſtante determinatione Diuinæ voluntatis erit non minus contingens. Deinde cauſa non tollit ab aliquo id, quod ipſi competit ex ſua ratione formali, niſi conferat illi aliquod oppoſitum: ſed Diuina Voluntas determinans futurum contingens nihil intrinſecum, quod opponatur eius contingentię, ponit in cauſa; ergo talis determinatio non tollit contingentiam rerum. Adde, quod facta determinatione Diuinæ voluntatis circa aliquod futurum, illud eueniret infallibiliter,

ac ſi per impoſſibile Deus illud neſciret; ergo multò minus certitudo Diuinæ ſcientiæ tollit contingentiam rerum, Quod autem determinatio Diuinæ voluntatis non tollat contingentiam latiùs probabitur infra &c.

II. Conc. Diuina præſcientia non lædit humanam, ſeù creatam libertatem. Hæc eſt de fide, & patet expreſſe in S. Scrip. & præſertim Deuter. c. 30. *Teſtes inuoco hodie Cœlum, & Terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: elige ergo vitam, vt tu viuas, & ſemen tuum*: Ioſue c. 4. *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placet, cui ſeruire potiſſimùm debeatis*: Eccleſiaſtici c. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui &c.*

Prob. ratione. Illud non ledit libertatem, quod eam ſupponit: ſed diuina præſcientia ſupponit libertatem: ergo &c. Prob. min. Scientia ſupponit ſcibile; ergo ſcientia de futuro ſupponit futurum: ant. patet conſ. prob. auctoritate SS. Patrum, & ſignanter D. Hieron. Dialogo contra Pelagianos. *Non ideò peccauit Adam, quia hoc futurum nouerat, ſed præſciuit Deus, quia ille erat propria voluntate facturus*: ac S. Leonis. *Non impios furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit, non præſciendo, quod faciendum eſſet, egit, vt fieret.* Eandem veritatem vnanimi conſenſu tradunt alij Patres: ergo Dei præſcientia non ledit noſtram libertatem.

Arg. contra 1. conc. Quæ Deus ſciuit neceſſariò euenient: ſed Deus neceſſariò ſciuit res futuras: ergò neceſſariò euenient: mai. patet, quia in bona conſequentia. Si ant eſt neceſſarium, etiam conſequens eſt neceſſarium, ſed ant. huius conſequentiæ: Deus ſciuit Antichriſtum futurum, ergo erit, eſt neceſſaria ergo etiam conſequens.

Reſp. diſt. mai. neceſſariò euenient neceſſitate abſoluta, & antecedente nego, neceſſitate hypothetica, & conſequente conc. Vnde antecedens huius conſequentiæ: Deus ſciuit Antichriſtum fore, ergo erit: non eſt neceſſarium neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta, ſeù conſequentis; ſed conſequentiæ, ſeu ſuppoſitionis. Sicut enim Deus liberè decreuit. Antichriſtum futurum; ita pariter potuiſſet decernere, non fore, hæc autem neceſſitas, vt notauimus non tollit rerum contingentiam, nec liberratem lædit.

Arg. 2. Si Diuina ſcientia eſt certa, & infallibilis: ergo quæ Deus præſciuit neceſſariò euenient, ergo vel Diuina

Scien-

Scientia non eſt infallibilis, vel quæ ſunt à Deo præſcita, non ſunt contingentia, ſed neceſſaria. Reſp. diſting. ſequelam ant. euenient neceſſariò neceſſitate abſoluta, nego: neceſſitate ſuppoſitionis, & conſequentiæ, conc. & ſic reſpondetur etiam ad ea, quæ poſſunt obijci contra ſecundam concluſionem.

QVÆSTIO X.

Vtrum Deus habeat ſcientiam certam, & infallibilem de contingentibus conditionatè futuris.

NOt. 1. Quòd futura conditionata ſunt triplicis generis; quorum prima neceſſariam habent connexionem cum conditione ponenda, ſeù cum effectu, qui dicitur futurus, poſita conditione; vt hæc propoſitio: Si Deus producat Ioannem erit animal rationale: Si Petrus currat mouebitur. Secunda habent quidem connexionem cum conditione, ſed contingentem, tali conueniẽtia tamen, vt conſequens inferatur ex antecedenti ſaltem probabiliter ex talis conditionis ratione: v. g. Si Petrus vocetur à Deo conſentiet. Si diù ſteterit in peccato mortali, in alia mortalia cadet. Tertia ſunt illa, in quibus nulla eſt apparens connexio antecedentis cum conſequente, & omninò diſparata, vt hæ propoſitiones: Si Turca ſederit Leopoli, Petrus conuertetur Pariſijs: Si Iudas Chriſtum prodiderit, Nero Matrem ſuam occidet. Quæſtio autem præſens non eſt de primis, ſed de ſecundis, & vltimis; Prima namque eſtò per particulam conditionalem (ſi) explicentur; ſunt tamen reuera abſoluta, & neceſſaria.

Not. 2. Quòd aliqua volitio, ſeù aliquod decretum duobus modis poteſt dici conditionatum. 1. ex parte ſubiecti, quando ſcilicet ſubiectum non habet actu voluntatem aliquid faciendi, ſed illam haberet ſi poneretur aliqua conditio; vt ſi quis dicat: ego vellem venari, ſi hoc liceret Religioſo; quo modo loquendi non ſignifico, me habere actu volitionem circá venationem, ſed illam habiturum, ſi liceret. 2. ex parte obiecti quando ſcilicet habetur actu vo itio efficax ex parte volentis, ſuſpenditur tamen effectus eius, donec ponatur conditio, qua accedente, re-

digetur

digetur ad actum; vt ſi dicam. Volo ire Romam, ſi conualuero ab infirmitate: tunc habetur efficax voluntas, ſed expectatur ſanitas, à qua, vt à conditione dependet Decreta conditionata primi generis non ponuntur in Deo; benè tamen ſecundi generis, vt Scripturæ teſtantur.

Not. 3. Quod circa hanc quæſtionem tres opiniones circumferuntur. Prima eſt Curiel lib. p. controu. controuer. 7. Corneio hic art. 13. diſp. 3. & Claudij Tiphanij c. 25. dicentium futura contingentia conditionata non cognoſci a Deo certò; ſed tantùm coniecturaliter: ſecunda eſt Nauaret controu. 56. §. 2. affirmantis non ſolum in Deo non eſſe ſcientiam coniecturalem talium conditionatorum, ſed neque formalem, benè tamen virtualem, & eminentialem: eò quia ſecundum ipſum, nullum decretum actuale, & formale eſt in Deo de conditionatè futuris, ſed ſolùm eminentiale, & virtuale. Tertia eſt ferè omnium Theologorum, qui vnanimi conſenſu docent Deum certò, & actualiter cognoſcere contingentia conditionatè futura; ideo ſit.

Concl. Deus certò, & infallibilitèr cognoſcit contingentia conditionatè futura; Hæc eſt communis tam Thomiſtis, & Sotiſtis, quam alijs Theologis, exceptis aliquibus ſupra recenſitis. Prob. conc. ex locis Sac. Scripturæ, & maximè tribus. Primus textus habetur lib. p. Reg. cap. 23. vbi narratur, quod Dauid conſuluit Dominum dicens: *Deſcendet Saul ſicut audiuit Seruus tuus? Domine Deus Iſrael indica Seruo tuo, & ait Dominus: Deſcendet. Dixitque Dauid ſi tradent me viri Ceilitæ, & viros, qui ſunt mecum in manu Saul? & dixit Dominus tradent*: vbi aperte eſt ſermo de contingenti futuro; nam Dauid reuerà non fuit traditus, ſed ſolùm prædicitur tradendus, ſi in ea Vrbe permaneat. Quo factum eſt vt Dauid fugeret, ne traderetur à Ceilitis. Secundus habetur Lucæ cap. 10. vbi Chriſtus redarguens incredulitatem Ciuitatum Bethſaidæ, & Corozain dicit, quod ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes &c. his verbis. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in Vobis, olim in Cilicio, & Cinere pœnitentiam egiſſent*. Videbat ergo adorandus Saluator, quod ſi poſita fuiſſet talis conditio, hæc pœnitentia fuiſſet ſequta: ergo Deus certò nouit huiuſmodi propoſitionem

nem de contingenti conditionatè futuro. Alter Textus habetur in Sap. cap. 4. vbi de Iuſto ſic dicitur: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet Animam illius*. Quibus verbis prædicitur quid futurum fuiſſet ſi iuſtus non fuiſſet prematurè raptus ex hac vita. Similia futura conditionata prædicuntur Exech. cap. 3. Ierem. 38. Matt. & alibi: ergo Deus certò, & infallibiliter nouit futura conditionata. Nec poteſt cum nonnullis dici, Deum, ſeù Prophetas ſolum exprimere notitiam coniecturalem fundatam in diſpoſitione cauſæ proximæ; vel quid in ſimili euentu aliquando acciderit, & adhùc euenire poſſit: hæc enim coniecturalis notitia manifeſtè repugnat Deo. Neque ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus perfectiſſimè nouit propenſionem cauſæ ad certum effectum, ſufficit etiam adiuncta ſcientia viſionis euentuum, qui aliquando in ſimili occaſione acciderunt. Nàm Scriptura aſſerit, & teſtatur, quid in hac particulari occaſione euenturum fuiſſet, & de hoc abſolutam continent prophetiam verba Scripturæ; vt proprietas verborum conuincit, & Patres intellexerunt, præſertim D. Auguſt. lib. de Bono perſeuer. cap. 9. agens de pœnitentia Tyriorum, & Sydoniorum. Deindè ſequeretur, quod Deus imprudenter hoc modo reuelaſſet, quod ſolum erat poſſibile, & cui in particulari poterat ſubeſſe falſum, vt doctiſſimè diſcurrit Hetincx diſp. 6. de ſcientia Dei q. 4. §. Dico primo; & Fraſſen ibid. diſp. p. art. p. q. 1. Itaque negari non poteſt Deo talis ſcientia, adeò ut communiter Theologi, & preſertim noſter Piloſus Hetincx, & alij exiſtiment oppoſitum aſſerere, eſſe periculoſum in fide.

Prob. ratione. Conditionata futura ſunt vera: ſed Deus ſcit omne verum: ergo Deus ſcit futura conditionata: prob. mai. Conditionatè futura non minùs ſunt vera, quàm abſolutè futura: ſed abſolutè futura ſunt determinatè vera, vt omnes Theologi concedunt: ergo & conditionatè futura ſunt vera.

Prob. mai. Non minùs eſt contradictio immediata inter contingentia conditionatè futura, v. g. non minor eſt harum propoſitionum contradictio. Si Paulus tali modo vocetur, conuertetur, & ſi tali modo vocetur non conuertetur, quàm ſit inter has duas propoſitiones. Saulus tali

modo

modo vocatus à Chriſto conuertetur, & eodem modo vocatus non conuertetur: ergo cum ratione huius contradictionis vna propoſitio enuntians abſolutè futurum ſit determinatè vera, & alia determinatè falſa; ità pariter duarum propoſitionum contradictoriarum de futuro contingenti conditionatè, vna erit vera, & altera determinatè falſa, & conſequenter illud, quod enuntiant, erit determinatè verum, vel falſum.

Confirmatur. Propoſitio conditionata non differt ab abſolutata de eodem obiecto, niſi penes conditionem, quæ ſi ponatur propoſitio erit abſoluta; ergo ſicut abſoluta eſt determinatè vera, vel falſa, ſic eadem conditionalis de eodem obiecto conditionatè futuro eſt determinatè vera, vel falſa: patet hæc conſequentia: quia conditio, penès quam differt ſolùm propoſitio conditionalis ab abſoluta, non impedit, quin minùs ſit æquè conformis ſuo obiecto, ac proindè ſit æquè vera.

Prob. 2. Illa cognitio eſt certa, & infallibilis, quę fundatur in medio certo, & infallibili, ſed cognitio, quam habet Deus de contingentibus ſic ſe habet: quia fundatur in decreto conditionato ex parte obiecti, & abſoluto ex parte ſubiecti, ideſt Dei, ergo pariter talis cognitio non poteſt non eſſe certa.

Arg. contra conc. auctoritate Ss. Patrum. D. Aug. lib. de prædeſt. Sanct. c. 14. vbi explicans illud Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius ait: Dictum eſt ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Quibus verbis videtur D. Aug. indicare, Deum non certè cognoſcere hoc futurum conditionatum; ideſt hominem peccaturum ſi diutiùs vixiſſet; ſed de illo habuiſſe tantùm cognitionem coniecturalem fundatam in periculo, nè mutaretur, tentatione, & occaſionibus &c. & Proſper Epiſt. ad S. Auguſt. loquens de Semipelagianis, inquit: *Futura, quæ non ſunt futura confingunt*: & D. Damaſ. in Dialogo aduerſus Manichęos refutans eorum errorem, qui dicebant, Deum non debuiſſe creare homines, aut Angelos, quos ante præſciuit peccaturos, ſic loquitur: *Nam ſi aliquem peccaturum præſciuiſſet, neque eum condidiſſet: præſcientia hæc non eſſet, ſed impoſtura*; ergo ex mente Ss. Patrum non datur in Deo certa ſcien-

ta ſcientia futurorum conditionatè, ſed coniecturalis.

Reſp. Herincx, Fraſſen, & Macedo, quod D. Auguſt. loquitur tantum de præſcientia abſoluta, quam admittebant Pelagiani, & Semipelagiani independenter à Diuino decreto, vt refert S. Proſperus in eadem epiſt. & ſecundum talem ſcientiam volebant, Deum moueri per opera prꝗuiſa ad concedendam primam gratiam (nam Pelagiani aſſerebant hominem puniri, aut prꝗmiari ob ea, quæ nunquàm geſſit, aut geſturus eſt, ſed geſturus fuiſſet, ſi ſuperuixiſſet) & primam vocationem ad fidem; quam præſcientiam abſolutam meritò fictitiam appellant Aug. & Proſper; non autem loquuntur de præſcientia conditionata, quæ ſupponat conditionatum decretum, de quo hic agitur: alioquin ſibi ipſis apertè contradicerent, cum alibi Patres relati oppoſitum tradant, vt videre eſt in Auctoribus ſupracitatis.

Arg. ratione. Si futura contingentia conditionata in Deo ſupponerent aliquam certam notitiam, maximè, quia à Deo prædicuntur, & à Prophetis prænuntiantur, ſed exindè non conſtat, illam notitiam eſſe certam, ergo &c. Prob. Deus plura in Scriptura per ſe, & per Prophetas prꝗdixit ſolum per coniecturam deſumptam ex diſpoſitione cauſarum ſecundarum, vt Iſaiæ 38. *Diſpone domus tua, quia morieris tù & non viuet*: & Ionæ cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*; & tamen neutrum contigit: ergo ex prædictionibus non colligitur certitudo D. ſcientiæ.

Reſp. neg. min. Omnes enim prædictiones veræ ſunt, & infallibiles ſecundùm ſenſum à Deo prædicente intentum; licet in quibuſdam non exprimatur, ſed ſubintelligatur aliqua conditio, & maximè in prædictionibus comminatorijs: Nàm vt docet D. Thomas 22. q. 127. art. p. triplex eſt Prophetia, nempè præſcientiæ, prædeſtinationis, & comminationis; inter quas ponit hoc diſcrimen, quod prima, & ſecunda terminantur ad futura in ſe ipſis, ac proindè ex illis veritas futurorum habetur. Tertia verò non reſpicit futura in ſe, ſed diſpoſitionem, & ordinationem cauſarum ad ipſa; & ſupponit conditionem; puta ſi peccatores reſipiſcant, & conuertantur ad Deum iuxta illud Hieremiæ cap. 18. *Si egerit pœnitentiam gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam, agam, & ego pœnitentiam ſuper*

malum

malum, quod cogitaui, vt facerem ei. Non enim ſunt illę comminationes, niſi vt homines præueniant Diuinam vindictam per pœnitentiam, poſita autem reſipiſcentia, non ſequitur pęna, quàm Deus infligendam pronunciauerat ſub conditione, ſi peccator non reſipiſceret.

Arg. 3. Futura conditionata non habent determinatam veritatem, neque in ſe, quia nunquam erunt, neque in cauſis, quia etiam poſita conditione, adhuc eadem productione ſunt indifferentes ad illa producenda, & non producènda, ergo &c. Reſp. diſt. ant. non habent determinatam veritatem abſolutam conc. ant. conditionatam, nego ant. Poſita enim conditione voluntas creata ſe determinatura erat, cum decreto ponendo abſolutè quidem ex parte Dei, ſed conditionatè ex parte rei decretæ: ac proinde ſunt vera in ſuis cauſis, nempè in voluntate creata, & in Diuino decreto.

Contra. Determinata veritas ſupponit eſſe determinatum, quia veritas eſt proprietas entis: ſed eſſe conditionatê futurorum non eſt determinatum, cum nunquam habitura ſint determinatam exiſtentiam, ſed erunt merè poſſibilia, vel nihil: ergo &c. Reſp. diſt. min. Eſſe conditionatè futurorum non eſt determinatum abſolutè, concedo min. conditionatè nego min.

Contra. Si futura conditionata haberent determinatam veritatem, ergo eſſent æternę, & perpetuæ veritatis: ſed hoc dici nequit, quia huiuſmodi veritates formantur de entibus determinatè veris: ergo &c. Reſp. diſt. ſequelam mai. eſſent æternę veritatis per neceſſariam illationem conſequentis ab antecedente, nego: conditionate, & ratione præuiſionis, qua Deus videt illa de facto eſſe futura, vel non futura ea conditione ponenda, vel non ponenda conc. at hoc modo non implicat. Vnde pro pleniori notitia aduertendum quod particula (ſi) conditionalis poteſt ſumi tripliciter. Primo illatiuè, quia conſequens habet neceſſariam connexionem cum antecedente: v.g. Si Petrus currit, ergo mouetur. 2. permiſſiuè, quia conſequens habet connexionem cum antecedente ratione voluntatis promittentis. Si Viceris. e. g. dabo tibi Gloriam. 3. ſumitur conditionatè, quia conſequens habet quidem connexionem contingentem ratione conditionis contingentis,

quæ

quæ tamen conditio certò à Deo cognoſcitur ponenda, vel non ponenda ratione decreti: eſtò talis connexio non ſit neceſſaria. Neque tale decretum conditionatum eſt ſuperfluum, vt quidam putant, ſed vt aduertit Herincx eſt neceſſarium ad hoc, vt Deus ſciat, quid poſita aliqua conditione ſit futurum: Addit noſter Felix cap. diffu.2. voluntatem Dei potius fore otioſam ſine huiuſmodi Decretis vt pote manſuram ſuſpenſam circa aliqua obiecta Deo ſub conditione propoſita. Vndè D. Auguſt. apud Herincx ait. *Confiteri Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt*.

Quæres 1. An dentur in Deo decreta conditionata.

Quamuis in ſuperiori quæſtione non pauca dicta ſint etiam de decretis conditionatis;nihilominus multa remanent dicenda ob diuerſas recentiorum opiniones, ideoque huiuſmodi quæſitum propoſui, cui breuiter reſpondetur. Admittenda eſſe in Deo decreta abſoluta quidem ſubiectiuè, ſeu ex parte Dei, ſed conditionatę obiectiuè, ideſt ex parte obiecti voliti, ſeu rei decretę. Quæ reſponſio remanet ſufficienter probata ex Scripturis ſuperiùs allatis. Quoniam verò hic præciſe agitur de conditionatè futuris, quæ per reuelationem innoteſcunt, puta de Tyriorum, & Sydoniorum conuerſione ſi Chriſtum prædicantem audiſſent; idcirco rurſus probatur ſolùm de iſtis, & de ſimilibus in Sacra Scriptura expreſſis; inter quæ eſt illud lib. 4. Reg. 13. *Si percuſſiſſes terram quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem*, Quibus verbis Propheta Eliſeus Regi Ioas denuntiat, Deum decreuiſſe generalem Syriæ deuaſtationem, & ſtatuiſſe cum ipſo Rege Ioas ſe concurſurum ad Syrios exturbandos, ſi quinque, aut ſex, aut ſeptem vicibus ipſe Rex Ioas terram Iaculo percuſſiſſet, ergo ſupponitur de illo decretum conditionatum; quod tamen non euenit defectu conditionis non poſitæ. Similia 3. Reg. cap. 9. & alibi habentur.

Hanc eandem veritatem docent SS. Patres, & Scholaſtici in illis quæſtionibus, vt ſi Adam non peccaſſet; An Dei Filius fuiſſet incarnatus;an ſi perſeueraſſet ſtatus Innocentiæ fuiſſent in eò inſtituta Sacramenta, ordinata ſacrificia, præſcripta rerum Dominia, & alia id genus, quę ſublata conditione non euenerant.

Di-

Dices ſi darentur in Deo decreta conditionata ſequeretur. Deum habere effectus contrarios, & oppoſitos, ſed conſequens eſt falſum ergo & ant. Prob. ſequela mai. Si Deus decreuiſſet, v.g. conditionatè futurum conuerſionem Syriorum ad prædicationem Chriſti, illam conuerſionem voluiſſet, & noluiſſet, ac proinde ſimul habuiſſet oppoſitos effectus, ergo &c.

Reſp. neg. ſequelam mai. Nam illi effectus non eſſent oppoſiti cum non verſentur circa idem obiectum eodem modo conſideratum; vna enim volitio Diuina eſſet efficax reſpectu effectus abſolutè futuri, puta quod Chriſtus nunquam prædicet apud Tyrios. Alia verò eſt tantum inefficax, puta conuerſio Tyriorum ex ſuppoſita Chriſti apud Tyrios prædicatio. Itaquè poteſt Deus idem ſimul, & ſemel velle voluntate efficaci, & nolle voluntate inefficaci, diuerſa tamen ratione, vt latè videbitur in diſp. de Diuina voluntate.

Quæres 2. Quid dicendum ſit de conditionalibus diſparatis, v.g. Si Petrus Romę dormiet, Terentius Piſauri Studebit.

Reſp. Herincx. Verius eſſe, quod à Deo non ſciantur, etiam admiſſa ſcientia media, tanquam propoſitiones veræ, ſed tanquam propoſitiones falſæ, nam particula conditionalis ſignificat quandam dependentiam, ſeù connexionem operis cum conditione, tanquam cauſa, vel occaſione mouente, vel alliciente, vt patet in omnibus conditionalibus in Scriptura expreſſis. Improprijſſimè enim ſignificat particula conditionalis meram concomitantiam temporis, quaſi ſit ſenſus. Petrus Romæ dormiet, & ſimul tempore Paulus Piſauri ſtudebit, hoc autem ſi vtrunque ſit futurum vidit Deus per ſcientia viſionis. Talis verò dependentia inter huiuſmodi propoſitiones, & conſimiles non ex natura rei, ſed potiùs eſt voluntaria, vt patet ex 4. Reg. cit. paulò ſuperiùs. Vbi Eliſeus Propheta ad Regem Iſrael ait. *Si percuſſiſſes (idest Terram Sagitta) quinquies, aut ſexies vel ſepties, percuſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Sed properemùs ad quæſtionem de Scientia media, quæ cum doctrina de futuris conditionatis, maximam videtur habere connexionem.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

Vtrum admittenda ſit Scientia media in Diuino Intellectu.

NOt. 1. Quod grauis, & acris concertatio de ſcientia media olim fuit ſub Clemente VIII. & Paulo V. inter PP. Dominicanos, & Ieſuitas; & communiter refertur, eouſquè deuentum fuiſſe, vt Cenſores ſiue Arbitri eam duxerint condemnandam, velut commentum Semipelagianorum. Quarè volunt inter Articulos Molinæ in Bulla ſub Paulo V. iam formata, fuiſſe collocatam. Huic tamen fundamento non eſt modò nitendum, cum Innocentius X. Anno 1654. die 25. Aprilis ſpeciale ediderit decretum, locis conſuetis affixum &c. quò declarat, ac decernit prædictis aſſertis, actis, & autographo, ſiue exemplari prædictæ aſſertæ conſtitutionis Pauli V. nullam omninò eſſe fidem adhibendam; neque ab alterutra parte, ſeù à quocunque alio allegari poſſe, vel debere: ex quo fit, vt nullius ſit ponderis cenſura, qua Doctores Louanientes hanc opinionem de Scientia media notarunt, vt refert Macedo in diſp. de Scientia media, de qua fuſiſſimè tractat.

Not. 2. Quod dupliciter ſumi poteſt ſcientia media; primò prò ea ſcientia, qua Deus videt quid facturus eſſet homo ex viribus naturalibus, omni præuentione gratiæ interioris denudatus, & hæc eſt ſcientia media Maſſilienſium, ſeu Semipelagianorum, quæ admitti non debet à Catholicis, cum de fide ſit, hominem viribus naturæ, ſeù ſui liberi arbitrij non poſſe meritoriè operari abſque præuenienti ſpeciali gratia. Alio verò modo ſumitur pro ea, qua Deus præuidet quid facturus eſſet homo præuentus auxilijs gratiæ interioris, v. g. An Magdalena ſe conuerteret ad pœnitentiam, ſi in tali tempore exiſtens in Domo Simonis Leproſi tali gratia excitaretur. An etiam Petrus negaret Chriſtum, ſi in tali tempore tentaretur in Domo Caiphæ tali modo, non obſtante auxilio gratiæ, quę nunquam illi defuit? In hoc ſenſu à pluribus Doctoribus Catholicis admittitur, cum nullo modo faueat Semipelagianiſmo; & hanc ſcientiam mediam ſe inueniſſe iactitat Ludouicus Molina Ieſuita, licet Suarez contendat, ab Augu-

guſtino ad nos perenniter fluxiſſe, eſtò non ſemper ità perſpicuè Theologis innotuerit; de qua non obſcurè loquitur etiam D. Bonauentura.

Not. 3. Quòd Ieſuitæ ſic explicant dari ſcientiam mediam. Deus ab æterno videt poſſe poni Petrum in his circumſtantijs cum hoc auxilio præparato gratiæ, ad benè operandum; videt vlteriùs opportunitatem, & congruitatem illius auxilij cum tali voluntate, itaùt vera ſit altera pars contradictionis operabitur, vel non operabitur in illis circumſtantijs ante omne decretum Diuinæ voluntatis. Igitur cognoſcit futurum conditionatum in ſe ipſo, attenta congruitate, & connexione gratiæ indifferentis cum arbitrio humanæ voluntatis, nullo expectato decreto determinato ante arbitrium; eò quia, dicunt, quod tale decretum pugnaret cum libertate noſtræ voluntatis, nàm ſequeretur, quod voluntas ità operaretur, quia Deus antecedenter ſic decreuit, nec poſſet aliter operari. Addunt etiam hanc ſcientiam eſse neceſſariam ad dirrigendam voluntatem Diuinam in decernendo, quid futurum ſit abſolutè; niſi enim ei proponat intellectus quid operatura ſit, aut non operatura voluntas, non poterit Deus prudenter, & firmiter decernere, quid ſit abſolutè futurum. Itaque duas cauſas afferunt ponendi ſcientiam mediam, alteram vt Deus prudenter, ac certò prçuideat futura, alteram ne lædatur liberi arbitrij libertas per illud decretum antecedens Diuinæ voluntatis. Cur autem appelletur media, reſpondent, quia talis ſcientia mediat, & verſatur inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt poſſibilium ſimpliciter, & inter ſcientiam viſionis, quæ eſt futurorum abſolutè; nàm vltra ſcientiam neceſſariam addit fururitionem conditionatam eorum poſſibilium, quæ intra illum poſſibilitatis ſtatum ſine vllo ordine ad futuram exiſtentiam conſiſtebant, nec tamen progreditur ad exiſtentiam abſolutè futuram, quia hæc pertinet ad ſcientiam viſionis, ſeù liberam. Dicitur ergo media, quia participat de vtraque; eſt enim neceſſaria ex parte ſubiecti, ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ; & eſt libera ex parte obiecti, ſicut ſcientia viſionis, quæ terminatur ad obiecta libera, nempe ad contingentia conditionata, quæ per illam ſcientiam mediam cognoſcuntur.

Not. 4. ex Maſt. diſp. 3. q. 3. art. 4. quod Neutrales, licet in Deo prò notitia certa futurorum abſolutorum admittant decretum abſolutum, nihilominùs admittunt etiam interuenire ſcientiam mediam, non quod per ſcientiam mediam futura abſoluta intellectus D. cognoſcat; gratis namque concedunt hæc cognoſci per ſcientiam viſionis, quæ poſt tale decretum ſequitur; ſed quia per ſcientiam mediam ante decretum abſolutum nouit per decretum futurum conditionatum, quid nempe facturus eſſet Petrus in tali rerum ordine conſtitutus, quod poſtea per ſubſequens decretum fit abſolutum. Immò aſſerunt primariam talis certitudinis radicem eſſe ſumendam ex hoc, quod D. intellectus antecedenter ad quodcunque decretum, tam abſolutum, quàm conditionatum ex eminentia infinitæ intelligentiæ cognouit, quid voluntas creata factura eſſet, ſi poneretur in hoc, vel illo ordine ex hypotheſi, quod Deus ſuum concurſum ei præberet.

Not. 5. ex Fraſſen tom. p. diſp. 2. de ſcientia media, quod etſi omnes ferè Ieſuitę ſcientiam mediam propugnent, non tamen inuicem conſentiunt in illa explicanda, & probanda. Primò namque diſcrepant in aſſignando medio, in quo illa fundetur. Quidam enim contendunt cum Molina, & Beccano, Deum cognoſcere futura conditionata in ſupercomprehenſione cauſarum, & eminentiſſima cognitione liberi arbitrij. Alij cum Suarez in decreto, vt futuro in ſequenti ſigno rationis, quod ſupra iam improbatum eſt. Alij in veritate obiectiua, quam futura conditionata habent antecedenter ad decretum conditionatum. Secundò diſſentiunt in ſpeciali ratione huius ſcientiæ aſtruendæ. Nonnulli volunt, illam eſſe verè mediam inter vtramque ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: Quidam alij exiſtimant, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe reuocandam; Cęteri cum ſcientia viſionis coincidere. Verùm quidquid dicant Ieſuitæ, ſit noſtra ſententia.

Concl. Scientia media, vel non eſt admittenda, vel ſi admittatur, non conſtituit tertium membrum condiſtinctum à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Hæc eſt communis inter Thomiſtas, & Scotiſtas fideliores ſuorum Doctorum interpretes, & diſcipulos, dixi fideliores, quia ex noſtris non deſunt, qui hanc ſcientiam mediam

 admit-

admittant; pręcipui ſunt Faber, Poncius, Cauellus in Scholio, Boyuin pariter inclinat, Herincx autem eam probabilem exiſtimat, ſed probabiliorem oppoſitam; ideòque ſcientiam mediam impugnat.

Prob. conc. ex mente Scoti in 1. d. 38. reſoluentis ſcientiam Dei de contingentibus non eſſe practicam, vbi ſic docet. Si ante actum Voluntatis D. poſſet intellectus D. aliquam talem cognitionem habere, haberet eam merè naturaliter, & neceſſariò; quia omnis cognitio præcedens ibi actum Voluntatis eſt merè naturalis, & per eſſentiam, vt ipſa eſt merè ratio naturalis intelligendi; ergo ex mente Scoti hæc ſcientia media non eſt admittenda. Eandem doctrinam tradit Scot. d. 41. impugnans ſententiam Henrici dicentis, rationem cur Deus aliquem prædeſtinet, alium verò reprobet, eſſe bonum vſum liberi arbitrij præuiſi ex parte prædeſtinati, & malum vſum ex parte reprobi. Inſuper poſſet noſtra concluſio muniri auctoritatibus SS. Patrum, & præſertìm D. Aug. quia verò eſſet nimis longum illas hìc afferre, ideò vos remitto ad noſtros Doctores, & ſignanter ad Macedo, Maſtrium, & Fraſſen, qui de ſcientia media latè agunt.

Prob. igitur ratione ad hominem ſic. Per vos, ò Ieſuitę, Deus videt conuerſionem Petri hìc, & nunc ſub conditione futuram, antequam, vel vidiſſet, vel decreuiſſet eam abſolutè futuram; ergo vel vidit illam pro illo priori futuram ex ſola determinatione voluntatis Petri independenter ab omni concurſu ſupernaturali Dei, abſolutè, vel conditionatè ſibi præparato: vel videt illam ex ſuppoſitione gratiæ auxilij efficacis, & aliarum circumſtantiarum ad huiuſmodi conuerſionem conducentium, & determinantium. Primum non niſi Pelagianus dicet, & ſecundum, non fauet vobis, ò Ieſuitæ: ergo ſcientia media non eſt admittenda.

Prob. min. interrogando ipſos, an Deus videat conuerſionem Petri, ſic futuram ex ſuppoſitione omnium illorum prædictorum antecedenter ad omne decretum ſuum, ſiuè abſolutum, ſiuè conditionatum, quo concurreret cum voluntate Petri in illis circumſtantijs, vel nec ne? Si primum, ergo ſcientia illa eſt fictitia, & impoſſibilis: ſi ſecundum; ergo ſtabit pro nobis.

Prob.

Prob. prima conſequentia. Sicut impoſſibile eſt aliquid contingenter eſse abſolutè futurum, niſi dependenter à decreto Dei abſoluto, quod eſt prima radix contingentię, ita impoſſibile eſt, aliquod contingens eſſe conditionatè futurum ſine dependentia à decreto Dei, abſolutè, vel conditionatè ponendo; ergo non poteſt Deus videre conuerſionem Petri ante futuritionem abſolutam, vel conditionatam ſui decreti, & conſequenter talis ſcientia in Deo eſt impoſſibilis. Reſp. Aduerſarij, præſupponi decretum Dei conditionatum in hunc modum. Video, quaſi dicat Deus ab æterno, ſi Petrus tali, vel tali tempore vocetur, & diuinis gratiæ auxilijs adiuuetur, & diuinum inſuper concurſum ad hoc habeat, conuertetur.

Contra hanc replicam duo inferuntur à noſtro Doctiſſimo Macedo; primum; ſcientiam mediam non differre à ſcientia ſimplicis intelligentiæ: Secundum; ſcientiam mediam nil facere ad conciliandam infallibilitatem Decretorum Dei cum libertate, & contingentia rerum ſeu cauſarum ſecundarum in agendo. Primum ſic probatur. Poſitis omnibus illis iam dictis conditionibus, adhuc conuerſio Petri manet in ſtatu puræ poſſibilitatis; ergo conuerſio Petri conditionata manet; ſub obiecto ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Prob. ant. Poſitis illis conditionibus conuerſio Petri retinet totam, ac plenam indifferentiam ad eſſe, vel non eſſe, æquè ac ſi non ponerentur tales conditiones; ergo adhuc manet in ſtatu poſſibilitatis: ant. prob. Hæc conditionalis: Si Petrus tali tempore non vocetur, nec ego voluero ad eius conuerſionem concurrere, certò non conuertetur; eſt tam vera, quàm illa iam poſita; & tam benè illam vidit Deus ab æterno, ac illam priorem; & tamen hæc manet in puro eſſe poſſibili: ergo ſcientia media non differt à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus comprehendit ſuam eſſentiam, & omnipotentiam, & videt in theſauris ſuæ miſericordiæ illa infinita media, & auxilia efficaciſſima, quibus præuenire poteſt ſuauiter voluntates humanas, vt conſentiant, & quando, & vbi voluerit. Vnde D. Aug. in Enchirid. cap. 98. ait. *Quis enim tam impiè deſipiat, vt dicat, Deum malas voluntates hominum, quæ voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non poſſe conuertere.* Prob. 2. Quod nimirum, ſcientia media nil faciat ad

conciliandam humanam libertatem cum diuinis decretis; quia in ſtatu conditionato debent præſupponi eadem pręrequiſita conditionatè, quæ in ſtatu abſoluto ſupponuntur abſolutè; ac proinde ſi lædatur libertas per decreta abſoluta, læditur etiam per conditionata ex hoc capite.

Præterea, non requiritur nec ex parte vniuerſalis prouidentiæ in ordine ad gloriam. Ratio, quia ad infallibilitatem D. prouidentiæ ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus nouit, quid ſit poſſibile ſibi per talia, vel talia principia operari liberè concurrente cum libero arbitrio humano; huic enim ſcientiæ, accedente decreto, infallibiliter futurum eſt, & quidem liberè, prout Deus decreuerit.

Addo, quod ſcientia media deficit in prouidentia vniuerſali circa omnes homines; cum ad omnes non poſſit ſe extendere; quod manifeſtè patet; deficit enim in paruulis morientibus in vtero matrum, qui non ſunt capaces illius poſitionis in ſtatu indifferentiæ, ac libertatis, nec congruitatis, aut opportunitatis, in qua præuideantur operaturi, vel non. Immo præuidentur eſſe in ſtatu incapaci operationis, ac proinde ſine libertate propria perituri: quomodo ergo eis conſulitur, & prouidetur per iſtam ſcientiam mediam? Idem eſt de multis Amentibus à natiuitate, in eadem morituris; ergo concludendum eſt, vel non eſſe admittendam ſcientiam mediam, vel coincidere omninò cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Arg. cont. conc. Deus cognoſcit veritatem huius futuri conditionati, ſi dederim Petro gratiam efficacem, conuertetur: ſed id non cognoſcit niſi per ſcientiam mediam: ergo &c. Reſp. neg. min. Nam illa veritas cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quia licet extrema ſint libera, & contingentia, tamen ſignificatio, quæ in ea exprimitur eſt infallibilis, ac proinde ad ſcientiam Dei naturalem pertinet; cum enim in hac conditionali: Si dederim Petro gratiam efficacem, conuertetur, exprimatur bonitas illationis, & conſequentiæ, quæ eſt neceſſaria, vt potè deducta ex hoc principio neceſsario. Quicquid Deus efficaciter vult, eueniet; ideo veritas illius conſequentiæ agnoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Contra futura conditionata, quorum conditio nun-

quàm

quàm ponatur, non cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cum illa ad ſola poſſibilia. & neceſſaria terminetur; neque per ſcientiam viſionis, quia illa circa ea tantum verſatur, quæ ſunt abſolute futura; ſed talia futura, cum nunquam habitura ſint in tempore exiſtentiam, defectu conditionis, quæ nunquam purificabitur, non ſunt realiter, ſed obiectiuè tantùm, Deo præſentia in æternitate, ergo illa non poſſunt a Deo cognoſci, niſi per ſcientiam mediam.

Reſp. futura illa cognoſci à Deo per ſcientiam viſionis; non quatenus eſt viſionis formaliter, quia ſub hac ratione terminatur ſolum ad res futuras abſolutè; ſed quatenus eſt libera, & approbationis, ſeu prout habet adiunctum decretum D. voluntatis, in quo fundatur, & cui, vt medio innititur; ſic enim non terminatur ſolùm ad res abſolutè futuras, ſed etiam ad omnia obiecta libera, & contingentia, quæcunque illa ſint, ſe extendit.

Cæterùm poteſt etiam dici, futura illa cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nam ſicut datur in Deo ſcientia viſionis naturalis, & neceſſaria, nempe viſio eſſentiæ D. & alia libera, ideſt creaturarum; ita datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ naturalis, quæ circa merè poſſibilia verſatur, & libera, quæ fertur circa conditionatè futura; iuxta doctrinam, ſuperiùs allatam de hac materia.

Arg. 2. Futura conditionata, ſecluſo decreto diuino, habent veritatem, & falſitatem; ergo ante decretum cognoſcuntur a Deo; ſed non per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia contingentia, & conditionata ſunt; neque per ſcientiam viſionis, quia hæc ſequitur ſemper decretum, ergo per ſcientiam mediam. Prob. ant. Congruitas vocationis non dependet à decreto Dei; ideò namquè vocatio Dei eſt congrua, non quia eligitur à Deo. ſed ideò eligitur à Deo, quia eſt congrua, ergo ante liberam electionem cognoſcit Deus congruitatem vocationis, & conſequenter cognoſcit etiam futuram conuerſionem, quæ ex tali vocatione orietur.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicimus, Deum cognoſcere illam congruitatem vocationis per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & videt illam per ſcientiam viſionis in decreto efficaci conuertendi hominem per illam congruam vo-

cationem, qua Deus vtitur ad finem ab ipſo intentum.

Contra. Duæ contradictoriȩ prȩciſo omni decreto habent veritatem, & falſitatem determinatam; poſitis enim contradictorijs: Erit, aut non erit, ſequitur neceſſariò vnam ex ijs eſſe veram, alteram falſam. Quarè, qui dicit; Petrus operabitur in his circumſtantijs, vel non operabitur, duas ponit contradictorias, quarum vna erit vera, & altera falſa; cum ambȩ verȩ, vel falſȩ eſſe non poſſint; ergo ante omne decretum Deus cognoſcit determinatam veritatem, & falſitatem earum.

Reſp. neg. aſſumptum, nempè illas propoſitiones contradictorias de futuro conditionato habere obiectum ex ſe determinatè verum, vel falſum; ſed per decretum habetur, vel veritas, vel falſitas. Sunt quidem vera dilemmata in hoc ſenſu diuiſiuo: Erit hoc, vel non erit; ſed ex hoc non ſequitur, erit, quia hæc veritas poſitiua dependet à poſitione decreti Diuini.

Dices. Per ſcientiam conditionatam videri quid creatura ageret, ſi haberet paratum in actu primo concurſum Dei indifferentem, ſed hic concurſus non neceſſariò infert actionem creaturæ; cum ex parte ſua ſit indifferens, tam ad hanc actionem creaturæ, quàm ad oppoſitam, ergo &c.

Reſp. neg. aſſumptum. Non enim poteſt videri quid creatura ageret determinatè, niſi ſimul proponatur concurſus Dei determinatus in eadem conditione, qui quidem concurſus eſt identificatus cum actione creaturæ. Immò etiam gratis conceſſo concurſu ex parte Dei indifferentis, adhuc non ſufficeret, vt Deus ſciat quid creatura in hac, vel illa conditione ageret, niſi accederet in eadem hypotheſi concurſus determinatus Dei: hoc autem accedente, & ſuppoſito, talis enunciatio conditionalis, ſeù obiectum illius ſpectabit ad ſcientiam ſimplicis intelligentiȩ.

Arg. 3. Nequit D. Voluntas, ſalua libertate creata, abſolutè, & efficaciter determinare omnes actus determinatè futuros à cauſis liberis, quin ante decretum certò ſciat ſaltem conditionatè, quid Voluntas humana ſit factura pro quolibet rerum ordine, ſuppoſito, quod velit Deus cum illa concurrere; ergo ante decretum abſolutum nouit Deus futura contingentia in ſe ipſis, ſaltem decreto

con-

conditionato; ac proinde ſcientia media eſt admittenda.

Prob. aſſumptum. Etenim, ſtante abſoluto Dei decreto, vel voluntas creata poteſt in oppoſitum, vel non: ſi ſecundum, ergo non agit vt libera: ſi primum, ergo voluntas creata produceret actum imparticipatum; cum Deus ſupponatur habere ex vi decreti ſtantis, concurſum exhibitum ad oppoſitum actum; præterquàmquòd decretum Dei redderetur inefficax.

Reſp. neg. aſſumptum. Tunc enim impediretur vſus libertatis creatæ, quando tale decretum poneretur antecedens, & non concomitans creatam voluntatem, de quo in ſequenti quæſtione. Ad probationem dicitur, quod, ſtante illo decreto, non poteſt in actum oppoſitum in ſenſu compoſito; ſed tantum in ſenſu diuiſo. Neque tollitur, vel impeditur ex hoc vſus libertatis, quia, cum non ſit decretum antecedens, ſed concomitans, hoc eſt ſimul inuoluens determinationem voluntatis creatæ ob eius virtualem, & eminentialem continentiam in voluntate D. ſecundùm omnem volendi modum, & differentiam agendi, talis neceſſitas erit tantùm conſequentiæ, quę, cum ſit in poteſtate etiam voluntatis creatæ ratione talis concomitantiæ, non impeditur eius libertatis vſus. Similiter ex hoc, quod poſſit in actum oppoſitum in ſenſu diuiſo, non ſequitur, quod efficeret actum imparticipatum, quia licet Deus ab æterno determinauerit concurrere, e. g. ad actum amoris, quem voluntas creata pro ſua libertate in tempore eſt poſitura; ſemper tamen ſupponitur, Deum habere ante illud decretum particulare aliud generale decretum, quatenùs cuilibet cauſæ liberæ offert concurſum paratum ad vtramque partem ſpectans ad actum primum, ratione cuius in ſenſu diuiſo poteſt in oppoſitum eius, quod determinatum eſt.

QVÆSTIO XII.

Vtrum decretum antecedens, vel ſubſequens, vel potiùs concomitans ſit in Deo prima ratio cognoſcendi effectus liberos creatæ voluntatis.

NOt. Quòd in hac celebri quæſtione ſunt tres opiniones. Prima eſt Thomiſtarum aſſerentium, quod ſicut

Deus in tempore concurrendo cum cauſis ſecundis, tàm ordinis naturalis, quàm liberi ad eorum effectus, phyſicè eas prædeterminat ad talem, & talem operationem, in illis intrinſecè imprimendo qualitatem aliquam abſolutam per modum tranſeuntis, vel permanentis, quæ ſit vltimum complementum actus primi cauſarum ſecundarum, vt proximè agant; ità pariter proportione ſeruata ab æterno ſuo decreto abſoluto, & efficaci, non ſolum effectus ab eis futuros, ſed ipſas quoque extrinſecè prædeterminat ad operandum, decreto antecedente earum vſum libertatis, & correſpondente prædeterminationi phyſicæ, qua eas prædeterminat in tempore; idque vocant prædiffinitionem; non tantùm, vt ly (præ) dicit anteceſſionem æternitatis ad tempus; ſed eti m prioritatem in ratione cauſæ; adeòut decretum iſtud præcedat, nedum omnem ſcientiam futuritionis eorumdem actuum, ſed etiam quamcunque determinationem humanæ voluntatis ad eoſdem actus; idque in ratione cauſę: ità diſcurrunt omnes Recentiores Thomiſtæ apud Maſtrium diſp. 3. de intellectu D. q. 3. art. 6. n. 141.

Secunda opinio eſt Neutralium, qui per ſcientiam mediam procedentes, aſſerunt, D. intellectum ante quodcunque decretum, ſiue abſolutum, ſiue conditionatum agnoſcere quid ſit factura determinatè creata voluntas, ſi cum his, vel illis circumſtantijs poneretur, vt ſupra &c.

Tertia opinio eſt Scoti, & Scotiſtarum, qui ſemper impugnarunt decretum antecedens, ſeù phyſicas prædeterminationes cum Scoto in 1. d. 39. §. viſo de contingentia, in 2. d. 37. q. 2. §. contra iſtam, & quol. 14. §. hic intelligendum, & alibi, aſſerentes Deum certitudinaliter futura contingentia cognoſcere ex determinatione ſuæ voluntatis. Et quàmuis hæc videatur aperta Scoti ſententia, nihilominus, quidam Scotiſtę, ſignanter Sghemma lib. 2. phy. digreſſ. 18. de fato q. 2. & 4. & doctiſſimus Macedo tom. 2. collat. amplexati ſunt decretum antecedens abſque tamen intrinſeca, & phyſica prædeterminatione; nam admiſſo decreto antecedente etiam ab æterno, non eſt neceſſe, quod admittatur in tempore phyſica, & intrinſeca qualitas prædeterminans; cum ſufficentiſſimum ſit decretum antecedens, adhoc vt in tempore creatum liberum arbitrium

trium conformetur D. voluntati, cui nulla voluntas reſiſtere valet. Hinc eſt, quod hæc opinio Thomiſtarum de decreto antecedenti, ac de extrinſeca prædeterminatione voluntatis creatæ etiam Scoto adſcribitur, & Scotiſt. Verùm Faſolus Ieſuita in vtraque Schola verſatiſſimus, teſte Maſtrio, nititur oſtendere, hunc dicendi modum falsò, & immeritò Scoto adſcribi.

I. Conc. Decretum antecedens Thomiſtarum non eſt medium idoneum ad cognoſcendos euentus liberos, vt ſic à voluntate creata in tempore futuros. Hæc eſt Scoti loc. cit. & videtur communis extra Scholam Thomiſticam. Poſſet ſiquidem probari hæc noſtra concluſio pluribus Scripturæ, & SS.Patrum teſtimonijs, vt inter alios faciunt Doctores Ieſuitæ; at omiſſa prolixitate, contenti erimus rationibus efficacioribus. Prob. igitur in primis ratione Scotica, & quidem lumine naturali euidente, ac proinde conuincenti. Quandòcunque aliquod conſequens ſequitur neceſſariò ad aliquod antecedens, in cuius poteſtate non eſt illud antecedens, nec in eius poteſtate eſt conſequens ex Scoto in 2. d. 37. q. vn. §. ideò meritò, vbi pluribus hanc maximam confirmat: ſed futurum contingens neceſſariò ſequitur, ſaltem neceſſitate conſequentiæ determinationem D. Voluntatis: ergo in cuius poteſtate non eſt talis determinatio, nec in eius poteſtate erit id, quod illam neceſſariò conſequitur, ideſt futurum contingens: ſubſumo minorem, ſed determinatio antecedens vſum creatæ libertatis, nec vllo modo eum inuoluens, aut formalitèr per præuiſionem futuræ determinationis ad minus ſub conditione, aut virtualiter ob continentiam eminentialem, & virtualem voluntatis creatæ in Diuina, nequit vllo modo eſſe in poteſtate eius: ergo &c. min. patet, & ab Aduerſarijs admittitur: mai. prob. ex doctrina D. Aug. & Anſel. docentium, quod ſuppoſitio omnis, ſi inducat neceſſariò conſecutionem alicuius actus duplex eſſe poteſt comparata ad cauſam liberam, nempè antecedens liberum arbitrium, & conſequens; ac proinde inuoluens liberum arbitrium; primo modo nequit ſubſiſtere libertas creata, ſed benè ſecundo modo; ergo &c.

Reſp. Thomiſtæ Recentiores, omiſſis quorundam aliorum reſponſionibus, decretum antecedens non lædere

liber-

libertatem creatam, quia quando Deus decreuit, vt voluntas noſtra hoc, vel illud faceret, antecedenter quidem decreuit, ſed decreuit, vt illud faceret liberè; ac proindè decretum Dei æternum, non ſolùm non lędit libertatem, ſed potiùs noſtrum liberum arbitrium exercet, & liberè exercet, ſicut quando decreuit, cauſam naturalem producere tales, & tales effectus accommodatur quodammodò cauſæ naturali, ità ſuo decreto libero accommodatur lib. arbitio creato, vt liberè valeat operari.

Verùm hæc reſponſio in doctrina Thomiſtarum conſiſtere nequit, inquit Maſtrius: eò quia ſi decretum prædeterminans ex efficacia voluntatis D. non ſolum dat voluntati creatæ operari, ſed etiam modum operandi, nempe cum indifferentia proxima ad vtramque partem contradictionis, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis: ergo ex ſuppoſitione talis decreti, & in ſenſu compoſito fieri poteſt oppoſitum abſque vlla neceſsitate, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid, quod non concedunt Thomiſtæ, ergo reſponſio eorum nequit ſubſiſtere.

Inſuper ſi dicant, quod noſtra voluntas neceſſitatur tantum neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis reſponderi poteſt cum noſtro Delphino, qui in ſuis opuſculis huiuſmodi diſtinctiones plurimorum Doctorum, de neceſſitate conſequentis, & conſequentiæ: de neceſſitate abſoluta, & ſuppoſitionis: de ineſſe, & de poſſibili, ait, turbatos animos minimè placare, anxiaſque, & ſolicitas conſcientias non ſedare, ſed potiùs magis perplexas relinquere; quandoquidem libertatem quandam logicam dumtaxat, vel metaphyſicam in nobis ſaluare videantur, non verò phyſicam, & realem, qualem tribuunt Scripturę, Concilia, & Patres noſtræ humanæ libertati; ex qua doctrina præcluſa remanet reſponſio, vel potiùs euaſio.

Accedit, quod hæretici præſertim Caluiniſtæ, cum quibus in hoc ſęculo decertamus de libero arbitrio, dicunt, lib. arbitrium eſſe rem de ſolo titulo, vel titulum ſine re (contra quos agetur Deo fauente in tract. de grat. & lib. arb.) nullam aliam agnoſcunt neceſſitatem in actibus noſtris, niſi quæ prouenit ex ſuppoſitione antecedentis cauſæ primæ, nempe D. decreti, & preſcientiæ, vt liquidò patet ex ijs, quæ habet Caluinus lib. 3. Inſtit. c. 23. & lib.

& lib. 2. cont. Pichium, vbi dicit, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, quæ enim fortuita, inquit, maximè videntur, ea dicimus fieri, neceſſariò, non ſuapte natura, ſed quoniam æternum, & ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat. Hinc Doctores catholici meritò dicunt, præfatos hæreticos ita diſcurrendo auferre humani arb. libertatem; at ſi verum eſſet, quod ait Aluarez, neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente primæ cauſæ libertatem non tollere, nullum videretur eſſe Catholicorum argumentum contra illos, vt eleganter oſtendit Maſtrius, diſp. cit. tom. 1.

II. Conc. Decretum concomitans, eſt idoneum, ſufficiens, & prima ratio ad præſcienda futura contingentia, ac proinde ad ſaluandam libertatem creatam. Hæc eſt Scoti, & Scotiſtarum præſertim Recentiorum nempe Herincx, Smiſing, Fraſſen, Maſtrij, & aliorum quàmuis aliqui, cum quibus ſentit Macedo loc. cit. admittant de mente Scoti, decretum antecedens extrinſecum, vt ſupra indicauimus; quod multum differt à decreto Thomiſtarum, cum ipſi ponant illud prius prioritate cauſalitatis in quo; Scoticum autem, vel potius quorumdam Scotiſtarum ponitur antecedens, ſeu priùs prioritate à quo dumtaxat, abſque vlla phyſica prædeterminatione, quo ſenſu non ſequuntur ea, quæ videntur lædere creatam libertatem, ſicut ex poſitione decreti Thom. Neque cenſeo, tale decretum eſſe alienum à Scoti mente, docentis pluribi, cauſam primam prioritate à quo antecedere cauſalitatem cauſæ ſecundæ, loquendo de concurſu cauſæ primæ, vt naturæ. Auctoris; nam ſi ſermo ſit de concurſu Dei, vt gratiæ, & gloriæ Auctoris, conſtat præſertim ex Trident. præuenire noſtram voluntatem ſupernaturaliter, & meritoriè operantem. Nihilominus amplector concluſionem tanquàm communiorem Scotiſtarum ſententiam. Prob. igitur oſtendendo quàm ſit rationabilis, & idonea hæc opinio pro concordia D. decreti, & præſcientiæ cum noſtra libertate: quia verò tota difficultas in hoc conſiſtit, vt rectè aduertit Maſtrius; quomodo videlicet D. voluntas prædiffiniendo aliquem effectum futurum à Voluntate creata potuit coincidere in eandem determinationem; talis igitur poſſibilitas, & rationabilitas concomitantiæ D. decreti cum

ti cum

ti cum humano ſic ſuadetur. Stante illo generali decreto de adminiſtratione cauſarum ſecundarum, & maximè libertatem poſſidentium, quatenus vnaquæque ſuos motus agere ſinit, teſte D. Aug. lib.7. de Ciuit. cap. 30. ex hac inquam generali diſpoſitione tenetur Deus, tam in decernendo ab æterno effectus à cauſa libera futuros, quàm actualiter concurrendo in tempore ita ſe illis accomodare; vt ſicut in tempore non concurrit ad efficiendum aliquid, niſi ſecundùm voluntatem creatam. Ita ab æterno nõ decernat in tempore futurum ab ea, niſi quod voluerit; ſed hoc nequit efficere determinando ab ęterno decreto antecedente voluntatem creatam, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo &c. Quòd autem hoc ſit poſſibile, ſuadetur hiſce rationibus, tam à priori, quàm à poſteriori deductis. A poſteriori quidem, nam quicquid perfectionis eſt in rebus creatis, Deo eſt attribuendum, ſecluſis imperfectionibus: ſed cenſetur perfectio inter homines, quod vnus interdum incidat omninò in determinationem alterius hominis, nulla exiſtente in illo præſcientia de eius voluntate, ex ſola ſimilitudine, genio, complexione, vel mero caſu; ergo quod in nobis caſu contingere poteſt, in Deo eſt admittendum, ſublatis imperfectionibus; ob continentiam eminentialem, ſuppoſito decreto de præſtando concurſu rebus, ſeu cauſis, vt ſuos motus agere poſſint.

Prob. inſuper à priori. Sicut Deus, ex eò quod eſt primum ens continet eminentialiter alia entia, & non minus ſine illis, quàm cum illis eſſe poteſt: ex quo eſt primum efficiens continens eminenter omnium cauſarum ſecundarum virtutes productiuas, & non minùs ſine illis, quàm cum illis producere poteſt effectus illarum, & cum eadem perfectione: ex quo eſt primum intelligens, & intelligibile continens eminenter omnia intelligibilia, & non minus ſe, quàm illa natum eſt repræſentare; ergo pariter ex quo eſt primum liberum continebit eminenter omnia libera, & ſecundùm omnem modum agendi poſſibilem; & ex quo eius infinita voluntas eſt infinita in genere potentiæ volitiuæ, nedum prædiffinire poteſt omnes effectus, quos Deus ſe ſolo immediatè efficit, ſed etiam quos vult efficere interuentu cauſarum ſecundarum, coincidendo omninò in eandem determinationem, in quam ipſæ caderent,

rent,

rent, ſi ab æterno forent, & ſimul cum Deo ad agendum ſe determinarent abſque vllo propriæ libertatis præiudicio.

Confirmatur. Etenim Thomiſtæ, vt noſtram libertatem concordent cum D. decretis recurrunt ad efficaciam infinitam D. voluntatis; à qua nimirum cauſæ ſecundæ habent non ſolùm operationem, ſed etiam modum operandi liberum. Neutrales autem recurrunt ad infinitatem D. intellectus, vt pote qui ex ſua eminentia comprehendere, ac penetrare poteſt omnem actiuitatem lib. arbitrij, in quocunque rerum ordine poſiti; vt certò ſciat quid infallibiliter faceret, ſi de facto in hoc, vel illo rerum ordine poneretur, & Deus præſtaret ſuum concurſum: ergo potiori ratione poſſumus nos recurrere ad infinitatem D. voluntatis in ratione primi liberi, ſuppoſita ſola ſcientia ſimplici poſſibilium effectuum ab humana voluntate producibilium in quocunque rerum ordine poſita; cum per talem infinitatem D. voluntas perfectê poſſideat, vt poſſit coincidere in eandem prorſus volitionem, in quam eſt ſe determinatura in tempore humana voluntas. Qua ſiquidem ratione ſaluatur perfectiſſimus decernendi modus ex parte Dei, & remanet intacta libertas ex parte creaturæ, ac proinde vitantur incommoda, & inconuenientia, quę ſequuntur ex ſententia, tam Thomiſtarum, quàm Neutralium.

Arg. 1. contra 1. conc. à Sghemma Scotiſta, aſſerente dari decretum antecedens extrinſecum, vt ſupra explicatum eſt. Ideò voluntas noſtra eſt libera, quia Deus conſtituit eam in eſſe libero; ergo non tollitur, quin operetur liberè, ſi Deus præuoluit, eam liberè velle, ergo decretum, vt noſtra voluntas faciat hoc, vel illud liberè, non tollit, quin liberè velit: prob. conſ. Ad eſſe liberum ſequitur operari liberè, ergo à cauſa prima dante eſſe liberum, ſequitur, vt pariter volens dederit operari liberum, ergo, vt præuolente Deo, actus noſtri erunt liberi.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ad probationem conc. ant. & neg. pariter conſ. Ratio eſt, quia per decretum prædeterminans tollitur libertas, adeòut voluntas non poſſit in oppoſitum; per decretum autem concomitans, eſtò ſit proximè impotens voluntas ad oppoſitum illius, quod eſt ſic determinatum, non tamen tollitur libertas, quia talem

impo-

impotentiam nos ipſi nobis impoſuimus ex poſitione decreti quodammodò à noſtra volitione dependentis. Quarè non ratione decreti tantùm prioris de concurſu parato, ſaluamus libertatem creatam, ſed etiam ratione ipſius decreti concomitantis, etſi determinati ad alteram partem. Poſſet etiam ad vltimam conſ. dici : diſparem eſſe rationem de Deo dante eſſe liberum, & de operari liberè ipſius hominis; primum ſiquidem eſt extrinſecum, ſecundum eſt intrinſecum; cum voluntas intrinſecè, & eſſentialitèr ſit libera in eſſe, & operari.

Contrà. Decretum Dei eſt extrinſecum voluntati, ergo non aufert potentiam intrinſecam, nec eius actionem liberam impedit; ſicut enim decretum in ordine ad effectus cauſæ naturalis non impedit, quin verè naturaliter operetur ipſa cauſa naturalis: ergo &c.

Reſp. neg. paritatem illatam de cauſa naturali, & libera, ac proindè neg. conſ. quia decretum prædeterminans eſt omninò proportionatum modo agendi cauſæ naturalis in ſuo ordine ad vnum determinatæ; ſecùs autem cauſæ liberæ modo libero agentis.

Arg. 2. Quod à ſe liberum non eſt, à ſe liberè non agit, ſed cauſa ſecunda à ſe libera non eſt, ergo à ſe liberè non agit, ac proinde volente Deo agit.

Reſp. quod non bene arguitur tranſeundo ab eſſe ad operari. Verum eſt, cauſam ſecundam liberam eſſe immediatè à Deo, vt à cauſa totali; falſum eſt autem de operatione, in quam voluntas creata tanquam cauſa libera intrinſecè habet influere. Itaquè non valet paritas, quia eſſe eſt à ſolo Deo, operari autem à Deo, vt à cauſa extrinſeca libera, & operatio à principio libero hominis.

Arg. contra 2.conc. ab eodem Sghemma primò ſic. Continentia virtualis cauſæ ſecundæ in prima, abſolutæ neceſſitatis eſt; ergo non ſaluat libertatem: ant. prob. ex eo, quod eſt neceſſe eſſe non oritur libertas eius, quod nondum eſt, ergo ex neceſſitate continentiæ non oritur actus liber voluntatis creatæ.

Reſp. neg. ant. ad probat. negatur aſſumptum abſolutè prolatum, nàm omnia contingentia à voluntate Dei dependent, tanquam à radice prima contingentiæ. Vndè quàmuis continentia virtualis ſit neceſſaria, non tamen

ſequi-

ſequitur, quin poſſit eſſe radix, vnde ſumatur concordia nostræ libertatis cum D. decretis.

Arg. 2. Æquè continetur in cauſa prima cauſa ſecunda naturalis, ac libera; ergo ex continentia eminentiali non pendet libertas. Reſp. diſt. ant. ſub eadem ratione: neg. ſub diuerſa ratione, conc. ant.

Arg. 3. Continentia Dei virtualis eſt ſuppoſitio antecedens actum noſtrum formaliter; ergo ſi decretum Dei liberum antecedens impedit vſum libertatis humanæ, à fortiori continentia Dei virtualis, quæ neceſſariò eſt, & neceſſariò eſt antecedens. Reſp. diſt. ant. Continentia ſola virtualis, conc. ant. decretum de noſtris liberis actibus, & operationibus dependens à virtuali continentia, & à lege ſtatuta, quod cauſæ ſecundum ſuum eſſe cauſent, eſt ſuppoſitio antecedens; neg. ant. Eſt enim ſolum ſuppoſitio concomitans decreti, à quo ſumitur proximè, & immediatè libera futuritio actuum voluntatis, non verò à continentia eminentiali ſola, præcisè, & proximè.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum in intellectu Diuino dentur Ideæ.

NOt. 1. Quod tanta vis eſt in ideis, teſte D. Aug. lib. 83. q.q. q.46. vt, niſi his intellectis, nemo ſapiens eſſe poſſit; idcircò priuſquàm finem imponamus difficultatibus explicandis, quæ ad intellectum Diuinum ſpectant, aliquid videndum eſt de eiſdem ideis. Idea ergo ſecundùm nomen venit à verbo, quod eſt videre; nàm ſecundùm rem idea eſt exemplar, quod Artifex in agendo reſpicit, vt producat effectum illi ſimilem: vnde à Scoto ſic definitur. Idea eſt ratio æterna in mente diuina exiſtens, ſecundùm quam aliquid eſt formabile ad extra, tanquàm ſecundùm propriam rationem eius.

Not.2. Quòd licet ſub diuerſis terminis à nonnullis Doctoribus deſcribatur idea; attamen omnes conueniunt in eadem ratione definitionis; & ſi diſſentiant in aſſignanda ratione ideæ. Recentiores enim putant ideam Diuinam eſſe ipſumet actum intelligendi; quo Deus concipit creaturam factibilem, ac proindè ideæ ratio non ſit conceptus

 ali-

eſt, in ipſo vita erat. Quid eſt hoc, inquit, vita erat? Facta eſt terra, ſed ipſa terra, quæ facta eſt, non eſt vita, eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritualiter ratio quædam, qua terra facta eſt, & hæc vita eſt: & ſubdit ad rem; *Faber facit Arcam, primò in arte habet Arcam &c.* Accedit etiam ratio. Nàm Deus eſt omnium Artifex, vt habetur Sap. cap.7. & agens intellectuale, non irrationabile, ſed agens rationabile, ait Scot. ac proindè habet in mente ideas omnium rerum productibilium; ergo &c.

II. Conc. Idea D. eſt conceptus obiectiuus, non quidem eſſentia D. quatenùs eſt imitabilis à creaturis, ſed quatenùs repræſentatiua illius eſſe, quod creaturæ habent ab intellectu D. eſt Scoti, vbi ſupra. Prima, & tertia pars patent ex doctrina primi notabilis, remanet igitur probanda 2. pars, quæ eſt contra Thomiſtas, & alios, ſtatuentes rationem ideæ in eſſentia D. quatenùs eſt cauſa equiuoca continens eminenter creaturas, ac proinde participabilis, & quodammodò imitabilis à creaturis ſecundum naturam, ſeù in ratione entis.

Prob. ſic. Imitabilitas in natura non requiritur in ratione exemplaris, ſed ſola imitabilitas repræſentantis, vt patet in idea creata, quæ plerumque eſt alterius naturę ab opere artificiali; ergo &c.

Confirmatur. Nàm, vt docet D. Bonau. in 1. d.35. art. 1. q.3. Similitudo imitationis eſt modica, quia in modico poteſt finitum imitari infinitum; vndè ſemper eſt maior diſſimilitudo, quàm ſimilitudo: ſed perfectiſſima ratio operandi Supremi Artificis poſtulat ſummam ſimilitudinem inter ideam, ſeu exemplar, & exemplatum; ergo &c.

Confirmatur 2. Quia eſſentia D. eſt idea creaturarum ſecundùm ſe totas; ſicut ſecundùm ſe totas ſunt artefacta; ſed creaturæ ſolum imitantur eſſentiam D. ſecundùm gradus quoſdam communes, & tranſcendentales, ergo eſſentia D. eſt idea creaturarum, non quà imitabilis, ſed quà obiectiuè repræſentans.

III. Conc. In Deo ſunt plures ideæ non realiter, aut formaliter diſtinctæ, ſed tantùm denominatiuè. Eſt iuxta Scoti doctrinam, & prob. quoad omnes partes. Non ſunt, inquam, plures realiter diſtinctæ, quia in Diuinis non eſt diſtinctio realis, niſi inter Perſonas D. inter quas interce-

dit relationis oppoſitio. Neque ſunt plures formaliter diſtinctæ, quia eſsentia D. quatenùs repræſentans hominem non eſt formaliter ex natura rei à ſe diſtincta, quatenùs repræſentans Angelum; alioquin ſicut creaturæ ſunt numero infinitæ in Deo relucentes, & poſſibiles, ità eſſent infinitæ formalitates in eſſentia D. ergo remanet, quod ideæ diſtinguantur denominatiuè tantùm, quatenùs terminantur ad hanc, vel illam creaturam; quæ doctrina eſt conformis D. Aug. dicenti lib.8. q.q. q.46. *Non eadem ratione homo formatur, qua Equus, hoc enim abſurdum eſt exiſtimare, ſingula igitur proprijs ſunt creata rationibus*: quo loquendi modo indubiè indicat, ideas eſse plures, & diuerſas, non quidem intrinſecè, & ſecundùm diuerſam entitatem, ſed extrinſecè ſaltèm, & denominatiuè iuxtà diuerſum reſpectum rationis, & diuerſam terminationem, quam eſſentia Diuina, vt infinitè repræſentatiua habet ad diuerſas creaturas. Quarè ex dictis patet primò, Deum non habere ideam impoſſibilium, nec figmentorum, aut negationum, cum hæc non habeant propriam entitatem factibilem. Negationes namque habent ideam per accidens tantùm, ideſt poſitiuorum. Similiter peccata quoad eſſe formale non habent in Deo ideam, benè tamen quoad eſse materiale, ſeù quoad entitatem phyſicam actus mali. Patet 2. Deum non habere ideam ſuæ eſsentiæ, & Perſonarum D. quia neque eſsentia, neque relationes perſonales ſunt producibiles propriè; procedunt ſiquidem Perſonæ, non ſecundùm principium repræſentatiuum, ſed ſecundùm principium fęcundum, ſeu ex naturali fęcunditate D. eſſentiæ. Patet 3. Deum habere proprias, & diſtinctas ideas omnium factibilium habentium proprium eſse, ac perconſequens non tantùm ſpecierum, ſed etiam ſingularium, vt etiam D. Bonau. tenet contra Henricum quol.7. q.5. exiſtimantem ſingularia non habere propriam ideam, ſed fieri per ideam ſpeciei; quod communiter abſurdum putatur cum Deus ſingularium, tanquàm factibilium habeat notitiam, quæ nil aliud eſt niſi idea formalis. Ex quo etiam ſequitur quod Deus non ſolum compoſitorum, ſed etiam ſingularium partium diſtinctarum proprias ideas habet, & per conſequens etiam materiæ primæ, & accidentium, & ſi D. Thom. p.1. q.15. art. 3. id neget de mate-

ria

ria prima, quam, ait, fieri per ideam compoſiti, & ibidem ad 4. de accidentibus dicit, ea fieri per ideam ſubiecti, cum quo ſunt ſimul, vel, quæ ſunt à ſubiecto inſeparabilia. Patet 4. Deum non ſolum habere ideas creaturarum aliquandò exiſtentium, ſed etiam merè poſſibilium; nam ſcientia idealis, ſeù artificialis ſpectat ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & eſt quodammodò practica, ſeù oſtenſiua operis faciendi per voluntatem Dei; ac proindè eſt prior volitione ipſa, cum Artifex operetur per voluntatem, cui præeſt notitia factibilium.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum in Deo ſint virtutes intellectuales.

NOt. Quòd quinque virtutes intellectuales ab Ariſt. 6. Ethic. cap. 3. enumerantur, nempe ars, prudentia, ſcientia, ſapientia, & intellectus, quibus à Theologis additur fides theologica; manifeſtum eſt autem eas non reperiri in Deo cum imperfectionibus, quas præſeferunt virtutes intellectuales creatæ: idcircò remouenda eſt ratio accidentalis habitus, & omnis realis diſtinctio, limitatio ad certum obiectum, dependentia à diſcurſu, & ſimiles imperfectiones, quibus omnibus remotis, ſi adhuc reſtet aliqua pura perfectio per nomen ſignificata, ea eſt Deo tribuenda; aliter nequaquàm iuxta regulam traditum à D. Aug. lib. 2. ad Simplician. quæſt. 2.

I. Conc. In intellectu Diuino admitti poſſunt omnes virtutes intellectuales (ſi fides, & ſpes theologica excipiantur) ſecluſis tamen imperfectionibus; quæ ſe tenent ex parte virtutis creatæ. Hæc eſt communis ſententia Theologorum. Prob. 1. Quicquid perfectionis relucet in creatura, non eſt denegandum creatori, ſed virtutes intellectuales in creaturis ſunt perfectiones, ergo non ſunt Deo denegandæ.

Confirmatur. Nam Sacræ Litteræ, & SS. Patres paſſim Deum vocant Artificem, prudentem, ſapientem &c. ergo volunt in Deo reperiri virtutes intellectuales artis, prudentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ &c. Tùm quia in Deo concipimus actus veros correſpondentes virtutibus intellectua-

 libus,

libus, eadem namque cognitio Dei iuxta variam tendentiam, ac terminationem ad obiecta, modo habet rationem prudentiæ, modo artis &c. ergo &c.

Hinc rectè infertur, in Deo non reperiri prudentiam ſub conceptu Ebuliæ, quæ eſt conſultatio de medijs, quia conſultatio ſupponit dubium, & ignorantiam de ijs, de quibus fit conſultatio. Similiter excluditur à Deo docilitas, quæ importat promptitudinem ad diſcendum, & ſolertia, quæ importat promptitudinem ad inquirendum. Reperitur tamen in Deo conſilium, ideſt iudicium certum, ſeu certa cognitio agendorum, & prudentia gubernatrix in ordine ad creata, non verò prudentia monaſtica, quia hæc diſponit agibilia ſpectantia ad commodum priuatum Agentis, quibus Deus non indiget.

II. Conc. Virtutes intellectus D. non ſunt aliquid potentiæ ſuperadditum, nec formaliter inter ſe diſtinctę, ſed ſola ratione. Hæc eſt conformior menti Scoti in 4. d.46. q. 4. vt tradunt Smiſing. Herincx, & plures alij Scotiſtæ contra multos Scotiſtas, oppoſitum ſentientes.

Prob. 1. pars. Quandòcunque aliqua potentia ex ratione ſua formali eſt ſufficiens ad omnem perfectionem intelligendi, non eget aliquo ſuperaddito; ſed intellectus D. eſt huiuſmodi: ergo &c. Sècunda, & tertia pars ſequuntur ex probatione primæ partis. Etenim cum virtutes intellectuales ſint formaliter ipſamet virtus intelligendi in actu primo, nulla diſtinctio formalis inter eas admitti poteſt, ſed ſola diſtinctio rationis, quatenùs concipimus eandem indiuiſibilem potentiam intellectiuam ad diuerſa obiecta tendere ſub diuerſis rationibus. Nec obſtat Scot. in 4. d. 46. q. 3. ʃ. concedo: hoc enim in loco non loquitur reſolutiuè, vt rectè aduertit Herincx, cum q.4 & 1. ʃ. ad aliud dicendum, potius inclinet in noſtram concluſionem. Itaque ad ſummum reſoluit, quod iuſtitiæ, & miſericordiæ D. quæ ſunt virtûtes D. voluntatis, vt dicetur in ſequenti diſp. non repugnat diſtinctio formalis, quatenùs eſt ex parte ſimplicitatis Dei; quaſi repugnet ponere in Diuinis diſtinctionem formalem.

DIS-

DISPVTATIO VII.

De Voluntate Diuina.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Deo ſit Voluntas per modum potentiæ, ſeu actus primi.

NOt. 1. Quod fide ſupernaturali conſtat, Deum eſſe voluntate præditum, cum ipſa S. Scriptura pluribus encomijs diuinam voluntatem celebret; & ipſe adorandus Saluator ſuos diſcipulos edoceat, vt inter orandum Patrem Diuinum his verbis inuocent. *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in Terra*: & Apoſtolus Romanos hortatur cap. 12. *Vt probent, quæ ſit voluntas Dei, bona, beneplacens, & perfecta*. Ex quo fit, vt nullus abſque hęreſis èrrore poſſit Deo voluntatem denegare. An verò naturali ratione hoc notum ſit, ac demonſtrari poſſit. Scot. in p. d. 2. q. 2. affirmat, eò, quia primum, & ſupremum agens debet eſſe intelligens, & volens, cum neceſſariò debeat intendere finem, & eligere media, eaquè ordinatè diſponere ad finem aſſequendum.

Not. 2. Quod Diuina voluntas diſtinguitur formaliter ab eſſentia Diuina, nam, ſicut de intellectu Diuino in ratione potentiæ dictum eſt, ità pariter diſcurrendum eſt de voluntate, & volitione in ordine ad eſſentiam Diuinam. Quàmuis multi Recentiores pręcipuè Suarez putet, in Deo, potiùs eſſe ponendum actum volendi, quàm voluntatem, loquendo de voluntate eſſentiali; nàm ſi ſermo ſit de voluntate notionali; nullus Theologorum denegat, talem voluntatem habere rationem potentiæ, ſic enim eſt productiua Spiritus Sancti, & eſt principium quo ſpirationis, de quò infra.

Conc. In Deo reperitur voluntas per modum potentię, ſeù actus primi, & diſtinguitur formaliter ab eſſentia Diuina, & etiam à Diuina volitione. Eſt Scoti in p. d. 2. q. 2. & Scotiſtarum: eſt tamen contra Thomiſtas, Nominales, & Neutrales. Probari poteſt hæc concluſio ijſdem rationibus, quibus probata fuit concluſio de intellectu, quo ad pri-

ad primam partem, & etiam quò ad ſecundam, præter ea, quæ tradita fuerunt in quæſtione de diſtinctione formali attributorum ab eſſentia Diuina, & ab inuicem: ea propter non immoror ad hanc concluſionem probandam, ne dicta repetamus.

Arg. 1. contra conc. Agens, pollens voluntate propriè dicta poteſt ad oppoſita; ſed Deus non poteſt ad oppoſita ergo &c. minor eſt euidens, aliter eſſet in Diuina voluntate variatio. Reſp. conc. mai. & neg. min. ad rationem dicitur, quod, & ſi Deus ſua voluntate poſſit ad oppoſita, nulla tamen in eo cadere poteſt variatio, ſeu mutatio intrinſecè, cum ſit vnicus actus infinitus indiuiſibilis, ſed tota variatio eſſet ex parte effectus, & extrinſecè; vt infra explicabitur.

Arg. 2. In Deo nequit eſſe appetitus in bonum conſentaneum; ergo neque voluntas, quæ coincidit cum tali appetitu. Reſp. diſting. ant. Quatenùs appetitus importat deſiderium boni abſentis, conc. ant. quatenùs importat pondus, inclinationem, & complacentiam in obiecto ſibi conſentaneo, neg. ant.

Quæres. Quotuplex ſit diuina voluntas.

Pro reſolutione præſentis quæſiti aduertendum, quod licet voluntas D. & volitio ſint duæ ſpecialiſſimæ realitates, tamen ob quandam æquiualentiam ad plures volitiones noſtras, & ob diuerſam terminationem ad diuerſa obiecta, & effectus ſic Scriptura de eis loquitur, ac ſi eſſent plures, vt in Pſalmo 100. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius*: & hinc Doctores, ac SS. Patres occaſionem ſumpſerunt variè diuidendi Diuinam voluntatem; & eius volitionem. Itaque primò diuiditur Voluntas ab Alenſi, à Diuo Bonauentura, & Scoto in voluntatem Beneplaciti; & in voluntatem ſigni. Prior eſt, qua Deus auerſatur malum, & proſequitur bonum, de hac procedit illud Pſalmi 113. *Omnia, quæcunque voluit fecit*. Poſterior (quę methaphoricè tantum eſt voluntas) eſt ſignum externum, ſeù effectus aliquis externus ſignificans, & indicans Dei voluntatem, & de hac intlligitur illud, quod ad Theſſalon. cap. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, ideſt Sanctificatio eſt effectus, & Signum D. Voluntatis; Signa autem D. voluntatem manifeſtantia; ſecundum quæ etiam

diuidi

diuidi ſolet hęc voluntas ſigni, ſunt quinque, nempè. Pręceptio, prohibitio, conſilium, permiſſio, & impletio, quę omnia hoc carmine exprimuntur. *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.*

Secundo diuiditur in voluntatem abſolutam, & conditionatam. Prima eſt, quà Deus vult aliquos effectus futuros abſque vlla dependentia ad aliquam conditionem priùs ponendam. Conditionata eſt, quà Deus operatur cum dependentia ad aliquam conditionem nunquàm ponendam; hac voluntate voluit Deus pęnitentiam Tiryorum, & Sydoniorum, ſi Miracula Chriſti vidiſſent, ac eius prædicationem audiſſent.

Tertio diuiditur in voluntatem antecedentem, & conſequentem, ſeu in efficacem, & inefficacem. Antecedens iuxta Scotum in 4. & in 1. d. 46. & alios paſſim dicitur, quà Deus vult aliquid, quantum eſt de ſe, ſeu ex parte ſui, & hæc, vt notat Herincx dici poteſt abſoluta, & efficax reſpectu mediorum, quæ de facto Deus vitalis voluntatis ex parte ſua miniſtranda ſubminiſtrat; reſpectu verò finis eſt inefficax, & conditionata, & de hac voluntate intelligitur illud Ezech. cap. 24. *Mundare te volui, & non es mundata*: & Mat. cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos &c & noluiſti.* Voluntas autem conſequens ſumitur prò voluntate omninò efficaci, quà Deus vult aliquid eſſe, aut fieri efficaciter, & abſolutè, omnibus ſpectatis: & de hac loquitur Scrip. Iſai. cap. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, & in pſalm. *Omnia quæcunque voluit fecit*. Cęterùm aduertendum; quod voluntas beneplaciti ſecundùm multos Doctores diuiditur in antecedentem, & conſequentem, cui diuiſioni videtur fauere Scot. dicens, quod voluntas antecedens, eſt efficax ex parte ipſius Dei, eſtò ſit inefficax ex parte finis aſſequendi.

Quæres. An permiſſio ſit actus poſitiuus D. voluntatis conſequentis, & efficacis non ponendi impedimentum obiecti permiſſi.

Reſp. Fraſſen: pluribus adductis ad mentem Scoti, quod Diuina permiſſio diſtingui poteſt, in Phyſicam, & Moralem. Moralis eſt, quà non ponitur impedimentum morale actui faciendo, nempe præceptum, conſilium &c. Hæc autem moralis permiſſio non apparet, eſſe actus poſitiuus

D. voluntatis, ſed tantùm ad illam ſufficit non poſitio præcepti, conſilij &c. Permiſſio verò Phyſica eſt, qua Deus non ponit impedimentum phyſicum actui faciendo, quæ quidem permiſſio eſse poteſt, vel reſpectu ſimplicis omiſſionis actus, & ad hanc permiſſionem ſufficit negatio concurſus ad actum oppoſitum illi omiſſioni; vel reſpectu actus poſitiui, & hæc neceſſariò requirit voluntatem poſitiuam Dei, quia nullus actus poſitiuus poteſt eſſe abſque concurſu Dei poſitiuo. Hic autem concurſus nequit eſſe abſque poſitiua Dei volitione. Itaque permiſſio reſpectu actus poſitiui importat actum poſitiuum D. voluntatis ſecùs autem reſpectu actus omiſſionis. Videri poſſunt Fraſſen, Herincx, & Nicol. de Niſe pro vberiori Doctrina.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit obiectum Diuinæ voluntatis.

NOt. Quod, in ſuperiori diſputatione agendo de obiecto, aſſignauimus ſecundùm mentem Scoti duo obiecta ipſi intellectui D. alterum primarium, alterum ſecundarium; Vnde hic pariter eadem obiecta de mente Scoti, & aliorum D. voluntati aſſignantur; certum eſt enim apud Theologos, D. Eſſentiam ſecundnm ſe conſideratam eſſe primum obiectum, nedum intellectus, ſed etiam D. voluntatis, difficultas tamen eſt, ſub qua ratione ipſa D. Eſſentia habeat rationem obiecti primò mouentis, & terminantis D. voluntatem. Quidam affirmant obiectum D. voluntatis motiuum eſſe D. Bonitatem non eſſentialem, ſed attributalem. Cæteri verò cum Scoto, & eius diſcipulis aſſerunt obiectum formale adæquatum motiuum D. voluntatis, & ad ſui, & ad ſuorum attributorum amorem, eſſe ipſammet bonitatem eſſentialem, ac proinde Deum ſe ipſum amare ob ſuam eſſentialem bonitatem.

Not. 2. ex Scot. q. 16. quol. quod triplex eſt libertas. Prima dicitur libertas contrarietatis, ſeu ſpecificationis, quà voluntas poteſt tendere in aliquod obiectum, vel in aliquod oppoſitum, & qua poteſt elicere actum amoris, vel odij. Secunda dicitur libertas contradictionis, ſeu exercitij, qua voluntas poteſt actum elicere, vel non elicere,

cere, in obiectum tendere, vel non tendere. Tertia dicitur libertas eſſentialis; qua voluntas cum ex intrinſeca ſua ratione ſit Domina ſuorum actuum cenſetur ſemper ex ſe liberè actus ſuos elicere, & in obiectum tendere, eſtò ab extrinſeco moueatur, & neceſſitetur. Quarè hoc eſt diſcrimen inter indifferentiam, neceſſitatem, & libertatem eſſentialem, quod indifferentia ſubſiſtere nequit cum neceſſitate, quod enim eſt indifferens, eſt contingens; neceſſarium autem, & contingens inter ſe opponuntur, ac proinde ſimul conſiſtere non poſſunt. Neceſſitas verò ſtat cum libertate eſſentiali, cum talis libertas nullam importet indifferentiam, ſed ſolum propenſionem voluntariam in ſuum obiectum. Vnde indifferentia, veluti ratio formalis libertatis, ſpectat tantùm ad libertatem ſpecificationis, & exercitij.

I. Conc. Obiectum primarium primitate, nedùm dignitatis, & perfectionis, ſed etiam primitate virtutis, ſeù motiui D. Voluntatis eſt D. Eſſentia. Hæc eſt communis. Prob. primò auctoritate Sac. Script. Prouerb. c.16. *Vniuerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus*, ideſt voluit propter ſuam eſſentiam. Prob.2. ratione. Actus D. Voluntatis, qui eſt amor, eſt perfectiſſimus; ergo debet ei correſpondere obiectum motiuum perfectiſſimum: ſed nullum eſt perfectius obiectam D. Eſſentia, ergo &c.

II. Conc. Eſſentia D. ſub ratione bonitatis eſſentialis eſt obiectum primarium motiuum, & terminatiuum D. Voluntatis. Eſt Scoti, D. Thomæ, & aliorum contra quoſdam. Prob. Eſſentia Diuina ratione ſuæ bonitatis, & perfectionis eſsentialis virtualiter, & eminenter, & radicaliter continet perfectionem, ſiue eſſentialem, ſiue attributalem: ergo ſub hac ratione eſt obiectum primarium motiuum, & terminatiuum D. Voluntatis; quæ omnia continet.

III. Conc. Deus ſe ipſum amat neceſſariò, & liberè libertate eſsentiali. Eſt Scoti quol.16. art.1. & Scotiſtarum. Prob. conc. quoad 1. partem à Scoto ſic. Deus eſt neceſſariò Beatus, ergo neceſſariò videt, & diligit obiectum Beatificum; ſed ipſemet Deus eſt ſibi obiectum beatificum; ergo actu neceſſariò ſe ipſum videt, & amat.

Confirmatur. Nàm amor ipſius Dei nequit abeſse ab ip-

ſomet

ſomet Deo, cui realiter identificatur, ergo non eſt contingenter in Deo, ac proindè neceſſariò eſt in ipſo Deo.

Prob. 2. pars. Libertas eſsentialis voluntatis eſt ſumma perfectio; ergo eſt Deo attribuenda in ſuo amore eliciendo, & in diligendo. Prob. 2. D. voluntas liberè operatur circa media, & eadem liberè ordinat ad ſuam bonitatem eſſentialem amandam, tanquam finem; ergo eius amor, & proſecutio finis eſt actus liber libertate eſsentiali.

IV. Conc. Obiectum ſecundarium D. Voluntatis ſunt omnes creaturæ poſſibiles, futuræ, & actuales. Eſt communis apud omnes Theologos. Prob. Omnes creaturæ tales ſunt obiectum ſecundarium D. intellectus: ergo eædem ſunt pariter obiectum ſecundarium D. voluntatis; adeòut in eas tendat aliqua ſua volitione; conſequentia tenet à pari; quia non minùs voluntas, quàm intellectus D. eſt potentia infinitæ perfectionis in agendo, & creaturæ omnes non minùs ſunt volibiles, quàm intelligibiles; erg. &c.

V. Conc. Deus amat creaturas omnes actuales, & futuras amore beneuolentiæ, & quidem liberè, poſſibiles verò amore complacentiæ, & neceſſariò. Prima, & ſecunda pars eſt communis. Tertia eſt Scoti in 1. d. 8. q. 5. & in 3. d. 32. q. vn. & Scotiſtarum, ac Neutralium contra Thomiſtas. Prob. 1. pars. Amor beneuolentiæ ex Scoto in 3. d. 32. eſt efficax Dei volitio, quà circa creaturas aliquid operatur, vel eas deducendo à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis, vel à futuritione ad exiſtentiam; vel in eis aliquid operando, ſiuè per conſeruationem, ſiue per prouidentiam, tàm generalem, quàm particularem: ſed Deus circa creaturas actuales, & futuras ſimilia operatur, vnde in Sapient. cap. 11. habetur de creaturis actualibus. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum &c.* ergo Deus amat creaturas omnes actuales, & futuras amore beneuolentiæ.

Prob. 2. pars. Quod Deus liberè amat futuras, & actuales creaturas. Eſt de fide diffinitum in Concil. Conſtantin. contra Vvicleffum ſeſs. 8. art. 2. Deum ad extrà operari liberè, & patet ex Sac. Script. & præſertim Pſal. 93. *Deus vltionum liberè egit*; ergo Deus liberè amat creaturas futuras, & actuales, ſeù exiſtentes. Tum quia creaturæ ſunt obiecta liberè futura, & voluntariè à Deo in eſſe exiſtentiæ

poſi-

poſitæ; ergo & liberè à Deo amantur: Tum quia libertas, vel neceſſitas in actu amoris D. deſumitur ex libero, vel neceſſario ſtatu obiectorum, ad quæ terminatur.

Prob.3.pars. Amor complacentię ex Scot. eſt ſimplex affectus, ſeù inefficax volitio, quam Deus erga creaturas gerit, nihil tamen circa eas operando, ſed ſolum in ipſis complacendo: at Deus huiuſmodi affectum, & volitionem gerit circa creaturas poſſibiles, ergo eas amat amore tantùm complacentiæ. Prob. min. Creaturæ poſſibiles ſunt verè entia poſſibilia, ergo ſicut Deus eas cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ ob veritatem, & cognoſcibilitatem entitatiuam, ità pariter eas amat amore ſimplicis complacentiæ, ſeù inefficaci ob earum bonitatem entitatiuam iuxtà illud Sapientiæ cap. 11. Diligis omnia quæ ſunt; ergo & creaturæ poſſibiles quę aliquo modo ſunt.

Prob.4. pars. Creaturæ poſſibiles ſunt entia neceſſaria, eſtò non illa neceſſitate, quà Deus, vt alibi tactum fuit, ergo ſicut Deus eas cognoſcit ſcientia tantùm neceſſaria, ità etiam illas amat amore, non libero, ſed neceſsario: conſequentia pat. quia non apparet maior ratio de intellectu, quàm de voluntate.

VI. Conc. Ratio motiua D. voluntatis ad amorem creaturarum non eſt bonitas creata earumdem creaturarum, ſed bonitas eſſentialis Dei. Eſt Scoti in 3. d.32. q.vn. & D.Thomæ. Prob. primò auctoritate Sac. Script. & pręſertim Prouerb. 16. *Omnia propter ſe ipſum operatus eſt Deus*; ergo ratio motiua amandi creaturas eſt bonitas eſsentialis ipſius Dei; Tùm quia videtur repugnare, quod Deus primariò alliciatur, & moueatur à creaturis ad ipſaſmet amãdum; vnde D. Bernard. cap. 4. de diuino amore ait: *Non afficeris à nobis, vel ad nos, cum nos amas*. Tum denique, quia eſsentialis bonitas Diuina eſt nobiliſſima, perfectiſſima, ac ſummè allicitiua ratio, vt potè continens omnes gradus bonitatis creatæ, ergo non bonitas creaturarum, ſed eſsentialis Dei bonitas eſt ratio motiua D. Voluntatis ad creaturas amandas.

Arg. 1. Sac. Scriptura, & Ss. Patres quandòque dicunt, Deum diligere, & facere creaturas aliquas, propter quaſdam diſpoſitiones earum bonas, moraliter, vel phyſicè; ergo non ſola D. bonitas eſt ratio motiua D. Voluntatis, ſed

etiam

etiam bonitas creaturarum: nàm creaturæ reuerà continent in ſe bonitatem entitatiuam. Reſp. Ss. Patres, & S. Scipt. ſolum velle, bonitatem creaturarum eſſe rationem terminatiuam ſecundariò D. voluntatis, non verò eſſe motiuam, vel terminatiuam primariò.

Arg. 2. Merita mouent Deum ad conferendum pręmium; ergo bonitas creata creaturarum eſt quandòque ratio motiua D. Voluntatis. Reſp. diſt. ant. Merita conſiderata in ſe ipſis, in entitate phyſica, vel morali, mouent Deum, neg. ant. quatenùs continentur eminenter, & virtualiter in bonitate eſſentiali Dei, & in D. Eſſentia repræſentata, concedo ant.

Arg. 3. Si Deus diligeret creaturas tantum propter ſuam bonitatem eſſentialem, ſequeretur illam bonitatem habere rationem finis, & creaturas habere rationem medij ordinati ad ipſum finem; ſed conſequens eſt falſum quoad vtramque partem: ergo & ant. min. pat. quia Deus cum ſit omnium finis vltimus non habet finem. Neque creaturæ habent rationem medij reſpectu bonitatis eſſentialis; non enim conducunt ad finis aſſecutionem, ergo &c. Reſp. neg. ſequelam maioris; quoad vtràmque partem, & quandò dicitur, quod Deus non habet finem diſting. ſui ipſius conc. ſuorum effectuum, & creaturarum, quas ordinat ad ſe ipſum verum finem creaturarum; nego.

Dices. Sac. Script. apertè loquitur, Deum agere propter finem; nàm in Prouerb. habetur cap. 18. ***Omnia propter ſe ipſum operatus eſt***, ergo Deus habet propriè finem.

Reſp. Scot. in 1. d. 1. q. 5. quod ly propter, in Deo non dicit cauſam finalem, ſed potiùs rationem volendi obiectiuam; vnde idem Doctor in 3. d. 2. docet ſolam eſsentiam D. eſse rationem volendi omnia.

Contra. Si Deus amaret creaturas ſolum per ſuam bonitatem, ſequeretur, ipſum non habere amicitiæ amorem erga creaturas rationales; ſed conſequens eſt falſum, ergo etiam ant. ſequela maioris patet. Nam ſi quis diligit aliquod obiectum, non propter bonum ipſius obiecti, ſed per bonum diligentis, ille amor non eſt amicitiæ, ſed concupiſcentiæ.

Reſp. neg. ſequelam mai. Ad veram namque amicitiam ſufficit vt amor terminetur à obiectum dilectum, & quod ami-

amicus velit bonum amico propter ſe ipſum eo modo, quo eſt capax illius boni, & ſecundum regulas honeſtatis, non autem oportet, quod obiectum dilectum ſit motiuum illius amoris, ſed ſufficit vt habeat rationem obiecti terminatiui illius amoris. Itaquè eſtò Deus diligat creaturas in ordine ad vltimum finem, adhùc tamen ille amor eſt vera amicitia, quia eſt maximum noſtrum bonum ordinari in Deum, ac proinde amat nos etiam propter noſtrum bonum: Sicut quando quis diligit álterum ex charitate, vtiquè eum amat amore amicitiæ, licet illum diligat propter Deum.

QVÆSTIO III.

De libertate D. voluntatis, & in quò conſiſtat ratio actus liberi eiuſdem voluntatis.

NOt. 1. Quod in præſenti quæſtione non agitur de libertate ad intra, quam moſtrauimus non eſſe arbitrij, nequè ſpecificationis, nequè contradictionis, ac prò inde; nec indifferentem ad agendum, & non agendum, nec non ad oppoſita, ſed quæſtio procedit de voluntate ſeù de libertate D. ad extra, de quà docet Scot. in p. d. 39. quod non eſt libera, & indifferens ad diuerſos actus, nempè volendi, & nolendi, eò quia imperfectionem arguit in voluntate creata, quæ tendere nequit in obiecta volenda, & nolenda vnico actu, ſed diuerſis actibus ob limitationem vtriuſque actus, ſed D. voluntas cum ſit infinita vnico, ac ſimplici actù infinito tendit in obiecta oppoſita; Ita quod, inquit Scot. ſicut voluntas noſtra poteſt diuerſis volitionibus tendere in diuerſa volibilia, ita illa D. voluntas poteſt vnica volitione ſimplici tendere in quæcunque volibilia, ita quod ſi voluntas illa, vel illa volitio eſſet tantum vnius volibilis, & non poſſet eſſe oppoſiti, quod tamen eſt de ſe volibile, hoc eſſet imperfectionis in voluntate D. ſicut eſt in voluntate noſtra.

Not. 2. ex Scot. ibidem, quod voluntas creata conſiderari poteſt tripliciter, primò, quatenus eſt productiua ſui actus, ſecundò vt receptiua eiuſdem, tertiò vt operatiua mediante illo actu: Ipſa enim, inquit Scot. eſt productiua

ctiua actuum, & ipſa eſt, quà habens operatur formaliter volendo, & ipſa eſt receptiua volitionis ſuæ. Infert tamen, illam eſſe maximè liberam, in quantum eſt operatiua, quatenus nimirum habens eam formaliter, poteſt ea tendere in obiectum. Quod intelligendum eſt de libertate formali, eſtò enim noſtra voluntas quatenus operatiua ſit tantum formalitèr libera, tamèn eſt etiàm libera effectiuè, quatenus eſt productiua ſuorum actuum, potens vel illum, vel alium actum elicere. At D. voluntas nequè eſt productiua ſui actus, alioquin eſſet mutabilis, neque receptiua eiuſdem, aliàs eſſet in potentia ad ipſum; Itaque ſolum eſt D. voluntas primò libera quatenus operatiua.

I. Conc. Voluntas Dei gaudet libertate tam exercitij, quàm ſpecificationis circa obiecta, ſeù quod idem eſt, libertate contradictionis, & contrarietatis. Eſt Scoti in 1. d. 8. q. 5. & videtur communis contra veteres Philoſophos: Prima pars patet ex S. Scrip. & ex SS. PP. Secunda pars probatur. Libertas exercitij, ſeù contradictionis conſiſtit in hoc, quod aliquod agens poſſit agere, & non agere, ſed Deus poteſt agere, & non agere; cum poſſit exercere ſuam volitionem circa creaturas, vel eam ſuſpendere, aliòquin ſequeretur in Deo eſſe imperfecta decreta conditionata, v. g. Si Plato dormiet Ariſtotiles morietur: Si Petrus curret, Franciſcus cantabit, quod apparet manifeſtum inconueniens, & abſurdum.

Confirmatur. Sicut ſe habet D. concurſus in ordine ad exiſtentiam rerum, ità ſe habet eius decretum liberum circa illarum futuritionem: ſed ad negationem exiſtentiæ alicuius rei non opus eſt, vt Deus habeat influxum poſitiuum ſuæ omnipotentiæ, ſed ſolum ſufficit ſui influxus ſuſpenſio, & negatio; ergo pariter ad negationem futuritionis ſufficit libera negatio decreti poſitiui de rerum futuritióne, ergo &c.

Prob. tertia pars, de libertate ſpecificationis, ſeù contrarietatis, talis libertas in hoc conſiſtit, quod agens poſſit vno, aut alio modo oppoſito agere; ſed Deus ſic poteſt agere, quia poteſt vel amorem, vel odium oppoſitum circa aliquod obiectum ponere, puta, Amorem circa Petrum hodie iuſtum, & odium circa eundem cras peccatorem; ergo Deus gaudet libertate tùm contradictionis, tum contrarietatis.

II. Conc. D. voluntatis libertas *non* conſiſtit in aliquo extrinſeco, puta in extrinſeca operatione tranſeunte, ſeù effectu externo producto, vt olim docuit Aureolus, quem ſequuntur plures Recentiores; nequè in forma aliqua, ſeu perfectione intrinſeca contingenti vt putant, Caiet, Salas, & conſonat eiſdem noſter Poncius in coment. neque in aliquo reſpectu rationis ad creaturas exiſtentes, aut futuras vt opinantur Capreol. Ferrar. Vaſquez, & alij.

Prob. prima pars extrinſeca illa operatio, & effectus externus eſt poſterior neceſsaria volitione Dei libera, iuxtà illud ad Epheſ. c. p. ***Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ***; ſed cauſatum eſt poſterius natura ſaltem, ſua cauſa, ergo in illa cauſatione, & effectu producto non conſiſtit D. Voluntatis libertas. Prætereà. Si effectus externus productus eſſet ratio formalis conſtitutiua D. libertatis ſequeretur, quod D. Voluntas eſſet imperfectior voluntate creata, cuius libertas antecedit omnem eius operationem, nec ab illa dependet; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Tandem ſequeretur D. Voluntatem caruiſse omnibus decretis ab æterno contra expreſſam Sac. Scripturam commemorantem D. Æterna decreta vt Matth. ***Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum &c.*** & ad Epheſ. p. ***Elegit nos (ideſt decreuit) in ipſo ante Mundi conſtitutionem***, ergo &c.

Prob. 2. pars. Si D. libertas conſiſteret in forma, ſeù perfectione quadam intrinſeca contingente; ergo caderet in Dei voluntate mutabilitas, & diſtinctio realis inter perfectiones Diuinas, ſed conſequens eſt falſum; ergo & ant. patet ſequela, eò quia id, quod eſt contingens poteſt abeſſe, ac proinde poſſet abeſse etiam à Diuina voluntate, quod ponit in Deo mutabilitatem.

Prob. 3. pars. Non poteſt aſſignari, quommodò ille reſpectus rationis efficiatur, ergo nullus talis reſpectus datur, ac proinde non conſiſtit in eo libertas D. Voluntatis. Prob. ant. Talis reſpectus non habet eſse ab intellectu creato, alioquin Deus non eſset liber ante creationem intellectus creati; neque ab intellectu Diuino, quia reſpectus rationis reſultat inter obiecta comparata, ſeù ab obiectis cognitis, & volitis, & per conſequens eſt poſterior ipſa cognitione, & volitione, ergo huiuſmodi reſpectus

non poteſt indicare libertatem Diuinam conſiſtere in ipſomet reſpectu.

III.Conc. Diuina libertas eſt ipſemet actus entitatiuus, & infinitus D.Voluntatis, quatenùs tendit in obiecta contingenter futura, vel exiſtentia, & eadem connotat in obliquo. Eſt Scoti in 1. diſt. 39. q. vn. vbi ſic docet. Voluntas D. non eſt indifferens ad diuerſos actus nolendi, & volendi, quia hoc in voluntate mea non erat ſine imperfectione voluntatis; voluntas enim noſtra erat libera ad oppoſitos actus, ad hoc vt eſſet libera ad oppoſita obiecta, & hoc per limitationem vtriuſque actus reſpectu ſui obiecti; ergo poſita illimitatione eiuſdem voluntatis ad diuerſa obiecta, non oportet propter libertatem ad oppoſita obiecta ponere libertatem ad oppoſitos actus. Ipſa etiam voluntas D. libera eſt ad oppoſitos effectus; ſed hæc non eſt prima libertas in Deo; ſicut nec in nobis; itaque ponitur libertas in voluntate per ſe, & primò in quantum eſt potentia operatiua; licet ipſa non ſit productiua, nec receptiua volitionis ſuæ; hæc Scot. ergo &c.

Prob. tùm ex confutatione iam facta aliarum opinionum, tùm quia fruſtra multiplicaretur aliquid aliud à quo proueniret ratio liberi in Deo, nàm vna, & eadem volitio D. vt infincta, in ſe eminentèr habet perfectionem omnis volitionis, & nolitionis poſſibilis, & æquiualet infinitis actibus voluntatis creatæ; quemadmodùm vnicus actus intellectus D. æquipollet pluribus, & fere infinitis actibus intellectus creati; ergo huiuſmodi Dei volitio vnica ratione ſuæ eminentiæ, & perfectionis infinitę tendere poteſt, & terminare ad omnia obiecta creata contingenter futura, & poſſibilia; ac proindè idem actus, qui modò eſt volitio, ſeù amor poteſt eſſe poſteà nolitio, ſeù odium reſpectu eiuſdem etiam obiecti ſine vlla intrinſeca variatione, aùt ſuperadditione alicuius formalitatis diſtinctæ, per ſolam aliam, & aliam tendentiam, ac terminationem, & hac tendentia indicatur libertas ipſius D. volitionis, & quidem ad inſtar noſtræ voluntatis. Vnde ipſa D. volitio non eſt comparanda noſtræ volitioni, ſed potiùs noſtræ voluntati, vt aduertit Doctor.

Confirmatur. Nàm eſt perfectio in voluntate creata, quod ſine ſuperaddito ſe ipſa poſſit ſe determinare ad agen-

gendum, vel non agendum: & tali, vel tali modo; ergo talis perfectio non eſt deneganda D. volitioni, vt ſe ipſa quoque poſſit tendere, vel non tendere (in quo conſiſtit formaliter libertas) in obiecta creata, & conſequenter Diuina libertas eſt ipſamet volitio, quatenùs tendit, & terminat ad diuerſa obiecta.

Arg. 1. contra 3. conc. Eadem volitio Dei nequit eſſe actus neceſſarius, & contingens; ergo neque poteſt eſſe liber ad diuerſa obiecta: ant. patet, quia neceſſarium, & contingens ſunt oppoſita. Reſp. diſt. ant. intrinſecè, & ſecundùm entitatem actus, ſeù volitionis, conc. ant. extrinſecè, & ratione tendentiæ in diuerſa obiecta, neg. ant. Ad rationem dicitur neceſſarium, & contingens eſſe oppoſſ a vel intrinſecè, vel extrinſecè; eidem actui non poſſe eſſe intrinſecè, concedimus, negamus tamen extrinſecè, & per ſolam tendentiam, & terminationem.

Arg. 2. Vnum, & idem inuariatum omninò non poteſt habere diuerſas denominationes oppoſitas; ergo vnus, & idem actus D. Voluntatis omninò inuariatus non poteſt ſimul eſſe, neque denominari neceſſarius, & contingens. Reſp. diſt. ant. Si illa entitas maneat inuariata intrinſecè, & extrinſecè, ideſt tam quoad entitatem, quàm quoad terminationem ad aliud, conc. ant. ſi maneat inuariata ſolùm intrinſecè, varietur autem extrinſecè, ſeù quo ad terminationem, nego ant. Vnde entitas actus D. Volitionis ſemper manet inuariata, variatur autem quoad terminationem; ſecundùm quam pariter recipit denominationem, neceſſarij quidem ſi terminetur ad obiecta neceſſaria, contingentis verò ſi ad obiecta contingentia &c.

Contra. Illa tendentia, vel terminatio ad obiecta contingentia, à quibus volitio denominatur contingens, & libera, vel eſt aliquid ipſi actui extrinſecum, vel intrinſecum; non primum quia ſequeretur Deum non eſſe formaliter liberum, ſed denominatiuè tantùm, & effectiuè, ſicùt Sol in ratione caliditatis. Neque ſecundum quia contingens ex ratione ſua formali habet, quod poſſit deficere, ac proindè ſequeretur, aliquod Dei intrinſecum poſſe deficere, quæ quidem defectio præſefert mutabilitatem, quod eſt falſum, ergo &c. Reſp. Tendentiam illam D. Volitionis in obiecta contingentia conſiderari poſſe,

vel ex parte ipſius actus tendentis, & terminati, vel ex parte obiecti terminantis. Vnde reſp. in forma diſt. mai. illa tendentia eſt purè intrinſeca, vel extrinſeca, nego: eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca conc. Eſt enim ipſe actus entitatiuus D. Voluntatis, qui nullo ſuperaddito, ſed ex ſe immediatè fertur in obiecta volibilia, vt volibilia ſunt, eaque connotat vt ſunt; adeòut dicatur ferri neceſsariò in neceſſaria, & contingenter in contingentia, atque liberè in libera; itaque illa tendentia eſt intrinſeca ex parte actus, extrinſeca verò ex parte obiecti connotati.

Arg. vltimò. Actus entitatiuus eſt ab æterno, termiminatio autem, & connotatio eſt in tempore, ergo vel D. libertas non conſiſtit in actu entitatiuo, vel non importat hanc connotationem, & terminationem.

Reſp. diſt. ant. Terminatio, & connotatio obiecti in eſſe exiſtentiæ eſt tantùm in tempore, concedo ant. in eſſe voliti, nego. Itaquè eadem volitio D. dicitur amor, & odium prò diuerſitate motiuorum varijs temporibus exiſtentium iuxta variam ſui habitudinem, & terminationem ad obiectum; ſi ad obiectum gratum dicitur amor, ſi ad ingratum appellatur odium. Dilexit enim Iudam conſideratum pro eo tempore, quò erat iuſtus, odit verò prò eo tempore, quò peccator erat, & eſt. Nec id circo ſequitur, quod nunc Deus oderit Beatos, vt Beatos, & è contra amet damnatos, vt damnatos, ſed ſolum ſequitur, quod actus, qui dicebatur odium, & quò Deus ab æterno odio habuit eos, qui aliquando fuerunt peccatores, prò eo ſtatu, quò erant peccatores, & quatenus peccatores, perſeueret hucuſque, & in æternum; licet non dicatur odium, ſed amor, quia iam illi mutati ſunt de peccatoribus in Sanctos, & ob id dicuntur à Deo amari Beatos, vt tales amore pariter æterno: & idem vice verſa dicendum eſt de damnatis, qui aliquando fuerunt iuſti, & hanc Doctrinam tradit D. Aug. lib. 5. de Trinitate circa finem, vbi concludit: *Sic etiam cum iratus maliſdicitur, & placidus bonis; illi mutantur, non ipſe, ſicùt lux infirmis oculis aſpera, firmis lenis eſt; ipſorum ſcilicèt mutatione non ſua.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus velit mala culpæ.

NOt. Quod Caluinus, vt refert noſter Herincx ex Bellarmino lib. 2. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 3. tam peruersè dogmatizauit, vt docuerit Deum velle fieri peccata, & eorum futuritionem decreuiſſe ab æterno, immò imperare Sathanæ, & malignis hominibus vt machinentur ſcelera, & ad eadem perpetranda eos alliciat; quam Blaſphemam Doctrinam tenuit etiam Touinglias, & Beza, & alij Hæretici nouiſſimi; contra quos ſit.

Concl. Catholica. Deus non vult mala culpæ, ſeù peccata, quò ad formale eorum. Eſt de fide, & apertè traditur in Sac. Scrip. & præſertim Iacob. c. 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniàm à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat*: pſalm. 5. *Non volens iniquitatem tu es*. Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*, & pluribus alijs S. Scrip. locis &c.

Prob. 2. auctoritate Concilij Arauſic. can. 21. *Anathematizantis eos, qui aſſerunt aliquos ad malum D. poteſtate prædeſtinatos eſſe*, & Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeòut ſit proprium eius opus, non minùs perditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit*. Eandem veritatem vnanimi conſenſu docent SS. Patres.

Prob. ratione. Deus pollet infinita rectitudine, integritate morali, & Sanctitate eſſentiali; ergo Deus non poteſt velle malum culpæ. Pretereà Deus vt ſupremus iuſtitiæ adminiſtrator debet exercere iuſtitiam vindicatiuam, & conſequenter infligere pænas, & prò menſura delictorum punire delinquentes; ergo Deus nequit eſſe auctor, & cauſa delictorum: vndè eleganter D. Aug. vel D. Fulgent. vt refertur, lib. 1. cap. 19. *Illius rei Deus eſt vltor, cuius non eſt auctor, ideſt iniquitatis*; ergo Deus eſt Vltor culpæ non factor.

Arg. à Caluino. Scriptura Sacra paſſim ſignificat Deum decernere, & concurrere ad opera mala; nàm ſic dicitur Act. cap. 4. *Iudæos, & Gentiles aduerſus Ieſum facere, quæ ma-*

& ſubtrahendo auxilia gratiæ proximæ ſufficientia ad benè agendum, vel reſurgendum in pœnam grauium peccatorum, iam commiſſorum: hinc D. Aug. ait in Ioann. 59. *Sic excæcat Deus, ſicùt & obdurat, deſerendo, non adiuuando*. Secundò patiendo, & tolerando peccatores in hac præſenti vita abſque pœnis, ità teſte D. Aug. fuit induratus Pharao videns ceſſare plagas ei inflictas à Deo. Tertiò per potentiam etiam indurat, quando videlicet Deus iuſto Iudicio circa peccatores quædam potenter operatur, vnde ipſi occaſionem ſunt accepturi, ſe obſtinatiùs firmandi in malo, & in peccatis: ſic Pharaoni permiſit, Magos facere coram eò falſa miracula, ex quibus cor Pharaonis obduratum fuiſſe notat Sac. Scriptura, & in hoc ſenſu dixit D. Aug. *Deum non tantum obdurare per patientiam ſed etiam per potentiam, vt ſic priora peccata puniantur*. Ità Herincx diſp. 7. q. 1. in p. 1. de voluntate, & volitione Dei.

Quæres. Vtrum Deus velit mala pœnę.

Reſp. affirmatiuè, nàm apertè habetur in Sac. Scriptura, & præſertim Amos cap. 3. ubi dicitur. *Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit?* & Deuter. cap. 2. *Mea eſt vltio. & ego retribuam*. Patet etiam ex eo quod Deus tàm in præſenti, quàm in futuro ſæculo, ut iuſtus Iudex malum culpæ puniat malo pœnæ, ac proindè Deus vult malum pœnæ, non quidem per ſe, ſed per accidens, hoc eſt ratione boni adiuncti, puta propter iuſtitiam vindicatiuam, & alios fines Deo notos, ut in diſp. de D. Prouidentia videbimus.

QVÆSTIO V.

Vtrum in D. voluntate ſint admittendi affectus, ſeu paſſiones.

NOt. Quod actus voluntatis D. vt etiam alibi indicauimus, eſt vnus, indiuiſibilis, & ſimpliciſſimus, qui tamen ob ſui infinitatem, & variam tendentiam, & terminationem ad varia obiecta conſiderari poteſt vt multiplex, ſeù vt æquiualens multis. Hinc fit, quod in Deo concipiamus varios actus, & effectus, ſeù paſſiones eius voluntatis, puta amoris, odij, vindictæ, fugæ, delectatio-

nis

nis &c. de quibus quæri poteſt, an reuerà in D. voluntate reperiantur ſecundùm diuerſam terminationem D. voluntatis ad plura, & varia obiecta. Cæterùm paſſio non ſumitur hic prout reperitur in hominibus, quæ iuxta Ariſt. & alios eſt motus appetitus ex bono, vel malo apprehenſo productus cum aliqua cordis, & corporis mutatione non naturali, non ſumitur, inquàm, tali pacto in Diuinis, cùm in Deo nulla poſſit admitti mutatio, ſeu motio quoàd affectum, ſed ſolùm quò ad effectum.

I. Conc. In D. voluntate formaliter reperitur affectus amoris ipſiuſmet Deitatis, & etiàm Creaturarum, tum amicitiæ, tum concupiſcentiæ. Eſt Scot. in 3. d. 27. & eſt communis, & quidem remanet probata rationibus paulò ſuperiùs adductis in q. de D. libertate, & volitione, & patet auctoritate D. Ioan. cap. 4. dicentis *Deus charitas eſt &c.* Accedit quoque ratio, nàm vt dicit Ariſt. lib. 2. Rethor. cap. 4. Amare eſt velle alicui bonum, & complacentiam illius habere; ergo in voluntate D. reperitur amor.

Prob. 2. pars, & primò auctoritate S. Scrip. quæ ſepè appellat homines iuſtos, amicos Dei, vt Pſalm. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, & Ioan. cap. 19. *Iàm non dicam vos ſeruos ſed amicos*, ergo in D. voluntate eſt amor amicitiæ, quo Deus Creaturas amat. Suffragatur etiam ratio, nam amor amicitiæ conſiſtit in hoc, quod quis alteri velit bonum, quatenus ipſi conueniens, & inſuper vt talis beneuolentia ſit mutua; ſed D. voluntas vult creaturis intellectualibus bonum conueniens ipſis, nempe gratiam, gloriam &c. & creaturæ intellectuales iuſtæ, & Sanctæ mutuo amore Deum redamant; ergo in D. voluntate eſt formaliter amor amicitiæ erga creaturas &c.

Prob. De Amore concupiſcentiæ. Talis amor Dei verſatur circa creaturas irrationales, quatenus eas vult propter vtilitatem creaturarum rationalium: ergo in D. voluntate eſt amor concupiſcentiæ. Hinc ſequitur, quod in Deo reperiantur gaudium, & delectatio, gaudium enim eſt affectus de bono iàm poſſeſſo, quæ poſſeſſio infinito, & eminenti modo in Deo reperitur. Deinde habet gaudium etiam de noſtris bonis operibus iuxta illud Pſal. *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*; ſequitur pariter, quod in Deo ſit affectus deſiderij ſeù inclinationis in bonum abſens

ſens

ſens reſpectu creaturarum rationalium, quibus Deus optat bona abſentia, nempe bona opera meritoria, gloriam, & vitam æternam; & è contra habet declinationem, ſeſi fugam à malo abſente, à culpis, quæ nos reddunt indignos gratia diuina, & dignos pæna.

II. Conc. In D. voluntate eſt odium abominationis, & inimicitiæ. Eſt communis Theologorum ſententia, & patet ex S.Scrip. dicente in Sap.14.quod *Impij odio ſunt Deo, & impietas eorum*, & pſalm. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, quod Textus Doctores comunitèr intelligunt de odio abominationis.

Prob. ratione. Odium abominationis ex D. Thom. eſt diſſonantia appetitus ab eo, quod nociuum, & repugnans apparet; ſed D. voluntati, & honori D. peccata ſunt nociua, ergo &c. Prob. 2. pars nam exodi cap.23. habetur. *Inimicus ero inimicis tuis*: tum quia perſona peccatoris, quatenùs peccator eſt, diſplicet Deo, talis autem diſplicentia dicitur odium inimicitiæ, ergo &c.

III. Conc. Ira formaliter, & vindicta in D. voluntate inuenitur, ita tradit communis Theologorum ſententia, & ſignanter Scotus in 3. d. 34. & probatur ſic. Ira eſt appetitus vindictæ ſecundum rationem apparentem, propter apparentem paruipenſionem, ſeù vt dicit Lactan. lib. de Ira Dei cap.17. *Ira eſt motus animi ad coercendum peccata inſurgentis*; ſed in D. voluntate reperitur huiuſmodi appetitus, & motus, vt coſtat ex S. Scrip. & preſertim pſalm. 105. *Iratus eſt furore Dominus*, & Pſalm. 29. *Quoniam ira in indignatione eius &c.* & ad Rom. cap. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam*, vnde D. Aug. lib. 2. ad Simplic. q. 2. ait. *De ira hominis detrahe turbulentium motum, & remaneat vindicta vigor, atquè ità aſſurgo in notitiam illius, quæ appellatur Ira Dei.*

Verum excludendi ſunt à D. voluntate affectus timoris, audaciæ, triſtitiæ, ſpei, & deſperationis, eò quia hęc omnia, & ſimilia dicunt imperfectionem, nec talis imperfectio ab illis remoueri poteſt.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in D. voluntate admittendæ ſint virtutes?

NOt. Quod virtutes D. voluntatis, ut etiam diximus de virtutibus intellectus non ſunt habitus, ſeù for-

mæ ſuperadditæ voluntati, ſed eſt ipſa D. voluntas, quæ in actu pri no ſe ſola efficere poteſt omnem virtutem actualem in actu ſecundo. Quarè, licet Deo attribuantur multæ virtutes, imò in ipſo ſint, ſunt tamèn omnes penitùs unicus, & ſimpliciſſimus actus D. voluntatis, ſeu volitionis, qui ob ſui omnimodam perfectionem infinitam terminatur ad diuerſa òbiecta creata, & ſic ob huiuſmodi tendentiam, & terminationem concipitur à nobis, ut varius, & multiplex, eſtò tota multiplicitas, & varietas ſit ſolum penès obiecta; itaque quatenùs iſte actus unicus D. voluntatis terminatur ad ſubleuandam miſeriam creaturæ appellatur Miſericordia; quatenùs terminatur ad prẹmiandos iuſtos dicitur iuſtitia diſtributiua; quatenùs ad puniendos peccatores dicitur Iuſtitia vindicatiua, & ſic de ſimilibus. Vnde diſtinctio inter D. virtutes non erit alia, quàm penès diuerſa connotata extrinſeca, vel ob terminationem ad diuerſa obiecta.

I. Conc. In D. voluntate reperitur Sanctitatis eſſentialis virtus, quẹ prẹcẹteris in Deo primum locum tenet. Ita docent SS. Patres, quibus conſonant Theologi omnes, & patet manifeſtè ex Sac. Scrip. quæ ubique celebrat D. Sanctitatem ut in pſal.144.ubi Deus vocatur Sanctus in omnibus operibus ſuis, & Iſai. cap. 6. dicitur: *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: & Leuit. cap. 19. *Sancti eſtòte, quòniam ego Sanctus ſum.*

Prob. rat. Etenim Deus continet omnem modum excogitabilem Sanctitatis, nempe radicalis obiectiuè, quia eſt obiectum omnis Sanctitatis, cui adhærere per amorem eſt eſſe purum, & Sanctum: Exemplaris, quia eſt exemplar menſura, & finis omnis noſtræ Sanctitatis: formalis, quia eſt ſui ipſius amor formaliter; unde uniuerſa propter ſe ipſum operatus eſt: Operatiuè, quia omnes eius operationes ſunt ſanctiſſimæ, quia conformes æternis legibus Diuinis; hinc Pſalm. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis*; & tandem eſt Sanctus cauſaliter, quia ſanctificat omnes creaturas, vel præſentia ſuæ Diuinitatis, vt orbem vniuerſum, quem veluti templum conſecrat; vel amore, & cognitione ſui, vt creaturas intellectuales, vel ſubſtantiali, & hypoſtatica unione, ut Chriſtum, vel unione Beatifica, ut omnes Beatos, qui in

Empi-

Empireo vident Deum, & ipſo Deo fruuntur.

II. Conc. Remouendæ ſunt à D. Voluntate omnes illæ virtutes, quæ præſeferunt aliquam imperfectionem, quales ſunt, quæ alterum, ut ſuperiorem, vel æqualem reſpiciunt, puta Religio, obedientia, pietas, obſeruantia, gratitudo, & huiuſmodi. Inſuper excludendæ ſunt à D. Voluntate illæ virtutes, quæ ſunt moderatrices paſſionum imperfectarum, quales ſunt temperantia, fortitudo, patientia, manſuetudo, & id genus ſimiles, ità communiter tradunt Doctores, & Ss. Patres, & ex ſe euidenter patet, quia cum nulla imperfectio in Deo locum habere poſſit, conſequentèr ab eo remouendæ ſunt omnes imperfectiones, & ſi ſpeciem virtutis præſeferant.

III. Conc. In D. Voluntate admittenda eſt virtus iuſtitiæ, non tamen ſub ratione iuſtitiæ legalis, nec commutatiuæ. Prima pars habetur expreſsè in pluribus S. Scrip. locis, ut in Pſalm. 84. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*, & ad Timoth. cap. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa Die iuſtus Iudex*; ratio eſt, quia iuſtitia nullam inuoluit imperfectionem: ergo &c.

Prob. 2. pars ex Scoto in 4. d. 46. q. Alenſſ. D. Bonauen. & D. Thom. contra Sotum, Suarez, & quamplures Recentiores. Iuſtitia legalis in duplici ſenſu ſolet uſurpari, vel in eo, quo explicauit Ariſt. lib. 5. Eth. cap. 1. & 2. ideſt pro aggregato omnium virtutum per quas legibus præſtatur obedientia, & hoc modo nequit eſſe in Deo, cum Deus nullas leges habeat, ob quas teneatur alicui obedientiam præſtare. Vel uſurpatur in ſenſu illius virtutis, qua pars inclinatur ad totum, hoc eſt ut totius corporis politici, ſeù Reipublicę bonum procuretur etiam cum ſuo diſpendio, quod ſupponit ius ſtrictum, & rigoroſum in parte reſpectu totius; immò dependentiam, & participationem; & hoc ſenſu pariter non poteſt Deo competere iuſtitia legalis, quia Deus nequit obligari ſtricto iure ad procurandum bonum totius: ergo &c.

Prob. 3. pars de iuſtitia commutatiua, nàm talis iuſtitia ex ſuo obiecto poſtulat ius ſiue debitum ſtrictè acceptum, vt apud omnes conſtat, & colligitur ex diffinitione ab Vlpiano tradita l. Iuſtitia ff. de iuſt. & iure; ſed in Deo non habet locum debitum ſtrictè ſumptum; ergo in Deo non

datur iuſtitia commutatiua: min. pat. auct. D. Aug. lib. 1. confeſs. cap. 4. ubi ſic loquitur. *Reddis debita nulli debens*, & D. Anſelm. prol. cap. 10. *Iuſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis quod decet Te ſummè bonum*. Quod inſinuat etiam Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. vltimo dicens. *Vitam æternam, tanquam mercedem ex Dei promiſſione bonis, operibus fideliter* (nota quod dicit fideliter, & non ſtricto Iure) *reddendam*: ergo in Deo non ponitur Iuſtitia commutatiua, ut latè oſtendetur in part. 2. diſp. de merito, & in tract. de iuſt. & iure part. 3.

Confirmatur. Poteſt certè Deus vi ſuæ promiſſionis, ac proindè ex fidelitate aliquid debere creaturę; ſed ex hoc non reſultat in ipſa creatura ius aliquod, quia totum illud debitum fundatur in perfectione Dei intrinſeca, ſeù natura ob quam nequit mentiri, vel non ſeruare promiſſum; ergo in Deo reſpectu creaturæ non eſt talis iuſtitia. Tùm quia ſi daretur in Deo iuſtitia commutatiua ſequeretur, quod creatura haberet moralem poteſtatem illud exigendi, & quaſi actionem iuridicam contra Deum, quod repugnat Supremo Iuri, ac Dominio Dei in creaturas omnes, ergo &c.

IV. Conc. In D. Voluntate rectè admittitur iuſtitia diſtributiua, & vindicatiua. Eſt Scoti in 4. diſt. 46. q. pr. & etiam Thomiſtarum.

Prob. 1. pars. Iuſtitia diſtributiua eſt qua ſupremum caput alicuius corporis politici in membra diſtribuit bona iuxta menſuram meritorum; ſed ità ſe habet Deus in ordine ad creaturas: ergo &c. Prob. min. Deus ſeruat pręfatam proportionem, & menſuram in diſtributione præmij cœleſtis, tali lege, ut intèr Beatorum prę mia talis ſit proportio, qualis eſt inter merita. Immò ſimilem quandam proportionem etiam ſeruat circa creaturas irrationales, quibus diſtribuit bona iuxtà exigentiam ſuarum naturarum, nempè equo præſtantiora, quam plantæ, plantę, quam lapidi &c.

Cæterùm hæc concluſio non intelligitur de iuſtitia diſtributiua, quatenùs reſpicit ſtrictum debitum diſtribuendi bona communia iuxtà æqualitatem geometricam, ſeù proportionatè ad merita, & qualitates perſonarum; bene tamen de debito, quod huiuſmodi ius rigoroſum excludat; de quo in diſp. cit. de merito.

Prob.

Prob. quoad alteram partem. Iuſtitia vindicatiua eſt ea, quæ punit peccata, & delicta iuxtà proportionem geometricam; ſed Deus ſic punit peccatores iuxtà illud Apocalyp. cap, 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: ergo &c.

Vltima Conc. In D. voluntate ſunt pariter virtûtes, miſericordiæ, veracitates, fidelitatis, liberalitatis, magnificentiæ, charitatis, & affabilitatis, ſeù eutrapeliæ. Prima pars eſt Scoti in 4. d.46. q.2. reliquas tenent D. Thom. Smiſing. Fraſſen, Herincx, & alij, & patet ex Sac. Script. quæ ubique prædicat infinitam Dei Miſericordiam. Accedit etiam ratio. Miſericordia namque eſt ſubleuatio alienæ miſeriæ, at Deus ſubleuat miſerias creaturarum, ût manifeſtum eſt, ſecluſa tamen doloroſa compaſſione, quæ non eſt de eſſentia miſericordiæ; ergo in Deo eſt miſericordia; non quidem quoad affectum, ſed quoad effectum.

Prob. Conc. quoad omnes alias partes. Recenſitæ virtutes nullam inuoluunt imperfectionem, ergo &c. prob. ant. Veracitas importat infallibilitatem in dictis: fidelitas infallibilitatem in promiſſis; liberalitas largitionem beneficiorum: Magnificentia ſplendorem in operibus, charitas affectum erga creaturas rationales, affabilitas, ſeù eutrapelia acceptibilitatem proximi, & in ſumma, quæcunque aliæ virtutes, quæ in creaturis reperiuntur diſperſæ, abſque imperfectione morali, eminentiosè modo ſunt in Deo.

DISPVTATIO VIII.

De Prouidentia, Prædeſtinatione, & Reprobatione.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Diuina Prouidentia.

NOt. 1. Quod Prouidentia ſecundùm nominis ethymologiam idem ſonat ac ante videre; undè Cic. lib. de Iuuentute ait. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequàm factum ſit; Quarè Theologi prouidentiæ nomen uſurpant ad ſignificandam curam illam pater-

paternam, & maximam, quam Deus rebus ſingulis impendit, ut eas in debitos fines dirrigat, & deducat. Verùm prouidentia ſecundum rem, & latè ſumpta, cum etiam creaturis rationalibus aliqualiter competat, ut cum Cicerone ſupra innuimus, in ſui prima diuiſione diſtingui poteſt in prouidentiam humanam, & Diuinam: prior eſt, qua quis agibilia ſapienter diſponit, & hæc ex Ariſt. 6. Eth. c. 8. triplex eſt, nempe Monaſtica, qua quis res factibiles ſibi conuenientes rectè, & ſapienter diſponit. Oeconomia, qua quis res domeſticas, & familiares prudenter adminiſtrat. Politica denique, qua quis Reipub. res prudenter prouidet, & diſponit. Poſterior, ideſt Diuina prouidentia ut ſic primò diſtingui poteſt in prouidentiam naturalem, & in prouidentiam ſupernaturalem: naturalis eſt illa, ſecundum quam Deus dirrigit, & gubernat omnes res in proprios fines naturales; & dicitur naturalis, non quod non ſit Diuina, ſed quia verſatur circa res naturales: ſupernaturalis eſt, ſecundùm quam Deus ſpecialiori modo dirrigit, & gubernat creaturas intellectuales in ordine ad finem ultimum ſupernaturalem. Inſuper prouidentia ſupernaturalis diſtinguitur in prouidentiam ordinariam, ſeù communem, vel uniuerſalem, ſecundum quam Deus dirrigit omnes creaturas intellectuales ad vitam æternam per media, & auxilia ſufficientia, & in prouidentiam ſpecialiſſimam, ſecundum quam Deus gubernat electos ad vitam æternam per auxilia efficacia indefectibiliter eos perducentia in vitam æternam; quam ultimam diuiſionem nonnulli vocant, antecedentem, ſeù conditionatam; & conſequentem, ſeù efficacem; nam Deus quædam ordinat in finem, ſufficienter, & conditionate, & quædam abſolutè, & efficaciter.

Not. 2. ex noſtro Sapientiſſimo Alexandro Alenſ. p. 1. de D. Prouidentia, quod prouidentia reducitur, & ſpectat ad Sapientiam, & Dei bonitatem, & ſecundùm hoc etiam traduntur plures, & diuerſæ definitiones à D. Damaſceno: Sicut enim videmus, quod ſcientia beneplaciti in Deo importat in ſe, quod eſt ſcientiæ, & voluntatis; quia ratione notitiæ importat, quod eſt ſcientiæ, & ratione placentiæ, vel approbationis importat, quod eſt voluntatis, & ad ipſam ſpectat; ita dicimus de prouidentia,

tia, quia in prouidentia ſunt duo, nempe videntia, quia prouidere, eſt videre, & cauſalitas. Prouidentia enim dicit cauſalitatem quandam ordinationis, gubernationis, & regiminis. Vnde hac doctrina ſoluuntur plures auctoritates SS. PP. qui videntur dicere, prouidentiam ſpectare ad intellectum. Diuina ſiquidem prouidentia includit, ſeu exigit, & actum intellectus, & actum voluntatis. Quomodò autem illos exigat, diſcrepant inter ſe Doctores. Et quidem D. Thomas cum ſuis exiſtimat, prouidentiam principaliter, & in recto importare actum intellectus, in obliquo verò actum voluntatis. E contra Scot. in 1. d. 44. loquens de lege, & diſt. 46. §. ad primum loquens de prouidentia docet, principaliter, & in recto importare actum voluntatis, in obliquo autem connotare, ſeu præſuppoſitiuè exigeré actum intellectus; in eadem ſententia eſt D. Bonau. quam amplectuntur, non ſolum Scotiſtæ, ſed etiam Aureolus, Suarez, Vaſquez, & alij.

Not. 3. Quod de fide eſt dari D. prouidentiam immediatam circa res creatas, ſic namque omnes SS. Patres, & Sacræ Litteræ proclamant. Vnde dicitur Sap. cap. 4. *Tu autem Pater prouidentia ab initio omnia gubernas*; & cap. 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*: & inter Patres, ſignanter D. Dion. de diuin. Nomin. cap. 12. Lactant. lib. de ira Dei, D. Ioannes Chriſoſtomus, qui compoſuit tres, & ſex ſermones de D. prouidentia D. Aug. lib. 5, de Ciuit. Dei, & D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. dicit; *Eundem, ſcilicet Deum, rerum Procuratorem, & Adminiſtratorem eſſe oportet*. Et Lactant. Firmianus lib. 1. de falſa Relig. cap. 2. inquit. *Nemo eſt tam rudis, tam feris moribus, qui ocu os ſuos in cœlum tollens, non aliquam eſſe intelligat prouidentiam, ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione &c.*

I. Conc. Prouidentia D. eſt diſpoſitio æterna, qua Deus omnes res creatas ad certos, ac determinatos fines dirrigit, ac deducit, eo modo, quo illos fines eædem creaturę ſunt in tempore conſecuturæ. Hæc deſcriptio colligitur ex doctrina SS. Patrum, ac Theologorum D. Damaſcenus namque inter alios de prouidentia diſſerens ait. *Eſt voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congruèque gubernantur*. Igitur explicanda eſt tradita definitio; Per diſpoſitionem

intel-

intelligitur ordinatio, decretatio, & cura, qua Deus omnes creaturas condit, conſeruat, & gubernat &c. Per ly æterna, ſignificatur Prouidentia Deo ab æterno conuenire, eſtò in tempore ſuos effectus ſortiatur Per ly ad certos fines indicatur, prouidentiam D. ordinare, & regulare quamlibet creaturam ad debitos fines naturæ proportionatos, & à Deo prouiſore præcognitos; cæteræ particulæ exprimunt D. prouidentiæ ſcopum ad quem præordinauit creaturas in tempore operaturas.

II. Conc. D. prouidentia principaliter, & formaliter conſiſtit in actu voluntatis, præſuppoſitiuè verò in actu intellectus. Eſt Scoti in 1. d. 40. q. un. ubi docet, prædeſtinationem, quæ eſt veluti ſpecies particularis prouidentiæ, conſiſtere formaliter in actu voluntatis.

Prob. 1. auctoritate S. Scrip. Prouidentiam, & prædeſtinationem exprimentis nominibus, & verbis importantibus actum voluntatis, ut nomên electionis ad Epheſ. cap. 1. *Eligit nos in ipſam &c* & ibidem nomine propoſiti. *Prædeſtinauit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*: & nomine dilectionis, & odij ad Rom. cap. 9. *Iacob dilexi, Eſaù autem odio habui*; & nomine miſerationis eodem cap. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Prob. 2. auctoritate SS. Patrum, qui prædeſtinationem, & prouidentiam pariter refundunt in actum voluntatis, nam D. Auguſtin. lib. de bono perſeuer. cap. 18. ait. *Hæc eſt illa electio (id eſt prædeſtinatio) qua eos, quos voluit, elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent Sancti, & imaculati &c. prædeſtinans eos in adoptionem filiorum.* & D. Damaſ. lib. 2. de fide cap. 29. ſic loquitur. *Prouidentia eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem accipiunt, ergo &c.*

Prob. ratione. Diuina prouidentia importat formaliter ordinationem rerum in ſuos fines; ſed ad voluntatem ſpectat talis ordinatio, iuxtà illud *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Tùm quia prouidentia eſt actus potentiæ executiuæ, qua ordinat, & implet Deus omnes effectus præuiſos, ſed potentia executiua in Deo eſt voluntas, ergo in actu D. voluntatis conſiſtit primò, & formaliter D. prouidentia.

Arg. cont. 1. conc. lib. 22. dicitur *Nubes latibulum eius, nec noſtra*

noſtra conſiderat; & ad Corint. cap. 2. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* ergo &c.

Reſp. Primam Scripturam narrare verba falsò ab Eliphaz Iob impoſita, nec a Scriptura approbari eius falſum ſermonem. Ad 2. reſp. Apoſtolum non negare prouidentiam de bobus, quam de paſſeribus, lilio &c. Chriſtus apertè docuit; ſed indicare de bobus non eſſe ſpecialiorem curam, quæ nimirum eſt in ordine ad finem ſupernaturalem.

Arg. 2. Si Deus habet prouidentiam omnium rerum, ut in definitione aſſeritur, cur ergo via impiorum proſperatur, & iuſti opprimuntur? cum boni prouiſoris ſit malos punire, bonis benefacere, eoſque tueri: ſicut ad eum, qui Reipublicæ præeſt, ſpectat prouidere, ne boni opprimantur, aut mali impunes abeant.

Reſp. Quod allata obiectio infirmis in fide, & charitate Dei præbet quandòque occaſionem deſperationis, blaſphemiæ &c. ut narratur etiam pſal. 72. Hierem. 12. & Habacuc. cap. 1. Verùm ſi conſiderarent, latere in hoc ſummam Dei prouidentiam, eſtò infirmis, & carnalibus non appareat, in huiuſmodi verba non prorumperent. Et licet politia temporalis habens pro fine pacem, & quietem Reipublicæ temporalis tantùm, debeat ſcelera punire, & coercere, rectè facta præmiare; Deus tamen habens altiores fines, & iuſtiſſimas rationes permittit improbitates cum oppreſſionibus frequenter proborum.

Arg. Thomiſtæ contra 2. conc. afferentes plures auctoritates Sac. Script. & Patrum, quæ videntur ſibi fauere; ut pſalm. 20. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt*, & pſalm. 79. *Reſpice de Cœlo, & vide, & viſita Vineam iſtam*. D. Diony. de D. Nomin. cap. 2. dicentis. *Deus proſpicit cuncta prouidentia mirabili*; ſic etiam loquitur Boetius lib. 4. de conſolat. ergo D. prouidentia non conſiſtit &c.

Reſp. Auctoritates allegatas, tàm Scrip. quam SS. PP. nil fauere Thomiſtis, cum ſolum velint, quod aliquis actus intellectus, puta præuium iudicium oſtendens media, ac eorum proportionem ad fines intentos, vel præſcientiæ, vel alterius cognitionis, ſeù reſpicientiæ præſupponatur, vel concomitetur, vel ſequatur prædeſtinationem, & prouidentiam Diuinam.

Arg. 2. Prouidentia eſt actus prudentiæ, ſed prudentia

 eſt

eſt actus intellectus, ergo &c. Reſp. diſting. mai. Eſt actus prudentiæ, quatenùs importat prçuiſionem, ſeù prçſcientiam circa res futuras: & earumdem ordinationem: conc. mai. ut importat ipſam curam, & gubernationem, & dirrigibilitatem in fines præuiſos, & prouiſos, neg. mai.

Arg. 3. Prouidentia ſecundùm nominis ethymologiam importat actum intellectus, nempè præuidentiam; ergo &c. Reſp. Non debere præualere ethymologiam nominis rei, & uſurpationi Theologorum, attendendus igitur eſt uſus eiùs, quo diſpoſitionem, prouiſionem, & gubernationem Dei circa creata importat. Vox ſiquidem prouiſionis ſignificat perſonam prouidentem. Itaque ſpectanda eſt magis rei, quam vocis intelligentia.

QVÆSTIO II.

Vtrum Prouidentia Diuina ſemper aſſequàtur ſuum finem.

NOt. 1. Quòd ſcientia, diſpoſitio, prouidentia, & gubernatio inter ſe ordinem ſeruant; nàm primum locum obtinet ſcientia, 2. diſpoſitio, 3. prouidentia, 4. gubernàtio, hæc autem omnia includuntur in prouidentia. Etenim Deus ſic ſe habet reſpectu Vniuerſi, ſicut Dux reſpectu totius Exercitus, & quemadmodum prudens Dux primò ordinat ſingulos de Exercitu collocans unumquemque in gradu ſuo, ordinans quid quiſque agere debeat ad conſequendum finem intentum; & deinde ſic ordinatis confert ea, quæ ſunt neceſſaria, aut ſufficientia ad officia exequenda; ità in toto Vniuerſo primò eſt ordo partium ſecundùm gradus naturarum, ſecundo eſt collatio eorum quæ ſufficientia, vel neceſſaria ſunt cuilibet naturæ ad finem conſequendum per operationem creaturarum; & licet tam ordinatio partium, quàm collatio eorum, quæ ſunt neceſſaria conueniat Deo ab æterno, & executio eorum competat Deo in tempore; ordinatio tamen illa exiſtit in Deo ab æterno, & appellatur diſpoſitio; collatio autem eorum, quæ ſunt neceſſaria vocatur prouidentia, quæ eſt eorum, quæ expediunt rei ad operationem propter conſecutionem finis: prouidus enim dicitur, qui benè

conic-

coniecturat de conferentibus ad finem; & cum executio primi ſit creatio, ſecundi ſit gubernatio, manifeſtè patet, quommodo gubernatio ſupponat prouidentiam, & prouidentia diſpoſitionem, & diſpoſitio ſcientiam. Ità noſter Richard. in 1.

Not. 2. Quod duplex eſt finis D. prouidentiæ, alius eſt particularis, & à creatura intentus, alius generalis congruus Dei gloriæ, bonitati, & iuſtitiæ, & bono Vniuerſi. Prouidentia non ſemper aſſequitur primum finem, ſed benè ſecundùm. Quam doctrinam inter alios docet S. Anſel. lib. 1. cur Deus homo c. 15. dicens: *Quàmuis homo, vel malus Angelus D ordinationi ſubiacere nolit; non tamen eam effugere valet quia ſi vult fuggere de ſub voluntate iubente, currit ſub voluntatem punientem, & tranſit ſub voluntate permittentis*: & D. Thomas q. 8. art. 6. loquens de voluntate D. ut cauſa uniuerſali rerum, ait. *impoſſibile eſt, quod D. voluntas ſuum effectum non conſequatur. Vnde quod recedere videtur à voluntate D. ſecundum vnum ordinem, recurrit in ipſam ſecundum alium ordinem: ſicut peccator, qui, quantum eſt in ſe recedit à D voluntate peccando incidit in ordinem D voluntatis. dum per eius iuſtitiam punitur*. Itaque ſemper obtinetur finis aliquis per D. prouidentiam intentus, v. g. in Reprobis ad ſalutem antecedenter ordinatis, oſtenſio D. iuſtitiæ &c. & ſic uniuerſaliter, verum eſt, quod prouidentia Dei in ſui diſpoſitione non fallitur, ut canit Eccleſia.

Not. 3. Quod ſicut in ordinatione naturali media ſeruant ſuum ordinem ad finem, quia habent in ſe virtualiter imbibitum finem; ita ſuo modo diſcurrendum eſt de medijs ſupernaturalibus: & ſicut prouidentia naturalis ſe habet reſpectu mediorum naturalium, & finis per ea media comparandi; ità prouidentia ſupernaturalis ſe habet reſpectu mediorum ſupernaturalium; hoc tamen diſcrimine, quod media naturalia ex ſui natura virtualiter habent imbibitum finem, media autem ſupernaturalia, qualia ſunt gratia, charitas &c. ſunt media, quæ habent connexionem cum fine ex Dei diſpoſitione: Vnde prouidentia ſecundùm quod eſt generalis, ſeù antecedens tantùm includit voluntatem abſolutam mediorum, & conditionatam finis, ac proindè non infallibiliter finem conſequitur; ſecundùm autem, quod eſt talis prouidentia, cuiuſmodi

modi eſt prędeſtinatio, includit, & mediorum, & finis conſecutionem infallibiliter.

Concl. D. Prouidentia ex ratione ſua formali non infert neceſſariò, & infallibiter conſecutionem cuiuslibet finis particularis à creatura intenti, ſed ſufficit, quod inferat conſecutionem finis generalis, congruentis ſuæ gloriæ, & bono Vniuerſi. Eſt communis contra Caiet. p. 1. q. 22. art. 1. putantem, ut refert Fraſſen, ad perfectionem D. prouidentiæ, pertinere, ut infallibiliter conſequatur finem particularem, ad quem ordinat quamcumque creaturam, & contra Durand. qui, teſte noſtro Herrera cenſet, D. prouidentiam ſupernaturalem, ſed generalem non verſare circa finem, ſed tantum circa media; quod eſt contra communem ſententiam: nam ità comparatur in æternitate ratio prouidentiæ ad rem futuram, ſicut in tempore executio prouidentiæ, quæ eſt gubernatio ad rem in ſe exiſtentem; at gubernatio non ſolùm conſiſtit in collatione mediorum, ſed etiam finis; ergo & prouidentia non ſolùm conſiſtit in ratione, aut voluntate mediorum, ſed etiam finis.

Prob. igitur noſtra conc. Prouidentia ex D. Damaſceno. *Eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem accipiunt*; ſed conueniens rerum gubernatio exigit, ut cauſis liberis ſubminiſtrentur media proportionata earum libertati, quibus poſſint cooperari, vel non cooperari, proùt libuerit: ergo cum creatura libera ab intento fine poſſit deuiare, & ipſum nolle aſſequi, etiam iam uſurpatis, & applicatis aliquibus medijs ad eius conſecutionem; conſequens eſt Deum, huius finis conſecutionem, talia media ſubminiſtrando non intendere efficaciter, ſed conditionatè.

Prob. 2. Prouidentia non habet maiorem efficacitatem circa finis aſſecutionem, quam Diuina Voluntas, ſed Diuina Voluntas non ſemper impletur circa finis particularis aſſecutionem; ergo nec Prouidentia.

Arg. contra concl. Res omnes quantùm ad Prouidentiæ ordinem fixæ ſunt, ac ſtabiles, immobiles, & certæ, ergo pariter ſtabilis, & certa eſt conſecutio finis intenti ab ipſis creaturis, ut tradit D. Gregor. Nazianz. oratione ad Iulianum.

Reſp.

Reſp. diſting. ant. Sunt ſtabiles, & fixæ, quoad finem generalem, conc. ant. quoad finem particularem, nego: Nec aliud vult D. Greg. nec alij Sancti Doct. eadem Fraſi loquentes.

Cont. Etiam prouidentia particularis ſupponit hanc cognitionem, & volitionem finis; imprudens enim eſſet Agricola, qui ſemina in agrum ſpargeret, niſi abſolutè vellet fructus colligere; quàmuis hæc collectio interdum impediatur per concurſum aliarum cauſarum: ergo &c.

Confirmatur. Nam efficax voluntas mediorum ſolum oritur ex efficaci, & abſoluta volitione finis; ergo prouidentia particularis, quæ media creaturis ſubminiſtrat ad finem particularem intentum aſſequendum, etiam efficaciter, & abſolutè intendit illius finis aſſecutionem.

Reſp. neg. ant. aſſumptum; eò quia non loquimur hic de prouidentia particulari, quæ efficaciter vult nedum media, ſed etiam finem; benè tamen de fine particulari in ordine ad prouidentiam generalem. Quare negamus exemplum allatum. Siquidem ex rebus materialibus nequit deſumi idoneum argumentum; deberet enim fingi, quod terra haberet voluntatem &c.

Reſp. 2. diſting. ant. Prouidentia ſupponit abſolutam finis volitionem, vel particularem, vel uniuerſalem, conc. ſemper particularem, neg. ant. & ſimiliter diſtincta confirmatione, neganda eſt conſequentia.

Contra. Si D. prouidentia prouideret aliquem finem, qui non obtineretur, prouidentia eſſet conditionalis tantum, & non abſoluta, ſed hoc implicat, quia argueret impotentiam in Prouiſore, qui non poſſet intentum finem aſſequi, niſi poſita conditione: ergo &c.

Reſp. conc. mai. cum ſequela; & neg. min. Defectus namque conſecutionis finis non prouenit ex impotentia, vel ignorantia, ſed ex libertate D. voluntatis, & quia hoc eſt magis conſentaneum rebus ipſis, & magis congruit, & expedit muneri gubernatoris, & prouiſoris generalis. Nec tamen ex hoc ſequitur, finem non intendere, ſed ſolùm non intendere efficaciter, ac proinde D. prouidentia non fruſtratur, quod enim deficit ab uno ordine D. prouidentiæ in alium neceſſariò incidit, ut paulò ſuperius dicebamus cum D. Anſel. & D. Thoma, & alijs.

Vtrum omnia cadant ſub Diuina prouidentia.

NOt. 1. Quod fatum in ſenſu catholico intellectum non eſt idem cum D. prouidentia. Nam fatum deriuatur à verbo fandi, ſignificans dictum; vel Decretum de rebus diuinis. Vnde fatum ex Boetio lib. 4. de conſol. proſa 6. eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus. Prouidentia verò ex eodem Boetio eſt ipſa ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit: ex quo patet, quod fatum diſtinguitur à prouidentia, tanquam effectus à cauſa, & diſpoſitio à diſponente. Prouidentia namque eſt æterna Dei diſpoſitio de rebus diſpoſitis; fatum autem ipſius diſpoſitionis applicatio, & executio. Itaque fatum de materiali importat concurſum cauſarum ſecundarum, de formali autem importat illum concurſum eſſe præuiſum, atque præſcitum à Deo; immò & ordinatum, quæ quidem ordinatio, & diſpoſitio immobiliter inhæret, abſque eo, quod inferat rebus neceſſitatem.

Not. 2. ex Alenſi q. 26. art. 3. de D. prouidentia, quod aliter ſubſunt D. prouidentiæ ea, quæ ſunt liberi arbitrij, quàm naturalia; Nam, ſicut dicit Damaſc. duplex eſt prouidentia, una eſt ſecundum acceptionem, alia ſecundum conceſſionem, & addit, quod prouidentia ſecundùm acceptionem eſt, ubi non contingit eſſe reſiſtentia, nec contradictio. Vnde hæc prouidentia eſt de naturalibus, quæ ſic ſunt ordinata, ut aliter eſſe non poſſint; ſicut ſol cras oriturus: Prouidentia verò ſecundum conceſſionem eſt de his, ubi contingit eſſe reſiſtentia, & contradictio,& ſic eſt in libero arbitrio: Deus enim dedit libero arbitrio, ut conſentiat, vel non conſentiat bono, & ipſi malo conſentiat, ſi velit.

Not. 3. ex eodem Alenſi loc. cit. memb. 6. quod obiectum D. prouidentiæ eſt bonum: bonum autem eſt duplex; aliud eſt bonum abſolutè, & ſimpliciter, aliud eſt bonum in comparatione, hoc eſt, quantùm ad aliquid: De bono abſolutè, & ſimpliciter eſt prouidentia ſecundùm acceptionem; de bono incomparatione, eſt prouidentia

conceſſionis ſecundùm quod diſtinguitur voluntas beneplaciti, & permiſſionis. Eſt enim bonum, quod elicitur ex bono, cuius eſt acceptio, & eſt bonum, quod elicitur ex malo, cuius eſt conceſſio. Quarè licèt malum non ſit obiectum volitum; attamen ſubeſt D. prouidentiæ, quæ cum ſit actio ordinatiua, non ſolùm reſpicit bonum, quod fieri poteſt, ſed etiam fertur circà defectus, quos permittit, vel prohibet, vel punit, vel etiam ordinat ad aliud. Deus namq; ſua inæffabili prouidentia, etiam mala ad bonum ordinare nouit. Vndè D. Aug. in Enchir. cap. 11. inquit, *Meliùs iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe, permittere.*

I. Conc. Quodlibet peccatum, etiam ſub ratione formali peccati ſubeſt D. prouidentiæ ordinando illud in finem congruum. Eſt communis apud S. Theologiæ Principes, nempè Alenſem, qui docet malum eſſe ſub D. prouidentia, non tanquàm ab ea factum, ſed quatenus ab ea ordinatum, & S. Thomam, qui in p. d. 39. q. 2. art. 2. docet mala ſubiacere D. prouidentiæ, tanquam præſcita, & ordinata.

Prob. auctoritate SS. Patrum, & ſignanter Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum dicentis. *Maximum eſſe D. prouidentiæ argumentum non ſinere, vt vitium maneat inconducibile, & inutile*, & D. Cyrilli Hieroſol. Cathec. 8. exclamantis. *O Sapientiſſimam prouidentiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem conuertit*: & D. Baſilij aientis. *Prouidentiſſimus rerum humanarum diſpenſator Deus vtitur ad noſtram exercitationem malignitate Dæmonis, quemadmodum Medicus Vipera veneno.* Vndè in S. Scrip. multa peccata, & mala dicuntur à Deo fieri, non quod reuerà Deus illa faciat, ſed quia ea permittit, & ordinat ad aliquem finem bonum; ideò namquè Deus permittit peccatum, quia indè præuidet aliquod bonum oriundum, ut clarè habetur in S. Litteris.

II. Conc. Defectus morum, & Naturæ à D. prouidentia ordinantur ad Vniuerſi pulchritudinem, & decorem, ſaltèm per accidens. Hæc pariter eſt Alenſ. D. Bonau. & D. Thomæ. Prob. auctoritate D. Aug. qui lib. 11. de Ciuitate Dei, ubi latè hanc veritatem expendit dicens. *Neque enim Deus, vllum, non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet,*

vel malum eſſe futurum præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus accomodaret, atquè ità ordinem ſæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi Antithetis honeſtatur.

III. Conc. Ea quæ eueniunt caſu, & fortuitò reſpectu noſtri cadunt ſub D. prouidentiæ obiecto, reſpectu cuius nihil eſt caſuale, aut fortuitum. Hæc manifeſtè patet; eò quia illud dicitur caſuale, & fortuitum, quod euenit, præter noſtram intentionem, & à cauſa naturali nobis caſu videtur fieri: ſed hæc omnia à Deo in æternitate ſunt præuiſa, & à D. prouidentia ordinata; ergo &c. Vnde D. Aug. dicit in lib. 1. Retract. cap. 1. ſibi diſplicere, quod nominetur fortuna, vel caſus, eò quod ſic Chriſtiani deſueſcant à recurſu ad D. prouidentiam, quam in omni euentu cogitare, ſeque ei conformare deberent.

Dices. Peccatum euenit præter intentionem Dei, ergo aliquid caſu, vel reſpectu Dei, accidit.

Reſp. neg. ant. Nàm ibi nomen intentionis ſumitur, pro voluntate, quatenus Deus non intendit peccatum non autem pro præuiſione, ac proindè non eſt præter intentionem Dei; licet ſit præter eius decretum; cum Deus non decernat peccatum, niſi conſequenter, vel concomitatenter ad decretum hominis.

Arg. Si peccata ſubeſſent D. prouidentiæ, ergo Deus illa vellet, & non tantum præuideret; ſed hoc eſt abſurdum, & repugnans D. bonitati: ergo &c.

Reſp. neg. ſequelam maioris. Ratio eſt, quia aliquid ſubeſſe Diuinæ prouidentiæ dupliciter intelligi poteſt; vel tanquam effectus, vel tanquam materia; effectus prouidentiæ ſunt fines à Deo intenti, vel ſunt media, quæ præparat ad obtinendum finem. Materia verò eſt id, ex quo per permiſſionem facto, Deus elicit aliquod bonum. Itaque peccata ſubſunt D. prouidentiæ; non tanquàm effectus. cum non ſint à Deo poſitiuè volita, & intenta, ſed ſubſunt tanquam materia, quia poſito quod fiant per libertatem creatam, Deus illa permittit, ut indè eueniant bona.

Quæres. An prouidentia naturalis ſit prior ſupernaturali, vel potiùs è contra,

Reſp. Caiet. & nonnulli alij Thomiſtæ exiſtimant, prouiden-

uidentiam naturalem eſſe priorem ſupernaturali; & ducuntur hiſce rationibus. Prima. Talis eſt ordo rationis inter actus D. prouidentiæ, qualis eſt ordo à parte rei inter obiecta; ſed obiecta prouidentiæ D. naturalis, & ſupernaturalis ſunt natura, gratia, & gloria, & natura ſupponitur, tum ut ſubiectum, tum ut finis cui, ad quem perficiendum datur: ergo &c.

Confirmatur. Nàm ſi prouidentia ſupernaturalis non ſupponit naturalem, ergo vel hæc ſupponit illam, vel cum illa coincidit, ſeù includitur in illa, vel eſt ſimul cum illa; at conſequens dici nequit: ergo &c. Non quidem primum, quia aſſignari nequit in quo genere cauſæ ſit prior gratia &c. Nec ſecundum, quia ſic natura coincideret cum gratia. Neque tertium, quia una ordinatur ad alteram, ut conſideranti patet: ergo &c. Accedit etiam auctoritas D. Pauli ad Rom. cap. 8. cum ait: Deus, quos preſciuit, prædeſtinauit, præſcientiam prædeſtinandorum ipſi prædeſtinationi præſupponit, & loquitur de preſcientia naturæ, quia ante prædeſtinationem non potuit præſciri gratia, quæ eſt prædeſtinationis effectus, & per prædeſtinationem habuit eſſe futurum: his tamen non obſtantibus. Dicendum eſt cum Scoto in 3. d. 37. q. un. art. 3. ubi tradit illam maximam. Omnis rationabiliter volens prius vult finem, quàm ea, quæ ſunt ad finem, & inter ea quæ ſunt ad finem, vult propinquiora fini, ergo cum creatura rationalis ſecundùm gratiam, & beatitudinem ſit fini propinquiùs, quàm aliæ creaturæ ſecundum naturam, ſequitur, quod prior ſit ordo ſupernaturalis, quàm naturalis; quod enim eſt fini propinquiùs ſolet eſſe finis eorum, quæ ſunt remotiora; ergo gratia, & gloria erunt finis naturæ, ac proinde ad hunc finem omnia cetera per predeſtinationem ordinantur; & ſic prouidentia ſupernaturalis eſt prior naturali; ut rectè diſcurrit Smiſing. Neque rationes opinionis oppoſitæ urgent. Non quidem prima, quia ſolum probat, decretum de exiſtentia creature intellectualis ſupponi decreto prouidentiæ ſupernaturalis, quod gratis conceditur; nam ex hoc non ſequitur prouidentiam naturalem eſſe priorem, cum illud decretum non ſit prouidentia, ſed quid prerequiſitum, quo poſito Deus primò prouidit creaturæ de gratuitis, deinde de naturalibus

pro-

propter gratuita. Nec ſecunda, eo quia prouidentia naturalis includitũr in prouidentia ſupernaturali adæquatè ſpectata, licet aliquem actum prouidentiæ ſupernaturalis ſupponat prouidentia naturalis, nempè voluntatem finis naturalis; naturalis enim prouidentia verſatur circa mediorum executionem ad hunc finem, quæ tamen & ipſa eſt ſimpliciter ſupernaturalis ob relationem naturalium in finem ſupernaturalium; nec ex hoc ſequitur naturam coincidere cum gratia, ſed tantum eleuari ad ordinem ſupernaturalium. Nec denique ei fauet Apoſtolus cum non loquatur de pręſcientia antecedente prædeſtinationis decretum, ſed conſequente illud; & ſenſum eſſe, ut expendit noſter doctiſſimus Smiſing. *Quos præſciuit etiam prædeſtinauit, ſeù tales præſciuit, quales per prædeſtinationem fuerat ipſe facturus.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus ſuo decreto abſoluto, & efficaci prædiffiniuerit omnes actiones noſtras liberas diſtinctè, & in particulari.

NOt. 1. Quòd nomine prædiffinitionis moderni Theologi intelligunt quoddam ęternum decretum efficax D. voluntatis, quo abſolutè decernit, ac ſtatuit, ut aliquid fiat in tempore, v. g. ut voluntas Petri tali tempore, & loco actum dilectionis eliciat, antequam Deus præuideat Petrum habiturum talem actum; & ſic prædiffinitio propriè ſignificat decretum antecedens præſcientiam futuri actus, quo Deus v. g. antequam videret Petrum eliciturum actus amoris, abſolutè decreuit, ut illum eliceret, ideòque ordinauit media, per quę fieret; & in hoc ſenſu prædiffinitio ſpectat ad prouidentiæ rationem. Itaque quęritur: An prædiffinitio requiratur omninò ad Dei prouidentiam; adeòut nulla Dei prouidentia conſiſtere poſſit reſpectu præfatarum actionum abſque tali prædiffinitione.

Not. 2. Quod actus humanĩ ſunt in triplici differentia, alij videlicet ſunt moraliter boni, alij moraliter mali, alij indifferentes: & inſuper actus moraliter boni alij ſunt or-

dinis

dinis naturalis, alij ſunt ordinis ſupernaturalis; in præſenti quæſtione agitur tantum de actibus moraliter bonis, & indifferentibus, in particulari, & in indiuiduo, quia de actibus moraliter malis erit quæſtio ſubſequens. Non parum variant Doctores circa hanc quæſt. in ſenſu mox explicatam. Quidam negant huiuſmodi prædiffinitionem eſſe neceſſariam, vel ad perfectam Dei prouidentiam, vel ad eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; in qua ſententia eſt ſignanter Caſpenſis tom.1.tract. de prouidentia Dei diſp.2.ſect.2. & in eam inclinat noſter Herincx, qui diſp. 8. de prouid. & prædeſt. q.1. ſic loquitur. Equidem non apparet ex natura rei neceſſitas eiuſmodi prædiffinitionum ad infallibilitatem D. prouidentiæ circa operationes bonas, ut patet ex dictis de operationibus malis, quæ etiam ſubſunt, etſi diuerſimodè D. prouidentiæ. Quidam prædiffinitionem admittunt poſt præſcientiam conditionatam, ità Suarez Amicus diſp.14. de volunt. Dei ſect.5. & idem Caſpenſ. loc. cit. ſect.2. quia ſic, ut ipſi aiunt; non pugnat talis prædiffinitio cum libertate humana. Quid autem ſentiant Scotiſtæ iuxta mentem Doctoris monſtrabit ſequens concluſio.

I. Conc. Omnes actus voluntatis humanę moraliter boni, vel indifferentes quantumcunque liberi ſunt à Deo ab æterno prædiffiniti prædiffinitione efficaci, & abſoluta; & cenſetur hanc prædiffinitionem eſſe neceſſariam ad ſaluandam non ſolum eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; ſed etiam ad perfectam Dei prouidentiam. Hæc eſt Sminifg. & Maſtrij tom.1. diſp.4. de D. volunt. q.2. art.1. dicens, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, & præſertim Scoti in 1.d.39. ubi docet, neceſſe eſſe ponere primam determinationem in voluntate D. reſpectu omnium factibilium, etiam in particulari; & d. 39. ſ. viſo de contingentia, & quol. 14. ſ. hic intelligendum, aſſerit Deum uniuerſa cognoſcere futura ex liberis decretis ſuæ voluntatis; quod etiam repetit in 2. d.37. ſ. contra iſtam, & in 1. d.41. & 47. ubi in fine docet, Deum certò cognoſcere peccata ex eo quod ſcit, ſe cooperaturum ad ſubſtratum peccati, ſi eſt commiſſionis, vel non cooperaturum ſi eſt omiſſionis.

Prob. noſtra conc. in primis auctoritate Sac. Scripturæ plu-

pluribi indicantis hanc aſſertionem, & præſertìm ad Eph. ca. 1. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; & Sap. cap. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia prouidentia*; & Eccleſia ipſa canit. *Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, quæ auctoritates ſignificant, omnia futura, nedum in particulari eſſe à Deo præuiſa, ſed etiam ordinata, & diſpoſita ſecundùm voluntatis ſuæ conſilium, & prouidentiæ ordinem; non enim prudens, & perfectus gubernator dicitur, qui ſolùm conditionatè, confusè, & in generali, non autem abſolutè, diſtinctè, & in particulari res faciendas diſponit; alioquin in ſui diſpoſitione poſſet falli.

Hanc eandem veritatem perſpicuè tradunt SS. Patres. D. Auguſt. in ſoliloq. cap. 26. ait. *Priuſquàm me formares in vtero, nouiſti me & antequàm exirem de vulua quicquid tibi placuit, præordinaſti de me*, D. Greg. lib. 12. moral. cap. 2. *Cuncta Deus præſciens ante ſæcula decreuit qualiter per ſæcula diſpoſuit*; ſic pariter loquitur Concilium Valentin. ſub Lotario cap. 3. ex Auguſt. *Apud Deum de omnibus rebus, tam fixa ſententia, quam certa præſcientia*.

Prob. ratione, & primò ratione eſſentialis dependentiæ cauſę ſecundę ad primam. Ad eà omnia ſe extendit decretum D. ad quæ ſe extendit D. cauſalitas; ſed ex vi ſubordinationis eſſentialis cauſę ſecundę ad primam, D. cauſalitas ſe extendit ad omnes actus, quantumuis liberos; ergo ex vi ſubordinationis D. Decretum ſe extendit ad omnes actus liberos, tam in communi, quam in particulari, & in indiuiduo; diuina enim cauſalitas omnia iſta reſpicit.

Prob. 2. ratione diuinæ prouidentiæ. Prouidentia dicitur ratio ordinandorum in finem, ac proindè neceſſariò ſupponit, vel inuoluit voluntatem pręordinantem; ergo cum Deus habeat infinitam prouidentiam omnium actuum liberorum, conſequenter dicendum eſt, omnes illos eſſe à Deo pręordinatos, & pędiffinitos. Hinc ad rem loquitur D. Irenęus lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 45. *Per Dei prouidentiam vnumquodque eorum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, à Deo ordinem, numerum, & quantitatem accipere, & accepiſſe propriam*,

Confirmatur. Prouidentia ſiquidem D. non ſolum includit actum intellectus, quo Deus cognoſcit omnes creaturas,

turas, & ſingulas in particulari, ſed etiam actum voluntatis, quo eas diſtinctè, & in particulari velit; ſed ſi Deus ab æterno non prædiffiniſſet omnes actus, certè fierent præter ipſius voluntatem, & intentum; quod non eſt admittendum; ergo Deus ab æterno prædiffiniuit omnes noſtros actus liberos &c.

Cæterum ex dictis colligere debemus, quod tales prædefinitiones, nec ſunt omninò antecedentes vſum noſtræ libertatis, nec omninò illum conſequentes, quaſi præſupponant præuiſionem effectus à voluntate creata futuri ſub conditione per ſcientiam mediam, vt contendunt Ieſuitę: ſed præciſè ſunt concomitantes iuxta doctrinam ſuperiùs adductam etiam de decreto concomitanti, Præterea muniri poteſt noſtra concluſ. etiam exemplo mortis Chriſti, quæ fuit à Deo prædiffinita, ac ea præcepta; & tamen fuit illi voluntaria. Idem militat de B. Deipara immaculata, & de confirmatis in gratia, quorum actus fuerunt liberi, quamuis ſuppoſita confirmatione, infallibiliter non poterant peccare; ergo &c.

II. Conc. Omnes actus ſupernaturales ſunt a Deo prædefiniti abſolutè, & efficaciter. Prob. 1. ex illis verbis Pauli ad Epheſ. 2. Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, hoc eſt prædiffiniuit, ut in eis ambulemus.

Prob. 2. Inter voluntatem finis, & mediorum debet eſſe proportio; ſed omnes actus ſupernaturales procurantur à Deo ex intentione finis efficaciter intenti, & prædiffiniti; ergo &c. Neque obſtat, quod àctus ſupernaturales reproborum ſpecialiter non ordinentur ad ipſorum gloriam; quia nihilominus ordinantur ad oſtenſionem D. attributorum, iuſtitiæ, miſericordiæ &c. quam Deus efficaciter intendit.

Confirmatur. Nam quilibet fidelis, etiam Reprobus quantum ad actus ſupernaturales, & dona eſt membrum Corporis myſtici, nec poteſt credere, ſperare &c. niſi Pater ad Filium eum traxerit per inſpirationes, & vocationes internas, & externas; at vocationes non dantur à Deo, niſi ex intentione efficaci, ut homo cooperetur ad actum ſupernaturalem; ergo actus omnes ſupernaturales ſunt à Deo prædiffiniti.

Arg. cont. 1. conc. Auctoritate SS. Patrum, præſertim D. Gre-

D. Gregor. homil. 3. in Geneſ. dicentis *Multa ſine eius voluntate geruntur nihil ſine prouidentia*, D. Damaſ. lib. 2. de fide cap. 30. Deum omnia quidem, præſcire ſed non omnia prædiffinire, his conceptis verbis. *Præſcit ea etiam, quæ in noſtra poteſtate, atque arbitrio ſita ſunt, at non item ea præfinit*; ergo &c. Reſp. Patres velle tantum excludere à prædiffinitione peccata, quæ ſine voluntate Dei prædiffiniente geruntur, non autem loqui uniuerſaliter de omnibus alijs actibus bonis, & indifferentibus, de quibus hic agitur. Vel loqui, ut aduertit Herincx de tali prædiffinitione, quæ imponat neceſſitatem, ut colligitur ex ijs; quæ ſtatim ſubdit Damaſ. dicens *Nec enim vitium admitti vult, nec rurſum virtuti vim affert*. Plures alias auctoritates SS. Patrum, quæ videntur aduerſari noſtræ concluſioni, videri poſſunt in Maſtrio loc. cit.

Arg. 2. Hæretici videntur aſſerere, omnes noſtros actus liberos eſſe neceſſarios, neque eſſe in noſtra poteſtate oppoſitum velle, eò, quòd omnes ſunt ab æterno prædiffiniti efficaciter ante omnem præſcientiam operationis voluntatis humanæ; ergo ſi Deus decreto abſoluto prædiffinit, ut in concluſione aſſeritis; indubiè acceditis ad errores hæreticorum; ergo dicendum eſt Deum non priùs prædiffinire actus noſtræ voluntatis, quàm eos præſcire, vel ſcientia conditionata, vel abſoluta.

Reſp. neg. aſſumptum. Nam hæretici non ideo negant lib. arbitrium, quia actus noſtri ſint ab æterno prædiffiniti efficaciter ante omnem præſcientiam, ſed abſolutè negant liberum arbitrium conſiſtere poſſe cum D. prædiffinitione, ſiue ponatur ante omnem præſcientiam actuum factibilium ab humana voluntate, ſiue ſubſequatur actus liberos, contendentes D. decretum ità ab æterno prædiffiniſſe, ut oppoſitum non ſit in noſtra poteſtate; ac proinde quadam fatali neceſſitate cogamur ſic, vel ſic operari, quod longè abeſt à noſtra ſententia.

Contra. Vbi eſt prædiffinitio, & prædeterminatio D. voluntatis, ibi Deus efficaciter vult, & infallibiliter mouet voluntatem noſtram, adeout non poſſit non velle; ergo ſi vult, neceſſariò vult, non autem liberè, & per conſequens oppoſitum agere non eſt in noſtra poteſtate. Dices. Fortaſſe; quod in ſenſu compoſito non poſſit non velle,

ſuppoſita D. prædiffinitione, & prædeterminatione, ſecùs autem in ſenſu diuiſo, & hoc ſatis eſt, ne libertas humana lædatur.

Contra. Si ſic, ſequeretur, quod ſenſus compoſitus tolleret libertatem voluntati, quia ſi ſuppoſitio illa ita præuenit voluntatem, vt non ſit in eius poteſtate, quod velit, aut non velit; ergo iam neceſſariò vult, quia ſtante illa ſuppoſitione, impoſſibile eſt, quod non ſequatur actus voluntatis; ac proinde cum illa non ſtat libertas.

Reſp. Ex dictis in quæſtione de decreto diuino concomitanti in ordine ad noſtros actus liberos patet reſponſio huic argumento. Supponit enim argumentum, Deum prædeterminare antecedenter noſtram voluntatem; at hoc negamus; ſed aſſerimus, Deum decreto concomitanti noſtram libertatem prædiffinire; & ſic ruit totum argumentum. Et quàmuis in ſenſu compoſito nequeat voluntas oppoſitum velle, id oritur non ex D. prædiffinitionis ſimpliciter, ſed ex ipſa voluntate humana, quæ ſic liberè ſe determinat; nam Deus non ſolum determinat meam voluntatem e.g. ad legendum, ſed ad liberè legendum, ſicque nulla ſequitur neceſſitas in voluntate, aut libertatis læſio.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus prædiffinierit ab æterno actus prauos voluntatis humanæ.

NOt. 1. Quod præſens quæſtio non mouetur de prædiffinitione purè permiſſiua, de qua nemo dubitare poteſt; cum D. Auguſt. apertè doceat, non fieri aliquid, niſi omnipotens velit, vel ſinendo, ut fiat, vel ipſe faciendo; ſed de prædiffinitione poſitiua, quæ conſiſtit in volontate efficaci alicuius rei, ut fiat; neque agitatur quæſtio de actibus malis moraliter quoad formalem illorum malitiam conſideratis, ſiue talis malitia conſiſtat in ſola priuatione debitæ rectitudinis, ut docet Scot. in 2. d. 37. ſiue ſit quid poſitiuum in genere moris oppoſitum bonitati morali contrariè, ut opinantur Thomiſtæ. Eſt namque indubitatum apud Catholicos Doctores malitiam moralem, ut ſic, non prædiffiniri à Deo prædiffinitione voliti-

ua, eſtò permiſſio malitiæ moralis ſit à Deo volita, & præ. diffinita ab æterno.

Not.2. Quod in hac quæſtione ſunt tres opiniones. Prima eſt Thomiſtarum, qui firmiter tenent, Deum ab æterno, decreto omninò antecedenti conſenſum noſtræ voluntatis abſolutè, & efficaciter prædiffinire noſtros actus malos quoad phyſicam eorum entitatem, phyſica quidem prædeterminatione, in eo ſenſu, quo in ſuperioribus quęſtionibus explicata eſt. Ita Recentiores Thomiſtæ, ut Canus, Medina, Nazarius, Salmanticenſes, Aluarez, & alij plures. Secunda opinio negat, Deum ullo modo prędiffinire actus prauos, etiam quoad eorum entitatem phyſicam, ſiue talis prędiffinitio ponatur ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis creatæ ad eoſdem actus malos, ut volunt Thomiſtæ; ſiue poſt talem præuiſionem, ut placet alijs: ſed reſpectu huiuſmodi actuum Deum ſe habere purè, & ſimpliciter permiſſiuè; ita inter alios Pennottus lib. 4. c. 18. & Caſpenſis l. cit. ſect. 4. qui tamen non negat, Deum concurrere ut cauſam primam uniuerſalis concurſu poſitiuo ad phyſicam actus entitatem; adducens pro ſe D. Thom. qui in p. 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. dicit. ſine uniuerſali Dei motione non poteſt homo aliquid velle: & ut magis conuincat Thomiſtas deuiantes à mente Doct. Angelici, affert doctrinam, quam habet q. 80. art. 1. ad 3. & lib. cont. gentes cap. 68. ubi ſic docet. Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate, velle, vel nolle, excludit determinationem virtutis ad unum, non verò excludit influentiam ſuperioris cauſæ: ergo D. Thomas non admittit prędeterminationem phyſicam à ſuis diſcipulis excogitatam, contra quam idem Caſpenſis acriter inuehit. 3. opinio eſt Aſſertorum ſcientiæ mediæ, qui, etſi non concedant prędiffinitionem ante præſcientiam, eam tamen admittunt poſt pręuiſionem habitam per ſcientiam mediam, ut alibi explicata fuit eorum ſententia. Quæ autem ſit Scoti ſententia, & Scotiſtarum in concluſionibus ſequentibus oſtenditur.

I. Conc. Deus ab æterno non prædeterminat efficaciter, & antecedenter ad noſtrum conſenſum liberum in actus liberos à noſtra voluntate futuros; ſicut nec in tem-

pore

pore eam antecedenter præmouet, & phyſicè prædeterminat ad illos efficiendos. Hæc eſt Scoti expreſſa ſententia, & videtur communis extra Scholam Thomiſtarum: eſt Scoti, inquam, in 2. d.37. q.2. §. ad ſolutionem iſtorum, ubi ſic diſcurrit. D. Voluntatem non peccare, nec peccati cauſam eſse, quandò in tempore cum Voluntate creata concurrit ad actum peccati, quia Voluntas D. quantum eſt ex ſe cauſaret, & daret rectitudinem actui, ſi voluntas creata eam daret, & cooperaretur ex parte ſui; uniuerſaliter enim quicquid Deus dat antecedenter, daret etiam conſequenter inquantùm eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum. Quibus verbis manifeſtè docet generalem, & liberam primæ Cauſæ Voluntatem, qua omnes cauſæ ſecundę ad agendum indigent, ut etiam aduertit Faſolus q.14. art. 13. dub.11. non determinare ex ſe antecedenter cauſas ſecundas liberas ad unum effectum determinatum, nec eligere unam determinatam contradictionis partem ante Voluntatis creatæ determinationem, ſed vel determinare conſequenter ad præuiſionem determinationis creatæ Voluntatis ſub conditione futuræ, ut hinc colligere nititur Faſolus, & ex noſtris Cauellus; vel veriùs concomitanter, ut ſupra explicatum fuit.

Prob.1. Conc. ſpecialiter de actibus malis. Sac. Script. pluribi tradit, Deum prohibere actus malos, & odio habere peccatores malè operantes; non ſolum quoad rationem formalem peccati, ſed etiam quoad materialem: qua ratione dicitur, non occides, non concupiſces &c. ergo Deus cum ſit infinitè bonus nequit antecedenter velle per ſe, & ex ſua primaria intentione actus malos, tùm quoad formalem, tùm etiam quo ad entitatem materialem.

Confirmatur hæc ratio auctoritate Concilij Arauſicani cap. 2. ubi ait: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet*: & Trid. ſeſs.6. can.6. damnantis hęreticos hiſce verbis. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, itàut bona Deum non permiſſiuè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe, adeoùt ſit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: anathema ſit.* Ex quibus verbis clarè colligitur, quod Concil. non loquitur de ſola malitia, ſed etiam de ipſis actibus malis. Vndè ſi Deus determinaret antecedenter huiuſmo-

 di ma-

di malos actus in ſenſu iam explicato, non eſſet in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, quia talis neceſſitas antecedens ſecundùm D. Auguſt. & D. Anſal. tollit libertatem: ergo non antecedenter, ſed concomitanter Deus determinat, & prædiffinit huiuſmodi actus malos quoad eorum entitatem. Eandem veritatem diſertè tradunt SS. Patres; ut videre eſt apud Doctores noſtros, & ſignanter Maſtrium diſp.4. de D. Voluntate q.3. art.1. n. 45. & præſertim D. Fulgent. lib.1. ad Monimum ſic ſcribit. *Poſſet peccatum ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum iuſtè peccare*: & infrà. ***Nunquam potuit hoc Deus prædeſtinare, quod ipſe diſpoſuerat præcepto prohibere*.**

Prob. ratione. Si Deus antecedenter ad conſenſum creatæ voluntatis prædiffiniret actus malos quoad materiale; ergo Deus diceretur cauſa peccati: ſed hoc eſt hæreticum dicere, ergo neque admittendum eſt, Deum decreto antecedenti noſtram voluntatem prædiffinire actus liberos quo ad entitatem ipſorum.

Prob. ſeq. mai. Si Deus moraliter præmoueret, hoc eſt conſulendo, ſuadendo, alliciendo ad peccandum, ut facit Diabolus nos tentando, eſſet abſque dubio cauſa ſaltem indirecta peccati; qua ratione ait Iacob.1. *Nemo cum tentatur, dicat, quod à Deo tentatur &c* ergo à fortiori Deus eſſet cauſa indirecta peccati, ſi phyſicè prædeterminaret, & præmoueret in tempore noſtras voluntates; cum præmotioni morali poſſit quis reſiſtere non præbendo conſenſum; prædeterminationi autem phyſicæ in ſenſu compoſito fieri nequit reſiſtentia, cum ſic prædeterminatus infallibiliter operetur.

II. Conc. Deus non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam poſitiuè voluit ab æterno omnes actus à voluntate creata futuros quoad phyſicam illorum entitatem, id tamen non niſi concomitanter. Hanc tenet Scotus in 1. d.41. q.un. §. primum iſtorum, & videtur communis.

Prob.1. auctoritate Scoti, qui loc. cit. ait. Deus præſcit hoc peccatum, non ſolum, quia ſcit, ſe permiſſurum, ſed etiam quia ſcit, ſe cooperaturum huic ad ſubſtantiam actus non circumſtantionati. Eandem doctrinam repetit in d. 47. ad 1. Non eſt præuiſio Dei de peccato futuro per hoc ſolum, quod ſcit, ſe permiſſurum hunc peccare finaliter,

liter, ſed cum hoc requiritur, quod ſciat, ſe cooperaturum iſti in actu peccandi, vel non cooperaturum ad actum illum, cuius omiſſio erit peccatum omiſſionis; ex quibus patet mens Scoti; ergo &c.

Prob. 2. ratione deſumpta ex dependentia eſſentiali, & ſubordinatione cauſæ ſecundę ad primam. Diuina prędiffinitio ad ea omnia ſe extendit, ad quæ ſe extendit D. cauſalitas, ſed D. cauſalitas ſe extendit ad naturalem entitatem actus mali, etiam in ſententia Aduerſariorum, ergò &c. Prob. mai. Nihil Deus agit in tempore, quod ab æterno non prædiffinierit ſe facturum; alias Deus vellet aliquid in tempore, quod ab æterno non voluerit; ſed Deus una cum ſecunda cauſa concauſat entitatem naturalem actus mali, ergo ab ęterno prędiffiniuit ſic concurrere ad entitatem naturalem actus mali.

Confirmatur. De factò concurrit Deus ad materiale peccati, non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam poſitiuè, ergo etiam ab æterno potuit talem actum prędiffinire, & poſitiuè velle ob eandem prorſus rationem; ſed primum non audent negare Aduerſarij, ergo & ſecundum concedere coguntur. Reſp. Aduerſarij neg. paritatem de concurſu, & prędiffinitione: quia concurſus Dei eſt debitus, & neceſſarius ex vi Cauſæ primę, quę debet neceſſariò concurrere ad omnes operationes cauſæ ſecundę. At prædiffinitio non eſt debita, neque neceſſaria reſpectu actus mali: poſita namque voluntate permittendi illud, habetur totum id, quod requiritur ad hoc, ut ſit futurus, & ad hoc ut Deus habeat ſcientiam viſionis illius, ac perfectam prouidentiam.

Contra hanc reſponſionem arguit Maſtrius loc. cit. probando euidenter paritatem illa eadem ratione, qua Aduerſarij probant, Deum, videlicet, nullo modo prędiffinire actum peccati, quia cum Deus ſit ſummè bonus, non eſt credendum ipſum prędiffinire etiam materiale peccati; prędiffinire enim aliquid eſt velle illud, complacere in illo, & eſſe cauſam illius, quod diuinę bonitati repugnat. Verùm hoc idem argumentum, inquit Maſtrius, fieri poteſt de concurſu: nam Deus non concurrit niſi volendo, & eius concurſus materialiter ſumptus non eſt, niſi ſuum velle, quatenùs virtualiter tranſiens ad extra in tempore:

ergo ſi in tempore concurrit ad actum peccati, vult reuerà actum peccati quoad materiale. Nequè apparet alia differentia, niſi quod concurrendo in tempore ad actum peccati, vult illum in tempore; & prędiffiniendo illum ab ęterno, vult illum ab ęterno; quare ſi hoc repugnat diuinę bonitati ab ęterno, repugnabit etiam in tempore; quod ſi in tempore non repugnat, nec repugnabit ab ęterno.

Arg. contra 1. conc. aſſerendo plura loca Sac. Scripturę quibus Hęretici probare ſtudent Deum eſſe peccati auctorem; ut in pſal. 103. ***Conuertit cor eorum, vt odirent populum ſuum & dolum facerent in ſeruos eius***. Iſai. cap. 37. ***Quare errare nos feciſti de vijs tuis, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te***. Reg. lib. 2. cap. 22. ***Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de d mo tua &c.*** & Matt. c. 6. ***Et ne nos inducas in tentationem***, & alia huiuſmodi Sac. Script. loca, quę ut rectè obſeruat noſter Smiſing. urgent hęretici ad probandum Deum ſuo ęterno conſilio prędiffiniſſe voluntatem creatam ad actus malos quoad phyſicam entitatem; & ex vi talis prædiffinitionis illam in eoſdem compellit, & pręmouet in tempore; cum & ipſi fateantur, malitiam pro formali eſſe in voluntatem creatam refundendam, ergo Deus prędeterminat &c.

Reſp. loca Sac. Script. allegata intelligenda eſſe de cauſalitate, & voluntate Dei permiſſiua, non de volu tate, & cauſalitate poſitiua, ut paſſim SS. Patres, & Theologi explicant; quod etiam alibi notatum eſt.

Arg. 2. D. Auguſt. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 1. dicit. ***Deum operari intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum***: ſed his verbis apertè ſignificatur phyſica prędeterminatio, aut ſaltem moralis ad utrumque; ergo &c. Item idem Aug. lib. 5. contra Iulianum c. 3. docet, ***Peccata non eſſe tantum D. permiſſionis, aut patientiæ, ſed etiam D. potentiæ, vt ſic priora peccata puniantur***, ergo D. Aug. admittit ex diuina intentione, & prędiffinitione, hominem mala operari.

Reſp. ex verbis D. Aug. non rectè inferri phyſicam prædeterminationem; aliter enim inclinat voluntates hominum ad bonum, & aliter ad malum; ad bonum quidem poſitiuè, & ex intentione, ad malum autem permiſſiuè, vel ex demerito prętericorum peccatorum auxilia ſubtra-

hendo,

hendo, vel ſinendo, ut mundus, & Diabolus occaſiones peccandi prębeat; vel concurrendo ad aliquod factum, ad cuius poſitionem ſequitur excęcatio, & induratio, quo ſenſu ait D. Aug. Deum etiam ſua potentia indurat, ut paulò ſuperiùs in ſimili obiectione ſoluenda dictum fuit; & etiam inclinare, non quidem ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco. Quod autem dicit Maſtrius de occaſionibus art. 2. n.53. nempè Deum abſque lęſione ſuę infinitę bonitatis, poſſe offerre occaſiones peccandi; cenſeo, id eſſe intelligendum de occaſionibus materialiter, non formaliter oblatis, ut mox dicebamus.

Arg. à Thomiſtis. Cauſa ſecunda non poteſt aliquid efficere niſi à cauſa prima pręmota, & pręde terminata ob eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; ergo Deus ab ęterno antecedenter vult abſolutè phyſicam entitatem peccati, ac proindè ei in tempore correſpondet phyſica prædeterminatio.

Reſp. neg. ant. de pręde terminatione thomiſtica, quæ eſt phyſica, & inhęrens cauſę ſecundę. Vnde ad ſubordinationem eſſentialem ſaluandam non eſt neceſſaria talis prædeterminatio, ſed ſufficit, inquit Scotus, dependentia cauſę ſecundę ad primam, conſiſtens in hoc, ut creatura agere non poſſit abſque poſitiuo Dei concurſu.

Arg. contra 2. conci. à Caſpenſi ſic. Deus prohibet ne ſcienter in nobis producamus entitatem phyſicam peccati, v.g. odij, furti, fornicationis &c. ergo non poteſt efficaciter velle; ut eandem entitatem ſcienter producamus: ant. prob. Deus prohibet formale peccati, ut Catholici fatentur, ſed non poteſt prohibere illud formale, niſi prohibendo, nę materiale producamus in nobis; nam ad poſitionem materialis, neceſſariò ſequitur formale; ergo Deus prohibet, ne entitatem phyſicam ſcienter in nobis producamus, & conſequenter ſi prohibet non vult, nec ab æterno prædiffinit.

Reſp. hoc idem argumentum poſſe retorqueri contra ipſum Caſpenſem admittentem, Deum concurrere in tempore cum cauſa ſecunda ad phyſicam actus mali entitatem, qui concurſus, ut benè diſcurrit Maſtrius, in ſolutione ſimilis argumenti debet eſſe ſpecificatus, ut ad alteram partem determinatus, adeoùt oppoſitam partem ex-

 cludat.

cludat. Vnde ſi Deus verè, & efficaciter prohibuit ab æterno tales actus, cur ad illos in tempore perpetrandos cum humana voluntate concurrit ſciens, & volens? Itaque reſp. in forma ad argumentum neg. ant. Ad probationem, conc. mai. & min. & illationes; quibus conceſſis nihil ſequitur pugnare cum noſtra ſententia; eò quia Deus non exigit, ut conformemur eius voluntati conſequenti, & ſecundariȩ, nam hac voluntate potiùs ipſe ſe nobis conformat, & accomodat, ne libertate priuemur: ſiquidem nos ad illos non prędeterminat, neque illos vult ſpontè, & abſolutè, quaſi Deus hoc intendat ex ſua intentione primaria, ſed tantum concomitanter nobiſcum, ac veluti intentione ſecundaria, & per quandam condeſcenſionem: Sicut igitur non obſtante prohibitione odij, fornicationis &c. adhuc tamen in tempore ſciens, & volens concurrit ad illos; ita potuit ab æterno prædiffinire tales actus, quia vidit voluntatem creatam ſic eſſe operaturam.

Arg. 2. SS. Patres non admittunt, actus malos eſſe à Deo prædiffinitos, immò abſque ulla diſtinctione inter materiale, & formale peccati id abſolutè negant; ergo non debemus recedere à modo loquendi Patrum; ſaltem, ne videamur conuenire cum hæreticis noſtri temporis, dicentibus mala opera, æquè vt bona eſſe à Deo prædeſtinata. Reſp. SS. Patres admittere concurſum Dei ad phyſicam entitatem peccati; tamen uſus obtinuit apud Patres, ut dicant actus moraliter malos ſolum eſſe à Deo præuiſos, non prædeſtinatos, ſeu præfinitos, quia præfinitio abſolutè præſeferre videtur volitionem Dei antecedentem, ſpontaneam, & ex intentione, ideoque abſolutè loquendo dici non debet, actus malos eſſe à Deo prædeſtinatos, ſeu præfinitos, niſi exprimatur, eſſe prædiffinitos concomitanter, conſequenter, & per quamdam condeſcenſionem, ne creatura ſua libertate priuetur.

Vtrum D. prouidentia imponat neceſſitatem rebus: & quomodò conciliari poſſit libertas creata cum prædeſtinationis certitudine, ſeu cum prouidentia ſupernaturali.

NOt. 1. Quod licet reſolutio præſentis quæſt. poſſit aliqualiter deduci ex ijs, quæ dicta ſunt, tum in diſputatione, de ſcientia Dei, tum in diſputatione de voluntate diuina; nihilominùs, quia hæc quæſtio eſt adeò difficilis, ut ſemper torſerit ingenia Doctorum; & ipſemet D. Aug. epiſt. 1. eam difficillimam, & paucis intelligibilem dixerit, ideò ex profeſſo agenda eſt, & pro viribus conandum eſt, eam funditùs penetrare, ut oſtendere valeamus hæreticis noſtri liberi arbitrij concordiam cum diuina prouidentia, & Philoſophis gentilibus nulla ratione admittendam eſſe in noſtris liberis actionibus quandam fatalem neceſſitatem, ab eis fictam, vel ſomniatam.

Not. 2. Ex noſtro Richardo in 1. d. 41. art. 1. q. 2. quod ſcientia præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatio aliqualiter inter ſe differunt. Nam ſcientia in Deo eſt cognitio certa omnium, ſiue præteritorum, ſiue præſentium, ſiue futurorum, ſiue poſſibilium in fieri, ſiue illa bona ſint, ſiue mala. Præſcientia dicitur tantum reſpectu futurorum, ſiue bona, ſiue mala ſint. Prouidentia eſt præſcientia practica, quatenus ſunt à præſciente in finem ordinabilia. Prædeſtinatio eſt reſpectu futurorum non quorumcunque ſed ſaluandorum. Quarè prædeſtinatio, & prouidentia abſolutè, & generaliter ſumpta multipliciter diſtinguuntur. Primò ratione obiecti, quia prouidentiæ obiectum eſt quælibet res, cum quælibet res ſit ordinabilis ad finem, & omnia ſubdantur diuinæ prouidentiæ. Secundò ratione finis, quia finis prouidentię poteſt eſſe naturalis, vel ſupernaturalis; prędeſtinationis autem neceſſario eſt ſupernaturalis. Tertio, quia prouidentia ſecundùm ſe conſiderata non includit in ſua ratione formali conſecutionem finis particularis rei prouiſæ; ut paulò ſuperiùs dictum eſt; at prędeſtinatio in ſua ratione formali includit conſecutionem finis etiam particularis præter vniuerſalem.

Not. 3. Quod ad integrandam, & formandam completè prędeſtinationem, quatuor maximè concurrunt. Primum eſt diuina pręſcientia, qua Deus ab ęterno quicquid futurum eſt apertè, & clarè intuetur; ac proinde nouit quot, & qui creari poſſint homines, quibus auxilijs ad ęternam beatitudinem promouendi; & qui diuinis auxilijs ſint benè, vel malè uſque ad mortem uſuri. Secundum eſt decretum diuinę voluntatis, quo Deus decreuit hos, & non illos homines poſſibiles ſe creaturum in tali, & tali tempore, & talibus circumſtantijs; & illis media congrua ſubminiſtraturum, quibus vitam ęternam conſequi poſſint, ſi voluerint. Tertium eſt gratię pręparatio, & donatio, quę fit à Deo nobis ſine nobis; ex iniuſtis enim Deus facit iuſtos ſine ullo merito pręcedentis voluntatis ipſorum, inquit D. Auguſt. lib. de bono perſeu. cap. 24. Quartum dénique eſt ipſum lib. arbitrium hominis concurrentis cum ipſa gratia excitante, vel ſanctificante ad promerendam ęternam gloriam.

Not. 4. Quod circa ſecundam partem quęſt. tres opiniones verſantur. Prima eſt Prædeſtinianorum, aſſerentium per infallibilem prędeſtinationis certitudinem tolli prorſus omnem libertatem, ac proinde in hominis prędeſtinati poteſtate iam non ſit male agere. Quam opinionem hęreticam, & impiam iàm pridem extinctam, ſuſcitauit Caluinus lib. 3. Inſtit. affirmans: Prędeſtinatos, & Reprobos ita ad bonum, aut malum ab ęterno deſtinari; vt non poſſint aliter velle, & operari. Secunda pariter eſt heretica, eſtò ſit primę oppoſita, quam tenent Pelagiani, & Semipelagiani, quàmuis iſti quoque inter ſe diſcrepant: Nam Pelagiani aſſerebant, prędeſtinationem nil aliud eſſe, quàm generalem Dei voluntatem, qua homines lib. arbitrio prędit os, & proprijs viribus capaces ſequendi bonum, & reſpuendi malum ab ęterno decreuit illuminare lumine fidei, & prędicatione Euangelij, eiſque proponere legem, quam, qui pręuiſi ſunt ſeruaturi, certò conſequentur vitam ęternam; ſecùs damnationem ęternam incurrent. At Semipelagiani contendebant, diuinam prędeſtinationem ſupponere voluntatem generalem conferendi gratiam regenerationis, & gloriam ęternam illis hominibus, qui proprijs naturę viribus hęc bona conſequi vellent, orando,

pulſan-

pulſando, & inquirendo; & quos tales Deus pręſciuit eſſe futuros, elegit ad vitam ęternam. Tertia opinio, immò ſententia eſt Doctorum catholicorum, qui monſtrare nituntur, infallibilitatem prędeſtinationis non lędere creatam libertatem; eſtò pręſupponatur pręſcientię infallibilitas, & in omnibus exigatur concurſus diuinę gratię, non ſolum externę, ſed etiam internę.

Not. ultimò. Quòd libertas ſic communiter definitur eſt potentia, quę, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, & non agere; & indifferens etiam ad hoc agendum, & ad eius oppoſitum. Duplex autem eſt indifferentia, altera ex parte obiecti, quod ab intellectu ſub diuerſa ratione amabili, vel odibili proponi poteſt, & hęc dicitur indifferentia obiectiua; altera ex parte voluntatis, quę ex ſui natura non ſolùm eſt indifferens ad diuerſos actus, vel amoris, vel odij, ſed etiam ad utriuſque ſuſpenſionem.

Cæterum Thomiſtæ tradunt duplicem aliam indifferentiam; unam, quę teſte Fraſſen, ab ipſis vocatur verſatilis, vaga, indeterminata, potentialis, & in actu primo, & hęc conſiſtit in potentia, ſeu facultate, qua voluntas poteſt velle eligere, vel non eligere, & ſe determinare ad amandum, vel non amandum hoc, vel illud obiectum, non dum conſiderata diuina motione, & eiuſdem voluntatis applicatione ad actum: Alteram actualem, exercitam, & attemperatam, quæ ut ipſi explicant, eſt ipſa actualis electio, & determinatio voluntatis per diuinam motionem, quam ob id vocant pręmotionem, ſeù prædeterminationem, non quod particula prædeſignet prioritatem durationis, ſed tantum naturæ, ſeù cauſalitatis, & dependentiæ, quæ dicitur prioritas à quo, & non in quo. Et in hac ſecunda indifferentia volunt Thomiſtę eſſe formaliter reponendam eſſentiam libertatis creatæ, quę iuxta eorum opinionem per decretum prędeterminans, & ipſam præmotionem non læditur, ſed perficitur.

I. Conc. D. Prouidentia phyſica, ſeù naturalis rebus neceſſitatem infert; prouidentia autem moralis, ſeù ſupernaturalis abſolutè non infert neceſſitatem, ſed ſolum ex ſuppoſitione. Hęc videtur communis ſententia Theologorum, & deducitur ex doctrina Alenſ. Theologorum

fontis. Prob. 1. pars. Prouidentia phyſica, ſeù naturalis ex dictis verſatur circa res, & operationes merè naturales, in quibus non eſt reſiſtentia, nec contradictio, & ſic ſunt ordinata, ut aliter fieri non poſſint, ut e. g. Sol cras oriturus: ergo talis prouidentia infert neceſſitatem. Prob. 2. pars. Prouidentia moralis, ſi abſolutè loquamur eſt nobis euitabilis, quia eius effectus ſunt nobis omninò liberi, & poſſumus reſiſtere, & contradicere noſtro libero arbitrio; in ſenſu autem compoſito, ſeù ex ſuppoſitione quod ſit talis prouidentia eſt nobis ineuitabilis, quia iſta prouidentia ſupponit conſenſum noſtrum liberum; vel per decretum concomitans Deus decernit noſtras operationes liberè futuras: ergo abſolutè non infert neceſſitatem, ſed tantum ſecundùm quid, ſeù ex ſuppoſitione, quæ, ut ſupra pluries explicauimus, nullam infert neceſſitatem in voluntate, nec ullam lęſionem. Hinc Alenſ. p.1. q.26. de prouid. memb. 7. art. 2. ait, quod D. prouidentia neceſſitatem inducit, non quod ſint, ſed quod ordinentur, poſtquam ſunt, quę neceſſitas dicitur neceſſitas ordinis. Et hoc etiam facit in his, quæ ſunt à lib. arbitrio, & licet mutabiliter procedant in eſſe à lib. arbitrio, tamen inducunt neceſſitatem ordinis poſtquam ſunt ab illo, non neceſſitatem quod ſint. Vnde D. Damaſ. *Praecognoſcit, quæ in nobis ſunt, ſed non prædeterminat, non enim compellit virtutem, id eſt non prouidet cum coactione faciendi*. Ex quo euidenter infertur, quod noſtra libertas non lęditur à D. prouidentia, ſed perficitur: eò quia ſi lęderetur humanum lib. arbitrium, maximè vel ratione æternę pręſcientiæ, vel ratione D. Decreti ſtantis, & immobilis, vel denique ratione gratiæ excitantis; ſed ex nullo iſtorum capite, ergo &c. minor ſatis remanet probata ex dictis in diſp. de ſcientia, & voluntate Dei; cum ex Alenſi, D. Bonau. & Scoto. Deus nil ab æterno decernat faciendum à Prædeſtinato in tempore abſque pręuiſa, & pręcognita determinatione voluntatis eius; tum quia præſcientia eſt ſpeculatiua; neque gratia, quia non eſt cauſa totalis, ſed adiuuans, & excitans, infert neceſſitatem humano liberò arbitrio, ut definit Trid. ſeſs. 6. can. 4. ergo ex nullo capite prouidentia lib. arbitrio neceſſitatem infert: Addo, quod D. prouidentia infert quidem effectum infallibiliter, tamen contingenter futurum; ſicùt

de

de præſcientia dictum eſt; eſtò inter prę́ſcientiam, & prouidentiam ſit hæc diſparitas, quod præſcientia futurum liberum ſupponat, & prouidentia futurum faciat; manet tamen ſufficiens paritas ad propoſitum. Nam ſicut ex ſcientia, ità ex prouidentia infertur contingentia, Deus enim diſpoſuit, ſeù prouidit effectus tanquàm liberè ponendos, & conſequenter liberè ponuntur.

Confirmatur hęc veritas catholica ex Sac. Scrip. ad Corint. 1. cap. 10. *Qui ſtat, videat, ne cadat*. Sap. cap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*. Eccleſ. cap. 21. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*; ergo &c.

II. Conc. Non videtur rectè conciliari à Thomiſtis humana libertas cum infallibili D. prædeſtinationis, ſeù ſupernaturalis prouidentiæ certitudine per decretum prædeterminans; ac proindè admittendum eſt pro recta conciliatione decretum concomitans. Eſt Scoti, & Scotiſtarum loc. cit. Prob. Per illud decretum præmouens, & prædeterminans deſtruitur voluntatis creatæ indifferentia; ergo &c. prob. conſ. Per tale decretum ità voluntas determinatur ad unum actum, vel ad unum obiectum, ut non poſſit elicere actum oppoſitum, vel in aliud obiectum tendere; ergo &c.

Reſp. Thomiſtæ. Per decretum prædeterminans ſolui quidem indifferentiam vagam, & potentialem, non verò indifferentiam attemperatam per motionem cauſę primæ; ſub qua voluntas retinet potentiam ad diſſentiendum; eſtò non poſſit actualem diſſenſum cum illa componere.

Contra inſtat Fraſſen Doctor Pariſienſis. De ratione liberi, & indifferentis voluntatis eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum voluntas poſſit agere, & non agere; ergo quacunque poſita motione voluntas, aut poteſt negare conſenſum, aut non remanet formaliter libera.

Reſp. Thomiſtæ diſting. ant. De ratione liberę voluntatis eſt, quod prę́requiſitis omnibus ex parte potentiæ poſſit agere, vel non agere, conc. prærequiſitis ex parte applicationis potentię, & actus ſecundi neg. ant. Itaque in ſententia Thomiſtarum, prærequiſita ad agendum ſunt in duplici differentia: quædam enim ſe tenent ex parte potentiæ, & actus primi, ut habitus, virtutes operatiuæ, &

auxilia ſufficientia; & hęc cum conſtituant ſolum principium habituale operationis poſſunt indifferenter cum actione, vel non actione componi: alia ſe tenent ex parte applicationis potentię, & ſe habent per modum reductiui de actu primo ad ſecundum, & iſta, cum conſtituant principium actuale operationis, non poſſunt ab ea ſeparari, nec cum illius negatione componi; unde his poſitis non poteſt Agens liberum agere, vel non agere.

Contra. Hac replica, Thomiſtę implicantia loquuntur, inquit Fraſſen, & ſuis principijs non cohęrentia. Docent enim prędeterminationem antecedere actum ſecundum prioritate naturæ, & cauſalitatis; ergo non eſſet ipſemet actus ſecundus, ſeù actualis applicatio voluntatis; implicat enim idem reſpectu eiuſdem eſſe ſimul primum, & ſecundum, cauſam, & effectum.

Prætereà. Illa prædeterminatio in ſententia Thomiſt. eſt principium libertatis, ſeù operationis, ſed principium habet rationem actus primi reſpectu illius, cuius eſt principium; ergo & prædeterminatio habet rationem actus primi reſpectu operationis liberę, ac proindè non coincidit cum actu ſecundo. Inſuper Agens liberum tenetur aliquando non ponere actionem ſuam, etiam prærequiſitis omnibus ad agendum, ergo debet hoc eſſe in ſua poteſtate: conſ. patet; nam Deus non pręcipit impoſſibilia: ant. prob. Quando quis peccat tenetur componere negationem peccati cum prerequiſitis ad agendum, adeòut in eodem inſtanti, quo ſunt illa prærequiſita ex parte actus, v. g. obiectum mouens, urgens tentatio, & paſſio excitans voluntatem ad conſentiendum actui peccaminoſo, teneatur denegare ſuum conſenſum, ſecùs non peccaret in eodem inſtanti; ergo homo tenetur componere negationem peccati cum prærequiſitis ex parte actus ad peccandum; & conſequenter poſitis illis prærequiſitis ex parte actus poteſt homo agere, vel non agere, conſentire, vel diſſentire in eodem ipſo inſtanti, quo illa prærequiſita ſupponuntur eſſe poſita.

Reſp. Thomiſtæ. Poteſt conſentire, & diſſentire in eodem inſtanti materiali, quo illa pręrequiſita ſupponuntur eſſe poſita conc. in eodem inſtanti formali nego. Inſtans materiale appellant ipſam rei durationem, formale verò

menſuram ipſius durationis. Vnde ſicut iuſtus poteſt peccare in eodem inſtanti, quo eſt in gratia, non tamen formaliter, & reduplicatiuè, proùt eſt in gratia, ſeù quatenùs illud inſtans occupat, & menſurat; & ſicut qui elicit actum amoris in eodem inſtanti materiali poteſt non amare, quia liberè amat, non tamen in eodem inſtanti formali, quia implicat, quod idem inſtans coexiſtentiam amoris, & non amoris ſimul menſuret, alioquin idem poſſet eſſe, & non eſſe; ità in propoſito noſtro &c.

Contra. Nedum in eodem inſtanti materiali, ſed etiam formaliter ſumpto poteſt Agens liberum non ponere actionem, etiam poſita motione, ergo poterit reuerà Agens liberum non componere actionem cum præmotione in eodem inſtanti formaliter, ſi reuerà poſſit ipſi præmotioni diſentire; ſed ſic eſt, quod hoc poteſt, ergo &c. min. prob. ex Trid. ſeſſ. 6. can. 4. ubi anathematizatur qui dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit; ergo cum nemo diſſentire dicatur, antequàm moueatur, poſſe diſſentire eſt ponere diſſenſum pro eodem inſtanti, quo eſt ipſa motio; ſed hæc ponitur in inſtanti formali, ergo etiam diſſenſus poni poteſt in eodem inſtanti formali, quo illa ponitur.

Neque inſuper reſpondeant, prædeterminationem non officere libertati, quia non determinat voluntatem per modum naturæ ſed per modum liberi; ac proinde non impedit, ſed efficit determinationem, & cooperationem liberi arbitrij; nam contra talem reſponſionem reclamant SS. Patres, ut videre eſt apud Maſtrium, & Fraſſen, & maximè D. Anſelmus, qui apertè aſſerit, omnem neceſſitatem præcedentem eſſe inimicam libertati; quoquo modo illa determinat voluntatem.

Arg. cont. 1. conc. quoad 2. partem. Omnis cauſa, quę in ſe eſt neceſſaria, neceſſariò ponit effectum, & ſimpliciter inducit neceſſitatem; ſed prouidentia ſupernaturalis, ſeu prædeſtinatio eſt huiuſmodi; ergo &c.

Reſp. Omnis cauſa, quæ neceſſariò eſt, tam ſecundùm entitatem, quàm ſecundùm operationem inducit neceſſitatem in effectum conc. mai. Si ſecundum entitatem tantum, & non ſecundum operationem; qualis eſt D. voluntas, nego mai.

Arg. 2. Si omnes res ſunt à Deo præuiſæ vel euitabiliter eueniunt; vel ineuitabiliter; ſi euitabiliter, ergo D. prouidentia non eſt infallibilis; ſi ineuitabiliter, ergo nec liberè, nec fortuitò eueniunt. Reſp. cum Smiſing. euenire ineuitabiliter, ac proinde infallibiliter; hæc autem ineuitabilitas non imponitur nobis à D. prouidentia, cum determinatio Diuinę voluntatis; quæ eſt prouidentia, vel prouidentiæ annexa; nec ſit prior, nec poſterior natura, vel ratione voluntatis creatæ determinatione, ſed eſt prorſus ſimul cum illa; loquendo de ordine cauſalitatis: & ob hanc concomitantiam fit, ut contingenter, & non neceſſariò ſequatur actio libera voluntatis creatæ, quia neceſſitas conſequens ex D. Anſel. non lædit lib. arb. & ſtat cum contingentia.

Arg. 3. ex Boetio lib. 4. proſa 6. dicente. *Ordo iſte ineuitabili connexione procedens, a fonte prouidentiæ deſcendens cuncta ſuis locis, temporibus que diſponit*; ex qua doctrina perſpicuè infertur quod ineuitabilis connexio eſt in ipſis rebus prouiſis à D. prouidentia.

Reſp. ex Alenſi. Boetius non ponit neceſſarium euentum ipſius rei mutabilis, quæ mutabiliter procedit ſicut involuntarijs; ſed ſolum ponitur per hoc immutabilitas ex parte D. prouidentiæ, quæ firmiter, ſtabiliterque facienda diſponit.

Arg. cont. 2. conc. & deſumitur argum. ex doctrina Scoti in 4. d. 49. q. 6. ubi docet, quod non eſt ſimpliciter contra naturam voluntatis, quod determinetur à cauſa ſuperiori; ſicut eſſet contra naturam eius determinari ab habitu, ſeu à natura inferiori; ergo ex Scoto habetur, voluntatem determinari poſſe à Deo abſque præiudicio ipſius libertatis, ac proinde ſalua libertate poterit etiam prædeterminari. Reſp. Doctor, ut notat Cauellus Scholiaſtes, non dicit, voluntatem remanere ſimpliciter liberam, etiam quando à ſuperiori cauſa determinatur; oppoſitum enim ibidem n. 12. affirmat, docens, voluntatem Beati non remanere proximè liberam ad peccandum, ut ſatis viſum eſt in diſp. de beatitudine. Itaque Scot. tantum intendit, voluntatem creatam determinari poſſe, ideſt de poſſibili, à Deo, non verò à cauſa inferiori creata.

Arg. 2. Deus eſt ſupremum agens liberum continens

virtua-

virtualiter, & eminenter omnes noſtras voluntates, immò in illas habet ſupremum dominium; ergo poteſt cauſare etiam noſtras volitiones, abſque libertatis læſione; conſ. patet, quia cauſa efficiens producere poteſt effectus, quos virtualiter, aut eminenter continet.

Reſp. diſting. ant. virtualiter, & eminenter continet &c. per concurſum ſimultaneum, & per modum cauſę generalis, & independentis, conc. per præmotionem, & prædeterminationem phyſicam, ſalua omnida libertate: neg. Quia ſic non voluntas, ſed Deus noſtras volitiones produceret.

Arg. 3. Ex Antonio Goudin. Thomiſta recentiori, qui in p. 3. ſuæ Philoſophiæ latè propugnat præmotionem phyſicam; plures afferendo rationes, quarum vnam, vel alteram hic afferam. Prima igitur eſt talis. De ratione dominij eſt applicare res ſibi ſubditas ad ſuas operationes; moraliter quidem ſi ſolum habeat dominium morale, phyſice, ſi habeat dominium phyſicum: ſed Deus eſt ſupremus Dominus, non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè omnium creaturarum; ergo debet Deus applicare omnes creaturas: maior patet; quia actuale dominium conſiſtit in uſu rei, uſus autem conſiſtit in applicatione rei ad operationem. Reſp. hoc argumentum pace tanti Viri, infimum eſſe, & neque firmare propriam ſententiam de præmotione, neque noſtram infirmare. Quare totum arg. concedimus. Etenim non rectè infertur Deus eſt ſupremus Dominus, ergo prædeterminat noſtras voluntates independenter à præuiſione æterna creaturæ liberæ, ac eiuſdem operationis liberæ. Ordinat ſiquidem D. prouidentia omnia ordinabilia, & applicat, ſed iuxta vnius cuiuſque naturam.

Arg. 4. Ex eodem Goudin. Impoſſibile eſt, vt creatura agat, niſi priùs conſtituatur in ratione principij in actu ſecundo operatiui, ſed creatura non conſtituitur in tali principio per ſolum concurſum ſimultaneum, ſed per prę-motionem phyſicam, ergo creatura, ut agat indiget præmotione phyſica: probat ipſe mai. diffusè, quam ratione breuitatis prætereo; ſolùm ſuccinte afferro minoris probationem, quæ eſt huiuſmodi. Quod non recipitur in cauſa ſecunda non poteſt eam conſtituere in ratione principij

cipij in actu ſecundo operantis; ſed concurſus ſimultaneus non recipitur in cauſa ſecunda; ergo &c. Addit etiam, quod concurſus ſimultaneus eſt indifferens, & expectat cooperationem creaturæ, ergo non reddit illam in actu ſecundo operantem.

Reſp. conc. mai. & neg. min. & diſting. mai. probat. Quod non recipitur &c. ſi per illud, quod non recipitur conſtituatur in ratione principij conc. mai. ſi non conſtituatur, neg. Vnde concurſus ſimultaneus non conſtituit creaturam in ratione principij in actu ſecundo; ſed voluntas e. g. ſua libertate formali ſe determinat ad actum ſecundum, dependenter à cauſa prima, hæc autem dependentia creaturæ, tam in eſſendo, quàm in operando in hoc conſiſtit, ut non poſſit agere, ſine diuino concurſu; non verò, quod per phyſicam qualitatem creatura prædetermînetur, non enim Deus præcurrit, ſed concurrit cum creatura: nec voluntas ſe ſe determinat ad agendum, vel non agendum, quia Deus concurrit, ſed Deus concurrit, quia voluntas ſe determinat; adeout, hæc determinatio ſit formaliter, & efficienter à voluntate; ſolùm autem efficienter à concurſu ſimultaneo; non quidem indifferenti; ſed determinato adhanc, vel illam actionem.

Dices: Sicut Deus eſt primum ens, ita eſt primum mouens, ſed dicitur primum ens, quia prius habet eſſe, quam illud donet creaturæ: ergo pariter dicitur primum mouens, & operans, quia priùs operatur, quàm creaturæ tribuat operandi virtutem.

Reſp. diſting. min. Dicitur primum mouens ſecundum rationem producentis. conc. min. ſecundum rationem præmouentis, neg. Vel diſting. mai. Eodem modo dicitur primum ens, quomodò primum mouens, & è contra, in ratione independentiæ: conc. mai. in ratione præmotionis, neg. dicitur enim primum agens, quia agit independenter à quouis alio; & à quo cętera dependenter operantur. Itaque reijcienda eſt prædeterminatio phyſica ob rationes allatas; & retinendum eſt decretum diuinum concomitans, nullo modo lædens noſtram libertatem immò rectè concilians lib. arbitrium creatum cum D. prouidentiæ, & prædeſtinationis certitudine; de quo decreto alibi dictum eſt ſatis: ideò &c.

Vtrum inter decreta D. voluntatis detur aliquis ordo.

NOt. 1. Quod circa hanc quæſtionem referuntur diuerſi modi ſentiendi. Quidam cum Ocham in 1. d. 9. q. 3. videntur negare inter diuina decreta, aliquem eſſe ordinem, ac proinde in illis non eſſe, nec prioritatem, nec poſterioritatem admittendam, quam opinionem, nonnulli ex veteribus, & etiam ex modernis Theologis amplectuntur. Alij ex oppoſito, ut D. Thom. p. 1. q. 19. art. 5. & quæſt. 23. art. 4. & Scot. in 3. d. 7. q. 3. cum ſuis admittunt in diuinis decretis aliquem ordinem, qui vocari poteſt ordo naturæ, ſeù prioritas ſigni rationis, non autem rei, ſeù prioritas ſecundùm conceptum, non autem ſecundùm realitatem.

Not. 2. Ordinem inter D. decreta deſumi poſſe ab obiectis dupliciter, nempe, vel permiſſiuè, vel poſitiuè. Permiſſiuè, hoc eſt, quatenus non repugnat naturæ ipſorum obiectorum, quod inter ſe ſaltem habeant ordinem; immò inſit eis quædam capacitas, & proportio, vel naturalis, vel obedientialis. Poſitiuè autem, quando obiecta ipſa ex ſui natura talem ordinem videntur exigere, ut non niſi cum quadam violentia aliter ordinari poſſent. Cęterùm ad hoc ut media ordinentur ad finem ordinatione permiſſiua, non eſt neceſſe, ut Deus aliquid ipſis imprimat ea ordinandi cauſa ad finem præternaturalem; ſed ſufficit, quod Deus talia media velit ordinare ad aſſequendum finem deſtinatum, v. g. ut opera Chriſti ſint meritoria, & ſatisfactoria pro toto Genere humano, ſufficit, quod Pater æternus illa ad id acceptet, & decernat, & quod, poſitis illis operibus meritorijs, concedat gratiam.

Not. 3. Quod Doctores ordinem inter D. decreta ponentes abeunt in tres oppoſitas ſententias. Prima eſt Caiet. p. 3. q. 1. art. 3. aſſerentis ordinem D. decretorum deſumendum eſſe ex ordine, quem inter ſe ſeruant termini; ita quod, ſicut natura videtur præſupponi gratiæ, & gratia unioni hypoſtaticæ, ita tres ordines aſſignat D. præſcientiæ, & prouidentiæ; in quorum primò comprehenduntur ea omnia, quæ naturæ, & rationis rectitudinem,

vel deordinationem ſpectant: in ſecundo comprehenduntur omnia auxilia gratiæ, ac omnia dona ſupernaturalia, quibus Angeli, & homines ornantur: in tertio reponuntur ea omnia, quæ ad ordinem hypoſtaticę unionis pertinent. Vnde concludit Caiet. Deum priùs ordinaſſe quæ ad naturę ordinem, quàm quæ ad ordinem gratię ſpectant, & priùs, quæ ad ordinem gratiæ, quàm quæ ad ordinem unionis hapoſtaticę pertinent; ac proindè ordinatam eſſe unionem Verbi cum natura humana poſt præuiſum Adæ peccatum. Secunda eſt quorundam affirmantium ordinem inter D. decreta deſumendum eſſe ex perfectione diuinorum obiectorum, itàut Deus priùs decreuerit, quæ perfectiora ſunt, deinde, quæ minùs perfecta. Tertia denique ſententia eſt aliquorum, qui opinantur, hunc ordinem eſſe deſumendum ex ipſis obiectis, proùt ſubſunt D. Voluntati, in cuius poteſtate eſt illa ordinare proùt vult, licet ex natura ſua taliter ordinari non poſtulent.

I. Conc. Inter diuina decreta eſt reuerà actu, & intrinſecè ordo prioris, & poſterioris, quatenùs videlicet actus unicus entitatiuus D. Voluntatis ratione ſuæ infinitatis æquiualet actibus noſtris realiter diſtinctis, quorum unus ſupponit alium. Eſt Scoti pluribi, & præſertim in 3. d. 7. q. 3. & 4. ubi docet, Verbum D. incarnatum fuiſſe &c. & concludit ſic. Poteſt igitur dici, quod priùs natura, quàm aliquid pręuidebatur circa peccatorem, ſiue de peccato, ſiue de pœna, Deus præelegit ad eam Curiam omnęs, quos voluit habere Angelos, & homines in certis, ac determinatis gradibus. Nota, quod per ordinem naturæ non intelligit Scot. ordinem cauſalitatis, ſeù durationis, prout Nominales, & quidam Thomiſtæ interprætantur, ſed intelligit per ordinem naturæ illam pręexigentiam, ſeù ſuppoſitionem unius diuinæ rationis ad alteram, qualiter etiam ipſemet D. Thomas p. 1. q. 42. art. 3. ut notat Fraſſen, in Diuinis ordinem naturæ admittit. Prob. primo ex comparatione actus intellectus, cum actu voluntatis, inter quos eſt vera diſtinctio formalis, & prioritatis, & poſterioritatis. Ex natura rei conſtat actum intellectus prę-ſupponi ad actum voluntatis, iuxta illud, nil volitum, quin præcognitum; ergo ordo actus intellectus, & actus

volun-

voluntatis etiam in Deo habetur ex natura rei.

Prob. 2. comparando actus D. voluntatis ad inuicem, inter actus D. Voluntatis propter æquiualentiam ad multos actus voluntatis creatæ eſt aliqualis diſtinctio, ſaltem virtualis: Similiter inter aliquos illorum eſt virtualis præſuppoſitio, quatenùs unus concipitur, ut eſt virtualiter cauſa alterius, & unius obiecti volitio mouet ad volitionem alterius. Sic enim Deus voluit Chriſtum eſſe paſſibilem; quia voluit homines redimere; ergo voluntas, quàm habuit de hominis redemptione fuit veluti cauſa, & ratio, cur voluerit, Chriſtum eſſe paſſibilem; ergo &c. Deinde ſine tali ordine nequeunt intelligi, quæ de myſterio Incarnationis, & Prædeſtinationis Sac. Scrip. & SS. Patres docent. Patres ſiquidem affirmant Deum voluiſſe Incarnationem propter ſalutem hominis, ut canit Eccleſia: in materia pariter prædeſtinationis, velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire: at quia non omnes ſaluantur, Chriſtus videtur docere, hoc eſſe repetendum ex bonis operibus, dum dicit. *Venite Benedicti Patris mei &c.* hoc eſt, ut exponit D. Chriſoſt. homil. 80. in Matt. *Quia ſciebam vos antequàm nati eſſetis huiuſmodi futuros, hæc à me vobis præparata ſunt*: in eodem ſenſu loquitur Diuus Ambroſius.

Prob. ultimò Ordo prioritatis, & poſterioritatis, quem Scriptura, & Patres affirmant eſſe inter actus D. voluntatis, non ſolùm attenditur penès extrinſecam denominationem ab obiectis, vel à noſtro modo intelligendi, ſed penès ipſos actus; ergo ordo talis eſt illis intrinſecus, & ex natura rei: ant. prob. Ordo prioritatis, & poſterioritatis conueniens D. actibus ſæpè contrarius eſt ordini obiectorum; & ſtante eodem obiectorum ordine, poteſt talis ordo eſſe diuerſus; ergo non conuenit D. actibus ſolum per denominationem extrinſecam: conſ. patet, quia ſi illi ſolum conueniret ratione ordinis obiectorum, ſequeretur, quod qualiſcunque eſſet ordo inter obiecta, etiam talis eſſet inter actus D. voluntatis: ant. prob. Ordo obiectorum eſt vel ordo temporis, quatenùs unum eſt priùs alio duratione, vel ordo cauſalitatis, quatenùs unum eſt cauſa alterius; vel dignitatis, quatenùs unum eſt altero perfectius; ſed Deus plerumque vult priùs id, quod eſt poſterius quo-

cunque ex illis modis : Etenim priùs voluit Verbum incarnari; quàm voluerit permittere lapſum Adæ, ſaltem in noſtra ſententia ; & in ſententia communi, Deus voluit Chriſtum ſaltem, ut paſſibilem ob ſalutem hominum, & tamen Chriſtus longè eſt nobilior hominum ſalute ; ergo ordo D. decretorum non eſt exigendus ex ordine obiectorum.

Prob. idem ant. quoad alteram partem ; nempè, quod exiſtente eodem obiectorum ordine, potuerit eſſe diuerſus ordo in D. actibus. Siuè Deus decreuerit Verbi incarnationem antecedenter ad lapſum Adæ, ut ſentiunt Scotiſtæ, ſiue conſequenter tantum, ut volunt Thomiſtæ, idem eſt ordo obiectorum : priùs namque Adam creatus fuit, & gratia illi collata, & cecidit è ſtatu innocentiæ, quàm Chriſtus aduenerit, ut lapſum repararet : & tamen in utraque hypotheſi ordo D. actuum circa Incarnationem eſt penitùs diuerſus : nàm in priori volitio Incarnationis præcedit voluntatem creandi Adam, in poſteriori autem ipſam ſupponit : ergo poteſt eſſe diuerſus ordo in diuerſis actibus, ſtante eodem ordine in obiectis ; ac proindè ille ordo D. actuum ab ipſis obiectis non repetitur.

II. Conc. Ordo inter actus ſimplicis intelligentiæ ſumitur ex obiectis cognitis, itaùt per hanc ſcientiam noſtro modo intelligendi dicatur Deus intelligere priùs id, & à quo aliud dependet, & deinde id, quod eſt effectus, & quod pendet ab alio ; qua ratione priùs intelligitur eſſentia, quàm paſſio, aut operatio illius : conc. hæc patet, quia talis ſcientia in Deo non eſt libera, ſed merè naturalis ; ac proinde ante omne decretum D. voluntatis ; ergo ex parte D. voluntatis non debet, neque poteſt aſſignari cauſa huius ordinis, ſed ſolum ex parte obiectorum cognitorum.

III. Conc. Inter actus D. voluntatis erga creaturas eſt talis ordo prioritatis, & poſterioritatis ; qui ſumitur ex ipſis obiectis volitis, non quidem ſecundùm ipſorum naturas, aut perfectiones, ſed ſecundùm quod magis, aut minùs appropinquant fini à D. voluntate intento. Eſt Scoti aperta ſententia. Prob. Voluntas D. ex eo, quod libera eſt, non coarctatur, ut velit priùs, quod eſt magis bonum, & perfectum ; immò ex duobus bonis, quorum utrumque

proponitur ut bonum, poteſt eligere minùs bonum, relicto maiori bono. Nihilominùs voluntas ordinatè volens, ut docet Scotus priùs vult medium, quod magis appropinquat fini intento, deindè vult, quod eſt magis remotum. Deus v. g. intendit glorificationem Prædeſtinatorum: ad talem finem conſequendum duo ſunt media ordinata inter alia, nempè iuſtificatio, & vocatio ipſius prędeſtinati; unde Deus prius vult iuſtificationem, quàm vocationem; quia iuſtificatio magis appropinquat fini, ideſt glorificationi, quàm vocatio; ideòque verum eſt dicere: Deus ideò iuſtificat prædeſtinatum, ut glorificet; & ideò vocat, ut iuſtificet, ac proindè iuſtificatio eſt priùs volita à Deo, quàmuis vocatio ſit priùs in executione. Hinc aduertunt Scotiſtæ, Scotum dixiſſe in maxima allegata: & inter media illud, quod eſt fini propinquiùs ſecundùm cauſalitatem, & efficacitatem, hoc eſt, ſiuè interìm dignius ſit, ſiue hanc efficacitatem ex natura ſua, ſiue ex ordinatione diuina.

Prob. Etiam, quod talis ordo non ſit deſumendus ab obiectis ſecundum ipſorum naturas, ſeu ex ordine naturali, quem obiecta ipſa ſeruant inter ſe. Eò quia actus D. voluntatis eſt cauſa ordinis, quem creaturæ inter ſe inuicem tenent, & ipſum Deum. Tum quia plura ſunt obiecta, quæ ex natura ſua nullum inter ſe, aut ad Deum habent ordinem, quem à D. voluntate accipiunt; ergo &c. ant. patet ex pluribus factis, & exemplis. Deus ſiquidem Sacramenta, vt ſigna ſenſibilia inſtituit, tanquàm media ad iuſtificationem peccatoris; ad quem finem ex ſui natura nullum habent ordinem. Similiter voluit tam in veteri, quàm in noua lege varijs ceremonijs ſibi ſeruiri, quæ ex ſua natura ad Dei cultum non ſunt determinatæ. Itaque remanet concludendum; ordinem actuum D. voluntatis eſſe omninò ſumendum ex ordine, quem inter ſe ſeruant, quatenus ſubſunt ipſi D. voluntati, & quatenus ipſa D. voluntas ea diſponit, & ordinat, adeout intrinſeca Dei ordinatio ab extrinſeca obiectorum ordinatione rectè colligatur. Quarè Caiet. inſufficienter explicat ordinem, quem illa obiecta diuini actus inter ſe ſeruant, Tum quia plura ſunt obiecta in ordine naturæ, quæ nullum, habent ordinem, nullamque connexionem cum ordine

dine gratiæ, puta, quod Petrus prædeſtinandus ſit cæcus, vel videns, albus, vel niger. Tum quia mors Prædeſtinati eſt ordinis naturæ, & tamen eſt poſterior electione ad gloriam, quæ ad ordinem gratiæ pertinet; & tamen illa mors eſt effectus prædeſtinationis iuxta illlud Sap. cap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius* Tum denique, quia ex meritis Chriſti præuiſis decreuit Deus conferre omnibus gratiam; maximè illam, quæ poſt. Adæ lapſum largita eſt hominibus; ergo decretum Incarnationis præcedit decretum de gratia conferenda; ergo &c.

QVÆSTIO VIII.

Quinam ſint effectus Prædeſtinationis.

NOt. 1. Quod per effectum prædeſtinationis intelligi poteſt, vt communiter docent Doctores, illud beneficium, quod à Deo prædeſtinante ſpecialiter diſponitur, dirrigitur, & datur actu prædeſtinato ad gloriam aſſequendam; Verùm, vt aliquod beneficium ſit reuerà effectus prædeſtinationis, quatuor conditiones requiruntur. Prima, vt effectiuè ſit à Deo, quia, cum prædeſtinatio ſit actus voluntatis efficacis, neceſſariò à Deo procedit. Secunda, ut talis effectus pertineat ad prouidentiam ſupernaturalem Dei, quæ eſt in ordine gratiæ, quia, ſi prædeſtinatio eſt ratio ordinis creaturæ intellectualis ad finem ſupernaturalem, omnis effectus, qui reſpicit finem ſupernaturalem, eſt in ordine ſupernaturali, ut ſit proportio effectus cum cauſa. Tertia, ut effectus prædeſtinationis conferatur ex intentione, & voluntate efficaci perducendi talem hominem ad vitam æternam; Quarta, ut conducat ad vitam æternam mediatè, vel immediatè: immediatè quidem ut donum perſeuerantiæ, mediatè, ut auxilia gratiæ, quę iuuant ad conſequendam maiorem gratiam.

Not. 2. Quod ea omnia, quæ aliquo modo dicuntur effectus prædeſtinationis ad tria rerum genera reduci poſſunt. Primum complectitur omnia bona ſupernaturalia; qualia ſunt vocatio, iuſtificatio, glorificatio, donum perſeuerantiæ, & alia dona ſupernaturalia. Secundum complectitur omnia dona naturalia, quatenus ordinantur

ad fi-

ad finem ſupernaturalem, qualia ſunt, creatio, generatio, ingenij ſubtilitas, bona indoles, naturalis complexio, & alia huiuſmodi. Tertium comprehendit omnia moralia, ut ſunt virtutes morales, ſeu ethicæ, permiſſio peccati, malum penæ, & id genus ſimilia iuxta illud Apoſt. ad Rom. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm prepoſitum vocati ſunt Sancti.*

I. Conc. Tres ſunt effectus prædeſtinationis propriè dicti, nempe vocatio, iuſtificatio, & glorificatio: conſtat hæc concluſio ex S. Scrip. ad Rom. 8. ubi D. Paulus tres effectus tantùm enumerat, dicens. *Quos prædeſtinauit hos, & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, illos & glorificauit.*

Prob. ratione, & primò de vocatione. Nemo ſaluatur, quin ſit vocatus; ergo vocatio eſt propriè effectus prædeſtinationis: ant. prob. Omnis, qui ſaluatur, vel eſt adultus, vel puer, qui moritur ánte vſum rationis; ſi puer vocatur, non quidem in ſe, ſed in ijs, qui adducunt ad Baptiſmum recipiendum, ergo in Pueris eſt vocatio. Si autem eſt adultus, certum eſt, quod nullus ſaluatur, qui non ſit vocatus vocatione interiori, vel exteriori iuxta illud Io: cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*; ergo vocatio eſt propriè effectus prædeſtinationis. De iuſtificatione dicitur Matt. cap. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*; ergo iuſtificatio eſt verè effectus prædeſtinationis, cum nemo ſaluari poſſit ſine gratia, & charitate, & ſic de glorificatione patet ex dictis.

Prob. 2. de omnibus collectiuè ſumptis. Prædeſtinatio eſt penitùs ſupernaturalis; ergo requirit ordinationem mediorum ad finem ſupernaturalem; ſed vocatio ad fidem, iuſtificatio efficax cum perſeuerantia, & glorificatio ſunt media ſupernaturalia proportionata tali fini, ergo illa ſunt media efficacia, & propriè effectus prædeſtinationis, quos executio prædeſtinationis ponit in prædeſtinato. Tum quia omnes conditiones effectus prædeſtinationis omnibus illis tribus conueniunt; ergo &c.

II. Conc. Bona naturalia, ut creatio, conſeruatio, bona indoles, honeſta educatio, acre ingenium, exquiſita corporis diſpoſitio, & alia huiuſmodi bona tam corporis, quàm Animæ, ut ſunt purè ordinis naturalis, & ad finem

merè naturalem ordinantur, non ſunt effectus prædeſtinationis; ſecùs autem ſi ordinantur a Deo ad finem ſupernaturalem. Prob. 1. pars. Effectus prædeſtinationis debet eſſe ordinis ſupernaturalis; ergo bona naturalia ad finem purè naturalem ordinata, non ſunt effectus prædeſtinationis, Prob. 2. pars. 1. ex S. Scrip. ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.* Quem locum explicans D. Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. ait. Quid eſt omnia cooperantur in bonum, niſi etiam ipſæ ſæuiſſimę perſecutiones? & Gloſſa ait: *Omnia etiam peccata.* Hinc idem D. Aug. lib. de nat. & gratia cap. 18. *Deſerit aliquantum Deus, vnde ſuperbis; vt ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbum non eſſe.*

Prob. ratione. Omnia bona naturalia, & temporalia poſſunt eſſe media, & inſtrumenta charitatis; ergo poſſunt à Deo ordinari ad finem ſupernaturalem; ac proinde poſſunt reductiuè eſſe effectus prædeſtinationis.

III. Conc. Omnia bona moralia, licèt ſint ordinis naturalis, tamen ſi dantur nobis à Deo, ut conſequamur finem ſupernaturalem, ſunt effectus prædeſtinationis: Hæc videtur communis: & prob. breuiter. Omnia bona moralia iuuare poſſunt prædeſtinatum ad vitam æternam conſequendam; ergo &c. ant. prob. Actus moraliter bonus eſt principium virtutis; ergo iuuat ad virtutem aſſequendam; at virtus moralis ſaltem remotè, ordinatur ad Deum, & charitate eleuata pertinet ad ordinem gratiæ; ergo & ad effectus prædeſtinationis.

IV. Conc. Omnia bona, ſiue ſupernaturalia, ſiue naturalia, ſiue moralia, quæ dantur Reprobis in hac vita, non ſunt effectus prædeſtinationis. Hæc pariter eſt communis Theologorum ſententia. Prob. Quæ non ſunt media efficacia ad conſequendam vitam æternam, non ſunt effectus prædeſtinationis; ſed neque bona naturalia, neque moralia, neque ſupernaturalia ſunt media efficacia ad vitam æternam aſſequendam; ergo non ſunt effectus prædeſtinationis; ſed ſunt effectus Prouidentiæ generalis ſupernaturalis, quam Deus habet erga omnes homines, etiam Reprobos, conferendo illis auxilia ſufficientia ad ſalutem, ad quam tamen non perueniunt. Vndè Matt. cap. 20. dicitur. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

Con-

Confirmatur. Nàm prædeſtinatio non ſolùm dicit ordinationem per quæcunque media, ſed per illa, quæ habent infallibilem connexionem cum fine, & certiſſima aſſecutione eiuſdem finis: ergo illa omnia dona data Reprobis ad tempus, non ſunt effectus prędeſtinationis, & tantò minùs bona naturalia, & moralia.

V. Conc. Quàmuis nec peccatum mortale, nec veniale poſſit eſſe effectus prędeſtinationis; attamen permiſſio peccati in Prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis. Eſt communis. Prob. prima pars. Peccatum non poteſt ordinari ad gloriam, cum peccatum ſit ipſa deordinatio, ergo &c.

Prob. 2. Effectus prędeſtinationis ſunt voliti à Deo, vel tanquàm finis, vel tanquàm media ad finem; ſed peccata nullo modo poſſunt eſſe volita à Deo; ergo non poſſunt eſse effectus prędeſtinationis: Deus enim eſt cauſa efficiens prędeſtinationis; peccati autem repugnat D. bonitati, eſſe cauſa efficiens, ergo &c.

Prob. 2. pars. Sententia Apoſt. ſuperiùs allata. ***Diligentibus Deum omnia &c*** ubi D. Aug. lib. de correct. cap. 9. dicit. ***Vſque adeò diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod ſi aliquando deuient, & exorbitent, etiam hoc ipſum eis facit proficere, quia reſurgunt inde meliores, & cautiores***: & D. Greg. homil. 21. in Euang. ait. ***Lapſum D. Petri fuiſſe à Deo permiſſum, vt in ſua Perſona diſceret aliorum miſerere, quia aliorum Paſtor futurus erat***: ergo &c. Accedit etiam ratio. Etenim permiſſio peccati electis efficaciter prodeſt ad ſalutem ex ſpeciali intentione Dei, ſeù affectu prædeſtinatiuo, tanquam occaſio maioris humilitatis feruoris &c. ut patet in Petro, in Magdalena &c. Quicquid autem ſic conducit velut medium, aut occaſio ſalutis eſt effectus prædeſtinationis. Tum quia, permiſſio peccati non eſt intrinſecè mala, ſed aliquando licita reſpectu illius, qui non poteſt, nec tenetur impedire, nec tamen conſentit, nec approbat.

Arg. 1. contra ultimam conc. Prædeſtinatio ex D. Aug. eſt pręparatio gratię, & beneficiorum Dei; ſed permiſſio peccati non eſt gratia, immò eſt ſubſtractio gratiæ; ergo non eſt medium in ordine ad finem ſupernaturalem; ac proindè nec prædeſtinationis effectus; alioquin ſequeretur poſſe in oratione peti à Deo peccati permiſſio, quod

nemo

nemo dixerit, cum ſit contra orationem dominicam, in qua poſtulamus, ne nos inducat in tentationem.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. ſecundùm ſe, & abſolutè conc. min. occaſionaliter, & proùt ſubeſt intentioni Dei, elicientis ſingulari ſua bonitate maius bonum electi, nego: quod permiſſio non ſit beneficium, & effectus prædeſtinationis. Non tamen ex hoc inferri poteſt: ergo orandum eſſe, ut Deus permittat nobis labi in peccatum; quia in permiſſione illius continetur implicitè, & virtualiter noſtra cooperatio mala, ac proindè implicitè peteremus proprium peccatum, quod eſt maximè fugiendum; cum non ſint facienda mala, ut bona eueniant.

Dices: Vt permiſſio peccati eſſet effectus prædeſtinationis, deberet eſſe præfinita mediante pęnitentia, ſiue ex priori prędiſſinitione pęnitentię; cum non niſi mediante pęnitentia conducat ad finem ſalutis: at pęnitentia non poteſt præfiniri à Deo, niſi poſita permiſſione peccati; alias præfiniendo pęnitentiam, etiam pręfiniretur poſitio peccati; tanquàm medium ordinatum ad pœnitentiam; quod manifeſtè repugnat, ergo &c.

Reſp. Caſpenſis neg. min. Quia ad hoc non eſt neceſſarium præuidere peccatum abſolutè futurum, ſed ſatis eſt, præcognoſci conditionaliter futurum ſub talibus circumſtantijs. Vndè ſic præcognitum benè potuit prędiſſiniri pęnitentia, & permiſſio abſque eo, quod prędiſſiniretur peccatum.

Reſp. Herincx. Non omnem effectum prędeſtinationis debere ſimpliciter eſſe præfinitum, adeòque non debere decerni à Deo pęnitentiam electorum ante decretum permittendi peccatum, ſed ea ſuppoſita, adeòque peccato non præuiſo.

QVÆSTIO IX.

Vtrum ex parte prædeſtinati detur cauſa prædeſtinationis.

NOt. 1. Quod actus D. prædeſtinationis poteſt ſumi dupliciter. Primò abſolutè, & ſecundùm ſe, inquantum eſt actus voluntatis, & intellectus Dei, & hoc modo cer-

certum eſt, quod non habeat cauſam ſui ipſius, cum talis actus ſit idem realiter cum D. Eſſentia. Secundò, quatenus talis actus ordinatur, & terminatur ad hoc, vel illud obiectum; & in hoc ſenſu poteſt eſſe ratio, ſeù cauſa; non quidem phyſica, ſed moralis, quæ ſit motiua reſpectu Dei, quare ille actus potiùs terminetur ad hoc obiectum, & non ad illud, ideſt ad gloriam illius, & non alterius. Itaque, ut dicit D. Bonau. poteſt aſſignari aliqua ratio congruentiæ; qualis autem ſit hæc ratio, diſcrepant inter ſe Doctores catholici, Henricus de Gandauo putat, ut refert Scot. in hac quæſtione, eſſe bonum uſum liberi arbitrij præuiſum ex parte Electi, & malum uſum lib. arbitrij ex parte Reprobati. Quod ſic declarat. Licet gratia principaliter operetur in actibus bonis, tamen lib. arbitrium cooperatur, ex D. Aug. ſuper illud pſal.78. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter*, ubi dicit. *Cum verò adiuuari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit liberum arbitrium, qui enim adiuuatur, etiam per ſe ipſum aliquid agit*; quam ſententiam videtur docuiſſe ante Henricum Alenſis: Alij autem aliter ſentiunt, ut infrà patebit.

Not.2. Quod circa hanc quæſtionem fuerunt diuerſi errores. Nàm Origenes in lib. Periarchon lib.1. cap.7. teſte D. Aug. docuit, cauſam prædeſtinationis electorum fuiſſe opera quædam meritoria, facta ab Animabus eorum ante unionem ad corpus humanum. Hic enim Doctor ſomniauit, Animas rationales extitiſse priuſquàm in corpore humano infunderentur, & deinde ob bonas operationes fuiſſe aſſociatas corporibus electorum, & ob malas operationes fuiſſe incluſas in corporibus Reproborum in pœnam delictorum, quę opinio ut falſa, & hæretica damnata fuit in Synodo quinta. Item Pelagius voluit cauſas prædeſtinationis eſſe opera naturalia per bonum uſum lib. arbitrij abſque auxilio ſpeciali Dei. Semipelagiani autem, Viri alioquin catholici, & docti Maſſilienſes tempore D. Aug. aſſeruerunt, cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati ſaltem radicalem, & initialem eſſe vires lib. arbitrij boni, quatenùs in Prædeſtinatis eſt naturalis quidam pius affectus credendi, tanquàm radix, & initium iuſtificationis, & ſalutis. Quorum hæreſes iam damnatæ fuerunt à pluribus Concilijs, & ſignanter ab Arauſ. cap.11.

cap.3.

can.3. & à Trid. ſeſs. 6. can. 1. 2. & 3. Denique Manichęi, & quidam alij Hæretici, quorum meminit D. Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. negantes lib. arbitrium, aſſerebant, totam cauſam prædeſtinationis, & reprobationis eſſe conſtellationem Syderum, ſub qua unuſquiſque natus, vel genitus eſt.

Not. 3. Quòd meritum in ſua generalitate acceptum ſic deſcribi poteſt. Eſt opus bonum pręmio aliquo dignum, ſiue à Deo, ſiue ab homine conferendo; & ſic acceptum, eſt quid commune ad meritum politicum, & theologicum. Politicum eſt opus, cui de iuſtitia diſtributiua debetur pręmium; adeòut ſic merenti fiat iniuria, ſi tale pręmium non reddatur. Theologicum autem eſt opus moraliter bonum diuino auxilio factum, exigens aliquo modo compeſationem pręmij à Deo conferendi; idque communiter a Theologis diuiditur in meritum de condigno, & in meritum de congruo: etſi D. Bonau. in 1. d. 41. art. 1. quęſt. 1. aſſignet triplex meritum, nempè congrui, digni, & de condigno: & hæc ſufficiat adnotaſſe, quia de merito agetur ex profeſſo in tract. de gratia diſp. de merito. Quęritur ergo in pręſenti quæſt. An omnium effectuum prędeſtinationis detur aliqua cauſa meritoria, vel de condigno, vel de congruo, vel etiam conditio ſine qua non; adeòut cauſa iſta ab æterno induxerit Deum ad prædeſtinandum aliquos in ſuis tantùm naturalibus conſideratos, & propter quam Deus velit dare illis primam gratiam, quæ ſit principium meritorum ſequentium; immò, & perſeuerantiam; nàm ſi talis cauſa detur, indubiè dabitur cauſa omnium effectuum prædeſtinationis.

I. Conc. Prædeſtinatio abſolutè, quatenùs eſt actus D. voluntatis nullam habet cauſam motiuam. Eſt Scoti in 1. d. 41. q. un. §. Reſpondeo in Report. quam ſic probat. Nullum aliud bonum à Deo eſt ratio volendi; nec ut potentia elicitiua, nec ut obiectum primum, nec ut obiectum neceſſarium ſimpliciter ad actum ſuum, nec ſecundùm eſſe actualis exiſtentiæ, ſed ut obiectum ſecundarium, non neceſſarium ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ut eſt in intellectu, & hoc non ſecundùm leges uniuerſales, ſed ſecundùm iudicia, quæ concluſiones legis uniuerſalis ſequuntur; nihil enim requiritur ad actum diuinum, niſi

ſua

ſua eſſentia, & potentia. Et iſto modo certum eſt, quod Deus propter merita non prędeſtinat, nec reprobat, & ſic non eſt in Deo aliqua ratio prędeſtinandi, & reprobandi, niſi ſua eſſentia, & potentia; ſed utrum ex parte effectus prædeſtinatio habeat aliquam rationem, ſiue cauſam, ideſt, utrum Deus prçordinauit, ſe daturum effectum prędeſtinationis alicui propter merita, dubium eſt. Et quantùm ad hoc dico, quod eſt aliqua ratio reprobationis; ſed nulla prædeſtinationis; & iuxta hanc reſolutionem ponitur.

II. Conc. Neque fides, neque aliquòd fidei initium, neque vlla opera noſtra, quæ à ſolo libero arbitrio, ſeu viribus naturæ factura præſciuntur ſunt cauſa prædeſtinationis; ne quidem tanquam meritum congruum, ſeu impetratorium. Hæc eſt de fide definita contra Pelagianos, & Semipelagianos, alioſque hæreticos. Prob. conc. ex pluribus locis S. Scrip. & ſignanter 1. ad Corint. cap. 4. *Quis enim te diſcernit; quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ergo tota diſcretio ſaluandorum ab alijs ex Deo eſt: Et ad Romanos. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ex quo infert D. Aug de prædeſt. Sanctorum cap. 2. *Et ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo niſi ex ipſo eſt?* Sed de hoc latè in tract. de gratia: ergo nulla datur cauſa ex parte prædeſtinati totius prædeſtinationis, ſeu ſecundùm omnes ſuos effectus collectiuè ſumptos, ſed illa pendet ex pura Dei miſericordia, & eius gratuita voluntate; vt pluribi teſtatur D. Paulus, & præſertim ad Epheſ. cap. 1. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*: Et cap. 2. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Verùm D. Bonau. Scot. & alij docent vnum effectum prædeſtinationis poſſe eſſe cauſam alterius, iuxta illud ad Rom. 6. *Gratia autem Dei vita æterna*; ergo gratia eſt cauſa gloriæ, & pſal. 125. *Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent*; ergo bona opera diuino auxilio facta ſunt ſemina gloriæ; ac proinde etiam glorificatio, quæ eſt vltimus effectus prædeſtinationis cadit ſub merito ſimpliciter, ſaltem quoad ordinem executionis. Nam Matt. c. 19. dicitur *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; & cap. 25. *Venite benedicti &c.*

III. Conc.

III. Conc. Neque bonus uſus liberi arbitrij, ſeu beneficiorum gratiæ conferendorum eſt cauſa per modum meriti, nec quidem de congruo, aut diſpoſitionis, ſine qua non, homini gratia prædeſtinationis facta ſit. Hæc eſt certa omnium ſententia, inquit Herincx; qui etiam aduertit, Alens, & Henricum ſolo loquendi modo à communi ſententia diſcrepare, quod pariter oſtendit Smiſing. Concluſio remanet ſufficienter probata ex Scrip. iam adductis; quæ apertè tradunt, in ſolum miſerantis Dei beneplacitum referendam eſſe electionem, ſeu prædeſtinationis gratiam. Adde, quod præuiſio boni uſus liberi arbitrij ſeu gratiæ non habet locum in paruulis; immò nec in Adultis poteſt abſolutè præuideri, antequàm gratia fuerit prædeſtinata; in priori enim ſigno rationis tantùm habet rationem poſſibilis, non futuri; ergo nequit eſſe cauſa prædeſtinationis meritoria; prædeſtinatur namque, & datur gratia ad hoc, ut bonus illius uſus ſequatur &c.

Arg. 1. cont. 2. conc. D. Aug. in illa quæſt. in epiſt. ad Rom. cap. 9. ait, quod *Fides praſcita eſt cauſa pradeſtinationis; vnde propter fidem praſcitam in Iacob, & non in Eſaù, Iacob quidem pradeſtinatus, Eſaù autem reprobatus eſt*: ergo &c.

Reſp. D. Aug. tenuiſſe aliquando talem opinionem, ſed poſtea ſe retractauit lib. 22. Rectat. inuehens contra ſe ratione, quod fides eſt donum Dei, ſicut & alia bona opera; unde ait; *Illud non dixiſſem, ſi fidem inter dona Spiritus S. connumerare ſtuduiſſem, vel ſciuiſſem*

Arg. 2. Quando aliqua duo ex ſe ſunt æquè ordinabilia ad unum finem, voluntas acceptans unum ad finem, & non aliud videtur eſſe acceptatrix perſonarum: ſed duo homines, circumſcripto merito, vel demerito ſunt æquè ordinabiles ad beatitudinem; ergo ſi Deus prædeſtinat unum, & non alium ſine ratione aliqua, ſed ex ſola voluntate ſua, videtur eſſe acceptator Perſonarum.

Reſp. ex Scoto in hac quæſt. diſting. mai. voluntas humana conc. voluntas D. neg. & ratio eſt, quia tunc ponitur acceptio perſonarum in voluntate humana, quando propoſitis duobus æqualiter bonis, voluntas unum acceptat, & alterum reſpuit; aliter autem ſe habent obiecta creata reſpectu D. voluntatis, à qua non amantur quia ſint ex ſe bona, ſed quia ipſa in illis eſt cauſa bonitatis; ac

pro-

proinde nullo modo dici poteſt acceptator Perſonarum.

Ceterùm ut infra magis patebit, Deus ſua infinita bonitate, voluntate antecedenti vult omnibus creaturis intellectualibus ſalutem æternam; quod etiam ex hactenus dictis ſatis conſtat; vnde non eſt vlli locus conquærendi, ac vocandi Deum perſonarum acceptatorem.

QVÆSTIO X.

Vtrum prædeſtinatio fiat ex præuiſione meritorum, vel ſine meritorum præuiſione.

NOt. 1. Quod prædeſtinatio ſecundùm nominis ethymologiam componitur ex præ, & deſtino, verbum autem deſtinare eſt idem, ac ſtatuere, ex Alenſi, ac proinde prædeſtinatio eſt ſtatutum, ſeu decretum conferendi gloriam ab æterno; & non in tempore; Deus namque quicquid in tempore operatur ad extra, voluit in nunc æternitatis; idque importat illa particula, Præ, Prædeſtinatio autem ſecundùm rem ex Scoto eſt ordinatio electionis à D. voluntate alicuius naturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam; in qua definitione tanguntur tria ad prædeſtinationem ſpectantia. Primum eſt propoſitum Dei æternum: 2. eſt id, quod prædeſtinatur. 3. id, quo habet id, ad quod prædeſtinatur. De primo dicitur in definitione ordinatio electionis à D. voluntate; quia principaliter prædeſtinatio eſt à Voluntate, ut dictum eſt de D. Prouidentia, cuius prædeſtinatio eſt pars; differt autem electio à prædeſtinatione propriè loquendo; nàm electio eſt entium ad finem ex Ariſt. 3. Ethicorum; at prędeſtinatio eſt ipſius finis; hinc patet, quod prædeſtinatio præintelligitur electioni, electio vocationi in ordine intentionis; ſecùs autem in ordine executionis; De 2, dicitur alicuius naturæ intellectualis, quia obiectum Diuinæ prædeſtinationis eſt creatura intellectualis, nempe Angelica, & humana. De 3. dicitur eſt id, quo habet id, quod prædeſtinatur; ſeù id, quo tendit ad gratiam,& gloriam; gratia autem eſt medium tendendi, ſed gloria eſt id, in quod tendimus; nàm Deus principaliter vult Angelis, & hominibus gloriam, & alia in ordine ad ipſam, ideſt media,

dia, quæ ſunt neceſſaria ad gloriam aſsequendam.

Not. 2. Quod prædeſtinatio, ut ad præſens ſpectat, poteſt ſumi tripliciter. Primò pro ſola prædeſtinatione ad gratiam ſecundùm ſe, & ſolitariè ſumptam. 2. pro prædeſtinatione ad gloriam ſecundùm ſe, & ſeorſim à gratia. 3. pro prædeſtinatione ad gratiam ſimul, & ad gloriam coniunctim. Quoad primum certum eſt apud omnes, prędeſtinationem ad gratiam fieri independenter à meritis, ſeù bonis operibus Prædeſtinati, & ex mera liberalitate, & Dei miſericordia, ſic pariter prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam ſimul; quia ſimul cum gloria inuoluitur gratia. Sola ergo difficultas eſt de prædeſtinatione ad gloriam ſeorſim ſumptam.

Cæterùm non accipitur hic prædeſtinatio abſolutè, quatenus eſt actus D. voluntatis, ſed terminatiuè, quatenus terminat ad Petrum prædeſtinatum potiùs, quàm ad Iudam. Vnde ſenſus eſt. Vtrum præuiſio meritorum Petri ſit cauſa talis terminationis, vel an Deus ſine præuiſione meritorum ipſius, ſed abſolutè decreuerit ſuam voluntatem prædeſtinantem terminari ad Petrum. Circa quam quæſtionem ſic explicatam ſunt duæ grauiſſimę ſententiæ; altera negatiua; altera affirmatiua. Scot. in 1. d. 41. q. un. videtur magis inclinare in negatiuam, nempe prædeſtinationem fieri ſine præuiſione meritorum: liberum tamen relinquit contrarium ſentire; ſic enim loquitur. Ne ſcrutando de profundo eatur in profundum iuxta dictum Magiſtri, eligatur, quæ magis placet, dummodò ſeruetur libertas diuina ſine aliqua iniuſtitia &c.

Not. 3. Pro ampliori notitia utriuſque ſententiæ, quod ij, qui volunt, prædeſtinationem fieri independenter à meritis præuiſis, diſponunt totum proceſſum prædeſtinationis per quædem ſigna, quæ præſertim ponit Scot. loc. cit. Nam in primo ſigno Deus voluntate antecedenti vult, omnes homines ſaluos fieri: in 2. Deus voluntate abſoluta vult prædeſtinare, & efficaciter numerum determinatum, & certum Angelorum, & hominum, ſe habendo negatiuè circa alios, ideſt, nec illos prædeſtinando, nec reprobando: In 3. determinat dare gloriam illorum meritis; ita ut ſine meritis eam non ſint aſſecuturi. In 4. decernit, dare illis gratias ita congruas, & efficaces, ut infallibiliter

bonum

bonum ſint operaturi. In v. circa non prædeſtinatos decernit dare illis, gratias ſufficientes, quibus ſalui fierent, ſi talibus gratijs cooperarentur. In vj. videt illos non cooperaturos gratiæ; immò ea abuſuros declinantes in peccatum. In vij. denique deſtinat eos ob peccatum finale ad pęnam æternam. Verùm ij, qui oppoſitam ſententiam tenent ſic diſcurrunt. In primo ſigno Deus vult omnes homines ſaluos fieri independenter ab operibus, & hoc voluntate antecedenti, qualis voluntas non eſt prædeſtinatio, quæ eſt volitio, & electio efficax; illa autem inefficax. In 2. Deus voluntate efficaci, quæ nullo modo dependet à voluntate creata, vult dare gratias cuilibet homini, ut ſuam ſalutem operetur. In 3. præuidet Deus, quinam cooperaturi ſunt gratiæ, vel non. In 4. ob perſeuerantiam uſque in finem efficaciter, dat gloriam iuſtis, & peccatoribus pęnam ob peccatum finale. Vndè apparet manifeſtè ex tali præſuppoſito ordine, quod prædeſtinatio, quæ eſt electio efficax ad gloriam pendet à præuiſione meritorum, ſicut reprobatio ex demeritis præuiſis.

Not. 5. Quòd circa prædeſtinationem fuerunt plures hęreſes. Prima eſt Pelagij aſſerentis, Deum creaſſe hominem liberum ad benè, vel malè operandum proprijs viribus, ac proindè ab æterno prædeſtinaſſe ad gloriam, quos præuidit benè operaturos naturaliter in tempore; & eos, reprobare quos præuidit malè operaturos; nec hominem ulla indigere gratia &c. 2. eſt Semipelagianorum; qui, ut referunt Doctores Recentiores, erant Maſſilienſes Presbyteri, quorum Dux erat Caſſianus, qui non aſſerebant cum Pelagianis, creationis, & prædicationis beneficium ſufficere ad obtinendam beatitudiuem; immò contendebant, neceſſariò requiri gratiam, & internas inſpirationes Spiritus Sancti, ſed dicebant, initia ſalutis eſſe à nobis, hoc eſt noſtro libero arbitrio ad primam gratiam diſponi; hinc patet diſcrimen Semipelagianorum à Pelagianis. 3. eſt Prædeſtinatianorum, qui refundebant totam prædeſtinationem in D. voluntatem, alios neceſſitate quadam fatali, & ineuitabili ad gloriam eligentem, alios deſtinantes ad pęnas; ſicque viuentibus rectè, & piè nihil prodeſſe, ſi à Deo ſint reprobati, & è contra; quibus conſentit Gotheſchalch. aſſerens, ſicut Deus prædeſtinauit ad vitam æter-

nam, ità quoſdam prædeſtinauit ad mortem. 4. eſt Caluini, quæ tertiæ eſt affinis, aſſerentis, totam prædeſtinationis cauſam refundi debere in abſolutum Dei decretum ratione ſummi dominij, quo titulo ante præuiſionem cuiuſcunque peccati, & boni operis aliquos deſtinaſſe ad gloriam, alios autem ad pęnam. His prælibatis ſit.

Concl. Electio efficax Prædeſtinatorum ad gloriam fit ex præuiſis eorum meritis. Hæc, ut teſtatur Fraſſen Doctor Pariſienſis Minorita eſt grauiorum, & melioris notæ Theologorum aperta ſententia; nimirum Alenſ. D. Bonau. Alberti Magni, Scoti, & quamplurimorum Recentiorum. Prob. 1. ex Sac. Script. quæ ità apertè loquitur, ut omnes in hanc ſententiam, inquit Fraſſen, conſpirare deberent; & quidem primò Matt. cap. 25. ubi Chriſtus ità vocat Electos. *Venite Benedicti Patris mei &c.* quibus verbis ſignificat Chriſtus Regnum gloriæ paratum fuiſſe Electis ex præuiſis eorum bonis operibus, ut Doctores communiter colligunt ex illa particula (enim) quę cum cauſalis ſit, & connectatur duobus verbis, nempe. Eſuriui enim &c. & poſſidete paratum vobis Regnum, demonſtrat non ſolum gloriam in executione conferri, ſed etiam in intentione ab æterno deſignari; & ita SS. Patres hunc textum expendunt, & præſertim D. Chriſoſt. homil. 81. in Matth. *Sciebam, inquit in Perſona Chriſti, vos antequam nati eſſetis huiuſmodi futuros hæc vobis à me præparata fuere.* Tum quia ex oppoſito Reprobis dicit. *Ite maledicti &c Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare &c* ſed Reprobi damnantur ex præuiſione demeritorum: ergo Electi prædeſtinantur ad gloriam ex meritorum præuiſione, ut Dei iuſtitia æqualiter in utriſque ſaluetur.

II. locus Sac. Scrip. deſumitur ex Epiſt. 2. D. Petri cap. 1. *Quà propter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* In quo loco D. Petrus agit cum vocatis ad fidem, ut conſtat ex illis verbis in principio. *His, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri*: admonet ergo Petrus, ut electio noſtra ad gloriam fiat certa mediantibus noſtris bonis operibus: ergò ſi Deus efficaciter decreuit dare gloriam ante opera, iam ex tali efficaci decreto haberet certitudinem, & non ex operibus.

III. lo-

III. locus deſumitur ex D. Paulo ad Rom. 8. *Quos præſciuit hos, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*: quibus verbis præſcientia bonorum operum videtur ſupponi ad prędeſtinationem.

Prob. 2. auctoritate SS. Patrum. D. Ambroſ. ſuper verba mox allegata ait lib. 9. de fide. *Non ante prædeſtinauit, quàm præſciuerit, ſed quorum merita præſciuit, eorum prĕmia prædeſtinauit*. & D. Fulgent. lib. 5. ad Momin. *Prædeſtinauit ad Regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordia præuenientis auxilio redituros*. Primaſius D. Auguſtini Diſcipulus. *Prædeſtinauit, inquit, vt qui dono eius conformis eſſet in vita, conformis eſſet in gloria*. & D. Hieron. in cap. 1. Iſaiæ explicans illud, ſi volueritis, comedetis, ſic ait. *Liberum ſeruat arbitrium, vt in vtramque partem, non ex præiudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel pœna vel præmium ſit*; nota, non ex præiudicio Dei, hoc eſt, non ex anticipata ſententia. Idem in cap. 1. Malachiæ expendens illud. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, ſic habet: *Dilectio, & odium Dei vel ex præſcientia naſcitur futurum, vel ex operibus: alioquin nouimus, quod Deus omnia diligat, nec quicquàm oderit eorum, quæ creauit*, antecedenter ſcilicet, & à ſe: Et denique D. Bonau. in 1. d. 4. ita docet. *Prædeſtinatio importat rationem præſcientiæ, & rationem cauſæ non tamen totalis, quia ad effectum ſuum concurrit etiam lib. arbitrium; ideò prædeſtinatio non infert neceſſitatem ſaluti: nec infert neceſſitatem libero arbitrio, quoniam prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis, niſi includendo merita*: ergo ex præuiſione meritorum &c. Addo aliam clariſſimam ſententiam D. Fulgent. *Præſciuit Deus voluntates hominum malas, & bonas, prædeſtinauit autem bonas, & non malas*.

Reſp. Ad auctoritates adductas, & ad conſimiles Aduerſarij, Deum in tempore dare gloriam meritis, antecedenter tamen decreuiſſe dare eam ſine illis, & hoc eſt, quod dicunt, prædeſtinationem fieri ex meritis ſecundùm executionem, non tamen ſecundùm intentionem. At hæc reſponſio gratis excogitata videtur; eò vel maximè, quòd res ita eueniunt in tempore, ſicut Deus decreuit eas ab æterno, ergo ſi dat gloriam meritis in tempore ab æterno illa meritis præparauit.

Reſp. Maſtrius tom. 1. diſp. de prædeſtinat. art. 8. Quod ſicut decreuit ab æterno dare gloriam abſolutè, ſic decreuit ab æterno executionem mediorum ad gloriam conſequendam.

 Cæte-

Cæterùm. Licet verum ſit executionem eſſe ab æterno, non tamen videtur ſubſiſtere, decretum primum non includere ſecundum; & ſic velle Deum dare gloriam dependenter à meritis præuiſis. Tum quia multiplicatio decretorum in Deo ſine neceſſitate non eſt ponenda; ſed hic non apparet talis neceſſitas; ergo illa duo decreta videntur fictitia, cum etiam ex Philoſ. præter voluntatem de fine aliquo comparando nil aliud ſit, quàm executio, & mediorum applicatio conſequens tale decretum.

Preterea. Illa duo decreta non cohærent inuicem. Siquidem ſecundùm decretum non ſolum primum reſtringit, ſed etiam penitus immutat, & euertit; ergo &c. Prob. ant. Nam primum decretum, quod eſt intentionis, & gratuitum, vel eſt omninò efficax, & independenter à ſecundo, vel non. Si non ſit; ergo eſt prorſus inutile, cum efficacitatem ſuam habeat expectare à ſecundo, à quo tanquàm à conditione dependeret. Si ſit efficax, nequit ſubſiſtere cum ſecundo; quia cum primum decretum ſit omninò gratuitum, & abſolutum pugnat cum ſecundò, quod eſt oneroſum, & conditionatum, quia dependet ab operibus faciendis; ſed hoc videtur impoſſibile reſpectu eiuſdem, quod ſit gratuitum, & oneroſum; ergo &c.

Confirmatur. Nam primum decretum eſt abſolutè gratuitum, cum ſit de danda gloria ex mera liberalitate Dei: ſecundum verò eſt oneroſum, quia inuoluit conditionem meritorum, ac proinde gloria danda tanquàm merces, & præmium. Quarè cum primò velit dare Deus ex liberalitate, & ſecundò ex merito gloriam, ſequitur illud impoſſibile ſuperiùs indicatum; ſicut impoſſibile eſt, quod idem ſit reſpectu eiuſdem rei donatio, & venditio; ergo primum decretum immutatur, & euertitur à ſecundo.

Prob. 2. Si Deus prædeſtinaret ante merita; ergo reprobaret etiam ante demerita; ſed hoc videtur iniuſtum: ergo &c. Reſp. Aduerſarij, Deum reprobare ante merita negatiuè, non verò poſitiuè.

Contra ſi Deus reprobaret negatiuè, reprobaret etiam poſitiuè ante demerita; patet exemplo, & ſimul prob. conſeq. Electio ſaluandorum ſe habet ſicut electio lapidum, ex quibus domus conſtruitur, ſed Architectus, qui ex pluribus lapidibus aliquos tantum accipit ſufficientes, &

eos

eos prò ſuo ædificio deſtinat, & hoc faciendo, cæteros reijcit, quia non ſeligere, eſt reijcere: ergo à pari Deus volens ſaluare certum numerum hominum, ſi aliquos tantum accipiat, quos charactere prædeſtinationis ſignet, & alios non ſignat, certè quaſi poſitiuè reijcit, quia non poſſunt ſaluari, niſi ſint electi, & ſic non eligi, eſt reprobari poſitiuè.

Prob. 4. Si Deus prædeſtinaret antè præuiſa merita vnum, & non alium: ergo Deus eſſet acceptator Perſonarum, quod eſt contra iuſtitiam. Nec valet reſponſio Aduerſariorum dicentium, quod tunc eſſet acceptio Perſonarum, quando quis tenetur ex iuſtitia reddere aliquid duobus, & reddit tantum uni, & non alteri: in propoſito autem Deum nulli debere gloriam, conſtat, cum omnes homines damnari mererentur. Quarè ſi aliquos liberet, hoc eſt ſuæ bonitatis, ſi alios non liberet, hoc eſt ſuæ iuſtitiæ. Non valet inquam hæc reſponſio, eſſet enim valida, ſi Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus, quia verò omnes per mortem redemit, & reparauit lapſum naturæ; ideò tenetur ex iuſtitia omnibus, & ſingulis ſubuenire, ac proindè ſi aliquos antè præuiſa merita prædeſtinaret, & non alios, eſſet acceptator Perſonarum.

Prob. ultimò. Ex oppoſita ſententia multa abſurda ſequutur, quæ in Dei gloriam, & hominum ſalutem apertè pugnant. Primò namquè ſequeretur, quod Deus non vellet ſincerè omnium ſalutem, ſed conſequens eſt abſurdiſſimum; ergo, & anteced. min. patet ex pluribus locis S. Scrip. quorum aliqua adducta fuerunt ſuprà, & addo hæc duo alia; alterum D. Pauli ad Timoth. 2. *Deus Saluator omnium, maximè autem fidelium*. Alterum Matth. c. 18. *Non eſt voluntas antè Patrem veſtrum, vt pereat vnus ex his puſillis*. Addo etiam tertiùm D. Petri epiſt. 2. c. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reuerti*: hoc autem verbum, nolens, continet negationem, quæ omnia remouet, & nihil excipit; ergo &c. Prob. maior. Si Deus ſincerè velit omnium ſalutem, cùr antè præuiſionem tam paucos eligit, & cæteros omnes non ſic electos ità negligit, ut nèmo ſaluetur? ergo &c.

Confirmatur. Ille non vult ſincere ſalutem omnium hominum, maximè Reproborum, ſed tantum ſimulato-

riè, & illuſoriè, qui ſolùm gratiam incongruam eis pręparat: at ex oppoſita ſententia id ſequitur, ſcilicèt quod gratiam incongruam ſolum eis præparat, patet tam maior, quam minor, quia electis in ſecundo ſigno præparat gratiam congruam; Reprobis verò incongrua media ſubminiſtrat, alioquin aliquis ſaluaretur, cum media congruè data electis infallibiliter ad vitam perducant: ergo &c.

Arg. 1. cont. conc. Si prædeſtinati eligerentur ex præuiſis meritis; ergo poſſent gloriari de ſua prædeſtinatione contra D. Paulum 2. ad Corinth. c. 4. *Quid habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis*; ergo prędeſtinatio non ſit ex præuiſis meritis. Reſp. Prædeſtinatos non debere gloriari, quia id non habent ex naturę viribus, ſed D. gratiæ beneficio. Hinc D. Aug. *Quando Deus coronat merita noſtra, coronat dona ſua*.

Dices. Ex Ioan. cap. 15. *Ego eligi vos, vt eatis, & fructum afferatis*; ergo electio eſt cauſa bonorum operum, & non è contra. Reſp. Chriſtum ibi loqui de electione ad Apoſtolatum, vel ad gratiam, vel ad Religionem chriſtianam, quæ fiunt antecedenter ad merita.

Dices iterùm ex Luc. cap. 11. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*: ergo non ex præuiſis meritis. Reſp. Complacuit dare regnum conſequenter ad bona opera præuiſa; conc. antecedenter ad bona opera, neg.

Dices rurſus. Act. cap. 13. legitur. *Crediderunt quotquot praordinati erant in vitam æternam*; ubi præordinatio, ſeu prędeſtinatio eſt cauſa fidei, & bonorum operum. Reſp. Auctoritas allegata ſic eſt intelligenda; ideſt crediderunt in tempore, qui præordinati erant in vitam æternam per prędeuiſionem fidei temporaneæ.

Arg. 2. Apoſt. ad Rom. 2. cap. 9. *Cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi, & Eſau odio habui*, ergo &c. Reſp. 1. Apoſt. quidem dicere, quod Deus dilexerit Iacob, non tamen dicit ipſum dilexiſſe, antequam præuidiſſet Iacob benè acturum. Reſp. 2. Hoc intelligi de electione ad gratiam, quæ reuerà fit ſine præuiſione metitorum, non verò de electione ad gloriam; Quod autem de hac non loquatur patet, quia ſequeretur, quod etiam deſtinaſſet Eſau ad pœnam ante præuiſa demerita,

cum

cum de vtroque eodem modo loquatur, dicens. *Iacob dilexi, & Eſau odio habui*. At Nullus præter Caluinum dicit reprobationem fieri abſque prævifione demeritorum.

Arg. 3. Apoſt. ad Epheſ. cap. 1. *Prædeſtinauit nos, ſcribit, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ*. ergo merita non ſunt cauſa prædeſtinationis. Reſp. diſting. Prędeſtinauit nos &c. includens præuiſionem meritorum: conc. excludens merita præuiſa: neg.

Dices. Idem Apoſt. ad Thimot. ait *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera, ſed ſecundum propoſitum ſuum*: ergo &c. Reſp. Vocauit nos ad gratiam: conc. ad gloriam ſine operibus &c. nego: Si ex eadem replicetur. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus, ſaluos nos fecit, ergo &c.

Reſp. diſting. Non ex operibus iuſtitiæ legalis: conc. Sanctificantis neg.

Dices ex eodem ad Rom. *Non eſt currentis, ſeu volentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Reſp. Intelligi de gratia, non de gloria: ideſt non ideò dat, quia currimus, ſed quia miſeretur noſtri; & ſic ad ſimiles auctoritates.

Contra. Apoſt. ad Rom. c. 8. Quos prædeſtinauit ſunt conformes immagini Filij Dei, ſed Chriſtus, vt homo eſt prædeſtinatus ſine præuiſis meritis, ergo & nos.

Reſp. Inter nos, & Chriſtum eſſe conformitatem, non ratione modi, ſed ratione obiecti prædeſtinationis: Nam ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad gloriam Animæ, & corporis, ita & homines. Vnde Chriſtus eſt prædeſtinatus antecedenter ad merita, non conſequenter.

Arg. 4. Infantes decedentes ante vſum rationis non prædeſtinantur ex præuiſis meritis, ergo nec Adulti.

Reſp. Infantes prædeſtinari ex præuiſione meritorum Chriſti, quòd ipſis applicatur totaliter, hoc eſt abſque illorum coop ratione; ſecùs autem Adultis, qui poſſunt cooperari &c.

Arg. 5. Si electio ad gloriam facta eſſet ex præuiſis meritis, Arcanum prædeſtinationis non eſſet inſcrutabile contra D. Paul. clamantem. O altitudo diuitiarum &c. Si enim quæratur quarè hic eſt prædeſtinatus, & non ille, ſtatim reſpondebitur. Quia hic cooperando gratię meruit prædeſtinationem; hic autem reſpuendo gratiam, meruit reprobari. Reſp. in noſtra ſententia non eſſe minùs inſcru-

ſcrutabile; immò in ſententia oppoſita hoc dici poteſt, ut ſapientiſſimè notat D.Bonau. in 1. d.41. q.2. *Si non eſset alia ratio, inquit Doctor Seraph. quare iſtum Deus elegit, & non illum, niſi quia ità Deo placet. Certè iam non occulta dicerentur Diuina iudicia, ſed manifeſta, cum quilibet hanc rationem capiat, nec dicerentur mirabilia, ſed potiùs voluntaria.* Cęterùm Apoſt. meritò exclamat. *O altitudo diuitiarum &c.* Quia, ut docet Scot. in Report. 1. d. 41. q. un. aliud eſt quod ſint imperſcrutabiles leges practicæ, aliud iudicia practica: nam leges ſunt de uniuerſalibus, ſecundum quas ſunt iudicia particularia: pro tanto igitur iſta iudicia ſunt incomprehenſibilia, quia nullus homo poteſt ſcire in particulari, quod ſecundum tales leges ſit iudicatus, & hoc intelligit Auguſtinus, cum dicit. *Noli iudicare, ſi non vis errare.*

Arg. 6. Diſcretio Prædeſtinatorum à Reprobis, vel incipit à gratia præueniente, vel à conſenſu, quo illi cooperantur: non à ſecundo, quia homo eſſet cauſa ſuæ prędeſtinationis; ergo à gratia pręueniente, ac proindè prædeſtinatio fit ante conſenſus, & meritorum pręuiſionem alioquin eſſet conuenire cum Pelagianis, vel Semipelagianis. Reſp. diſcretionem huiuſmodi non incipere à gratia præueniente ſimpliciter, nec à conſenſu, ut à ſola voluntate, ſed incipit à gratia præueniente, quatenùs habet conſenſum voluntatis per gratiam cooperantem. Neque hoc aſſerere eſt plus dare voluntati, quàm gratiæ; quia licet voluntas poſſit conſentire, & diſſentire gratię, ut tradit Trid. licet etiam poſſimus non prædeſtinari, ſi voluntas non conſentiat, plus tamen damus gratiæ, quàm lib. arbitrio humanò, cum gratia pręueniens requiratur, ut voluntatem excitet ad benè operandum, deindè voluntas excitata vult ſequi decretum gratiæ; quod tamen non poteſt, niſi adiuuetur à gratia adiuuante, ſeù cooperante.

Arg. 7. Deus dat media efficacia Prædeſtinatis, ut ad finem ultimum perueniant, quæ non dat Reprobis; ergo ſignum eſt, Deum habere voluntatem efficacem dandi gloriam illis, non iſtis, etiam antecedenter ad eorum merita. Reſp. diſting. ant. Ex parte dantis, & in ſe ſunt efficacia ſolum in ordine ad prædeſtinatos, neg. ant. ex parte accipientis, & cooperantis, conc. Itaque omnia media ſunt efficacia in actu primo, & ex parte dantis, non verò in actu

ſecundo. Immò Deus aliquando auxilia maiora dat Reprobis, quàm Prædeſtinatis, quæ in iſtis ob conſenſum fiunt efficacia, in illis ob diſſenſum nullam efficaciam obtinent.

Arg. 8. Si meremur prædeſtinationem, meremur & gloriam; ſi autem meremur gloriam; vel hoc fit per actum meritorium pręcisè ſumptum, vel quia talis actus meretur perſeuerantiam in merito uſque ad finem vitæ: non primum, alioquin qui haberet unum actum meritorium eſſet electus ad gloriam. Neque ſecundum, quia nullus actus meritorius poteſt mereri perſeuerantiam; non enim cadit ſub merito, ſed eſt donum Dei. Reſp. Electionem ad gloriam non eſſe præcisè factam propter unum, aut alterum actum, ſeù opus meritorium, ſed propter merita perdurantia uſque in finem vitæ, adeòut perſeuerantia ſit conditio ſine qua non elegeremur ad gloriam. Cæterùm quando dicitur, hominem non poſſe illam mereri; id verum eſt unico actu, & permanenter; poteſt tamen illam mereri ſucceſſiuè, & ſeorſim, merendo nimirùm auxilia neceſſaria ad vincendas tentationes, & perſeuerandum uſque in finem vitæ: de quo in tract. de gratia &c.

Arg. ultimò ratione, qua Scot. probat oppoſitam ſententiam. Omnis ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad finem: ſed gloria eſt finis Prædeſtinatorum, & merita ſunt media; ergo priùs vult gloriam, quàm merita, ac proindè non prædeſtinat ad gloriam ex præuiſione meritorum.

Reſp. diſting. mai. Voluntate antecedenti, conc. voluntate conſequenti, neg. mai. Reſp. 2. ordinatè volens &c. Si finis conſideretur in ratione finis, conc. mai. Si verò in ratione præmij, & mercedis, neg. Reſp. 3. Si finis comparandus ſit à ſe ipſo, conc. mai. ſi ab alio maximè ab Agente libero, qui poteſt velle conſequi finem, vel non: neg. mai. Tunc enim poteſt quis non velle abſolutè finem Agenti libero, niſi videat, illum ſe determinari ad conſecutionem finis; cum igitur Prædeſtinati ſint agentia libera, Deus priùs debet præuidere cooperationem illorum, quàm deſtinare illos efficaciter ad gloriam.

(✠)o(✠)

QVÆ-

Vtrum Deus prædeſtinauerit, tum Angelos, tum homines propter merita Chriſti.

NOt. 1. Quòd ſenſus præſentis quęſt. eſt. An Chriſtus meruerit nobis, & Angelis gratiam, & gloriam tantùm ſecundùm ordinem executionis; an verò etiam ſecundum ordinem intentionis; hoc eſt. An prima electio ſit facta ex meritis Chriſti: Hæc quæſtio grauem difficultatem non habet in ſententia eorum, qui tenent, primam electionem efficacem ad gloriam eſſe ex præuiſis meritis, & perſeuerantia finali, ac proindè etiam ex meritis Chriſti. Suppoſita autem electione ad gloriam ante præuiſionem meritorum; exiſtimant nonnulli, electionem hanc quoad ordinem intentionis non procedere ex meritis Chriſti: alij verò oppoſitum aſſerunt.

Not. 2. Quod certiſſimum eſt, Chriſtum non ſibi tantum meruiſſe, ſed etiam alijs. Siquidem Chriſtus, ut homo erat Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius iuxtà Apoſt. ad Epheſ. cap. 1. munus autem Capitis eſt vitam ſpiritualem in membra influere. Sicut enim caput eſt pars corporis prima, & digniſſima, in qua exercentur operationes vitales animales, & rationales; & quæ cętera membra gubernat, ac in illa influit; ſic Chriſtus, in quantum homo eſt digniſſima Perſona omnium, ex quibus myſticum corpus Eccleſiæ uniuerſalis coaleſcit; ac proindè tanquam Caput influit in omnes viatores dona gratiæ, in beatos dona gloriæ, & iuxta communiorem ſententiam etiam in Angelos, ex quibus iuxta Patres componitur uniuerſalis Eccleſia. Vnde Apoſt. ad Coloſs. 2. de Chriſto, quatenùs homine ait. *Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Nec audiendi ſunt impij latratus Caluini, qui ut canis infernalis Eccleſiam mordens, ait Chriſtum Dominum nil ſibi meruiſſe, nec gloriam corporis, nec nominis exaltationem, ſed omnia ſua merita ad nos ordinauerit, immò, & omne pręmium illis correſpondens nobis contulerit.

I. Conc. Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa efficiens exemplaris, finalis, & meritoria noſtrę prædeſtinationis. Eſt D. Tho-

Thom. in 3. d.10. q.3. D. Bonau. in 3. d.11. art.1. q.1. Scoti in 1. d.19. & eſt communis ſententia. Prob.1.pars. Chriſtus eſt mediator noſtræ ſalutis; ergo eſt cauſa efficiens noſtrę prędeſtinationis: ant.pat. per illud Pauli ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Christum*; hæc enim particula (per) ſignificat cauſalitatem iuxtà illud. Omnia per ipſum &c. Prob. 2. pars. Gloria, & merita Chriſti ſunt exemplum gloriæ, ad quam prædeſtinati ſumus; ergo Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris noſtrę prædeſtinationis: unde Apoſt. ad Rom. 8. ait. *Quos præſciuit hos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*; qui locus à S. Athanaſio, à D. Hieron. & alijs intelligitur de Chriſto, ut homine. Tum quia primum, & maximum in unoquoque genere eſt menſura, & exemplar cęterorum; ergo cum Chriſtus ſit primus, & ſummus omnium prædeſtinatorum, eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis.

Prob. 3. pars. Chriſtus eſt Caput, & Princeps omnium prædeſtinatorum: ergo prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa finalis noſtræ prędeſtinationis; Hinc D. Paul. ad Coloſs. 1. *Ipſe eſt caput totius corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*. Prob. 4. pars. Nempè, quod Chriſtus ſit cauſa meritoria, & extrinſeca, quia cauſa intrinſeca eſt miſericordia Dei: D. Paul. ad Epheſ. cap. 1. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti*: Quem locum, omnes Patres, ut obſeruant Theologi, exponunt de prædeſtinatione; & ſignanter D. Aug. Nàm non dicit, qui eramus Sancti, ſed ut eſſemus Sancti virtute electionis Chriſti. Item dicitur ibidem. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Christo*: ideſt, propter merita Chriſti. Accedit etiam ratio Theologica: Chriſtus eſt cauſa meritoria omnium effectuum prædeſtinationis, nempè vocationis, iuſtificationis, & glorificationis; ergo eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis meritoria.

II. Conc. Chriſtus eſt cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, etiam ſecundùm ordinem intentionis, & electionis. Hæc videtur probabilior, ut ſupra indicauimus.

Prob. Chriſtus, quatenùs Deus homo prędeſtinatus fuit, & præuiſus ante prædeſtinationem cuiuslibet creaturæ: ergo merità Chriſti præuiſa fuerunt ratio motiua Dei ad noſtram prędeſtinationem decernendam. Prob. ant. Sac. Scrip.

Scrip. locis ſupracitatis ſignificat, omnes gratias, omniaq; ſpiritualia dona nobis in tempore conferenda, decreta fuiſſe à Deo ab ęterno per Chriſtum Ieſum; ergo pariter indicat illius merita fuiſſe rationes mouentes Deum ad decernendam donorum ſupernaturalium collationem.

Prob. 2. ratione. Deus in tempore nihil operatur, niſi ſecundùm æterna decreta de rebus in tempore faciendis; ſed omnes fatentur gratiam, & gloriam ipſam nobis à Deo conferri propter merita Chriſti; ergo cum gratia, & gloria in tempore donanda ſit ut pręmium meritorium Chriſti, abſque dubio Deus ab æterno etiam voluit, & diſpoſuit illam concedere ratione meritorum Chriſti.

III. Conc. Chriſtus eſt cauſa meritoria prædeſtinationis Angelorum. Hæc eſt Scoti, & Scotiſtarum. Prob. Chriſtus eſt caput hominum, & Angelorum, ut ex hactenùs dictis liquet; ergo debet influere in omnia membra, ac proindè etiam in Angelos. Ant. prob. & oſtenditur facili diſcurſu, maximè in noſtra ſententia. Etenim ſuppoſito, quod Incarnatio quoad ſubſtantiam fuerit prædeſtinata ante peccatum, immò ante omnes creaturas, facillimè explicatur, quomodò Chriſtus potuerit mereri gratiam, & gloriam etiam Angelis. Siquidem quando Angeli ſunt prędeſtinati ad gratiam, & gloriam, iam Chriſtus ſupponebatur ad illa prædeſtinatus; ac proindè prædeſtinata erant merita Chriſti independenter à paſſibilitate carnis, per quæ Angelis prędeſtinata eſt gratia, & gloria.

Confirmatur. Nam ſi Chriſti merita non eſſent cauſa prędeſtinationis etiam Angelorum, ſequeretur, quod Chriſtus valdè imperfectè foret caput Angelorum ob exiguum videlicet influxum, accidentalis glorię, & gaudij, quod tamen in illos influit etiam B. Virgo, quæ, eſtò ſit dignior, non tamen dicitur caput Angelorum; ergo dicendum eſt, eſſe reuerà caput etiam Angelorum, ac proindè eſſe cauſam meritoriam eorum prędeſtinationis; ut teſtatur apertè S. Cyrillus in illud Iſai. cap. 53. lętare ſterilis. dicens de Chriſto. *Per ipſum enim omnis fructificatio ſpiritualis, tum in Sanctis Angelis, tum in nobis ipſis inſita eſt.* Idem tradit S. Laur. Iuſtin. ſer. de aſſump. B. Mariæ.

Arg. 1. cont. quartam partem primę concluſionis, nempè, quod Chriſtus non eſt cauſa meritoria. D. Paul. ad

Epheſ.

Epheſ. cap. 1. ſcribit. *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, in quo nos ſorte vocati ſumus*; ergo ſi ſorte vocati ſumus, non ex meritis Chriſti. Reſp. In hoc ſenſu loquitur Apoſt. ſorte prędeſtinati ſumus, hoc eſt, licet prædeſtinati ſimus in Chriſto, ſiue per merita Chriſti, tamen applicatio meritorum Chriſti hominibus ſorte fit, ideſt ex pura Dei voluntate, & miſericordia.

Arg. 2. ex eod. ad Rom. cap. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius* ideſt Dei, ergo ſine meritis Chriſti. Reſp. Sumus iuſtificati gratis, ideſt ſine ullis meritis noſtris, ſed gratis per merita Chriſti; ſicùt dicimur iuſtificari gratis, quando per miſericordiam Dei iuſtificamur.

Quęres. An Prędeſtinatio noſtra poſſit iuuari precibus Sanctorum.

Reſp. cum D. Thom. in hac queſt. art. 8. D. Bonau. in 1. art. 1. q. 1. & Scot. in 2. d. 28. q. 1. affirmatiuè. Ratio, quia ex ſent. Doct. cit. Iuſtus mereri poteſt peccatori primam gratiam merito de congruo; ergo patet, prędeſtinationem noſtram poſſe iuuari precibus Sanctorum quoad effectus intrinſecos, ideſt gratiam, & gloriam non verò adęquatè, quia ſic ſola diuina voluntas eſt cauſa adęquata noſtrę prędeſtinationis; ſed poſita prędeſtinatione ex mera Dei voluntate, deindè Deus ordinat, & diſponit illum conſecuturum gratiam, perſeuerantiam finalem, ac proindè gloriam per orationes alicuius Sancti. Vnde preces ſunt effectus, & medium prędeſtinationis. Siquidem fidelibus omnibus eſt compertum, Sanctos de facto impetrare multa bona ſpiritualia ſuis orationibus; quicquid latrent Hæretici.

QVÆSTIO XII.

Vtrum reprobatio fiat à Deo ex præuiſione demeritorum.

NOt. 1. Quod Reprobatio hic non ſumitur pro reiectione rei vilis, vel inutilis iuxta illud Rep. 1. c. 15. *Quidquid vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt*, & Pauli a 2 Cor. 13. *Nos autem Reprobi (ideſt viles, & abiecti apud vos) ſimus*, & ad Tit. 1. *Ad omne opus bonum reprobi*, ideſt inutiles:

neque

neque pro reiectione rei tanquam malæ ſeu improbæ, quo ſenſu ad Cor. 1. dicitur *Prudentiam prudentium reprobabo*; ſed ſumitur reprobatio pro decreto D. quo aliqui propter demerita eſcluduntur à Regno vitæ æternæ, & deputantur ad pęnas; & hæc dicitur reprobatio ſimpliciter: quia eſt à gloria; nam reprobatio à gratia, non eſt propriè reprobatio, ſed ſolum ſecundum quid, quo ſenſu Prædeſtinatus in peccato mortali exiſtens dicitur Reprobus ſecundum præſentem iuſtitiam, ſicut præſcitus quando eſt in gratia, dicitur prædeſtinatus ſecundum præſentem iuſtitiam, ſeu ſecundum quid. Itaque reprobatio ſimpliciter ſic deſcribi poteſt; eſt efficax, & abſolutum decretum; quo Deus ab æterno ob demerita præuiſa decreuit excludere aliquos homines, ſeu Angelos à Regno vitæ æternæ, & ad pęnam æternam deputare; dicitur ob demerita præuiſa, ideſt, ob peccatum originale, ſeu peccatum actuale finale; ut infra magis patebit.

Not. 2. Quod, vt ſupra indicauimus duplex eſt reprobatio, alia negatiua, quæ eſt volitio generalis, ſeu negatio volitionis, qua Deus vult aliquos homines non admittere ad Regnum; alia eſt poſitiua, & eſt decretum efficax, & abſolutum, ut ſupra. Reprobatio negatiua videtur aliquibus eſſe potiùs pars prouidentiæ ſupernaturalis, quam ſimpliciter reprobatio. Cæterum, cum nos teneamus prędeſtinationem fieri ex præuiſione meritorum, conſequenter non poſſumus admittere reprobationem negatiuam, & quidem Deus non deſerit abſque præuiſa cauſa ex parte hominis, ſeu Angeli; & cum dicat S. Scrip. in Iob. 3. *Quod Deus non delectatur perditionibus noſtris*, & in 2. Petri cap. 3. *Patienter Deus agit propter vos nolens aliquem perire*; debemus affirmare non reperiri apud Deum hanc reprobationem negatiuam, quæ ut paulò ſuperiùs oſtenſum eſt, equipollet Reprobationi ſimpliciter. Ad quam ſententiam nos ducit etiam D. Paulus ad Gorint. 1. c. 2. dicens: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; ergo voluntate antecedenter præuiſionem tam meritorum, quàm demeritorum vult omnes ſaluos fieri; ac proinde non habet Deus voluntatem negatiuam reſpectu ſalutis eorum, qui non eliguntur: qualiter namque vellet omnes ſaluos fieri, ſi nullam haberet voluntatem ſaluandi aliquos ex illis omnibus?

Not.

Not. 3. Quod in hac quæſtione ſunt diuerſi modi dicendi. D. Thom. q. 1. q. 23. art. 3. docet, quod nulla datur cauſa reprobationis ex parte noſtra, quia reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in primum peccatum; at illius permiſſionis nulla eſt cauſa ex parte Reprobi; quia permiſſio eſt ante omne peccatum; ergo nullum peccatum eſt cauſa reprobationis. Tum quia ſicut nulla datur cauſa prædeſtinationis; ita nulla datur cauſa reprobationis; oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina. D. Bonau. in 1. d. 41. art. 1. q. 2. ſic reſpondet ad quęſt. ſimpliciter loquendo quantùm ad principale ſignificatum, neutra cadit ſub merito; ideſt nec prædeſtinatio, nec reprobatio: quantum verò ad connotatum reprobatio cadit ſub merito ſimpliciter, prædeſtinatio verò ſecundum quid. Scot. denique in 1. d. 41. q. un. docet, quod peccatum finale eſt cauſa meritoria reprobationis; quia damnatio non videtur bona; niſi quia iuſta; nam ſecundùm Aug. ſuper Gen. cap. 24. *Non prius Deus eſt vltor quam aliquis ſit peccator;* videtur enim eſſe crudelitatis punire aliquem, non præexiſtente in eo culpa; igitur à ſimili non vult priùs aliquem punire, quàm videat aliquem eſſe peccatorem: non igitur primus actus voluntatis D. circa Iudam eſt velle damnare Iudam, prout Iudas offertur in puris naturalibus, quia tunc videretur velle damnare ſine culpa; ſed videtur, quod oportet Iudam offerri voluntati D. ſub ratione peccatoris, antequam velit ipſum damnare: ergo cum reprobare ſit velle damnari, reprobatio ex parte obiecti habebit rationem aliquam, ſcilicet peccatum finale præuiſum.

I. Conc. Deus neminem reprobat, & damnat poſitiuè ad pęnam æternam ante præuiſa demerita. Hæc eſt de fide.

Prob. 1. ex Concil. Valentino cap. 3. ubi dicitur. *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem, in electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione verò perituorum meritum malum præcedere iuſtum iudicium Dei.* Quibus verbis Concil. hoc ſtatuit diſcrimen inter prædeſtinationem, & reprobationem, quod reprobatio ſit opus iuſtitię vindicatiuæ, quæ ſupponit demerita ex parte reprobandi: prædeſtinatio autem eatenus ſit opus miſericordiæ, quatenus

tenus ſupponit Dei gratiam præuenientem, & cooperantem, quibus adiuuantibus fiunt opera meritoria.

Prob. etiam ex Trid. ſeſſ. 6. can. 17. *Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vt potè diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum: Anathema ſit.*

Prob. 2. ratione. Deus eſt infinitè bonus, iuſtus, & pius, eſt Pater noſter cæleſtis, ac proindè, *Si Pater eſt*, vt cum D. Petro Chriſologo loquamur, *Non poteſt non amare, ſi amat, niſi quod bonum eſt dare neſcit: negat Patrem, qui de Patris ſuſpectus eſt largitate*; ergo Deus nequit hominem damnare abſque culpa; hoc enim eſſet non infinitæ bonitatis ſignum, ſed odij, & crudelitatis, Deus autem non odit hominem, niſi ob eius iniquitatem, & impietatem, ergo non reprobat niſi ob culpam, & iniquitatem præuiſam.

II. Conc. Non ſolum peccatum originale, ſed quodlibet peccatum mortale finale præuiſum eſt cauſa poſitiuæ reprobationis. Eſt Scoti loc. cit. & videtur communis, immò de fide, ut aſſerit Smiſing, cui conſonat Herincx.

Prob. breuiter. Tum peccatum originale, quàm mortale quodlibet finale eſt cauſa demeritoria; ergo utrumque eſt cauſa damnationis. Prob. conſ. de peccato mortali finali. Peccatum ſemel remiſſum non poteſt eſſe cauſa damnationis; ſed peccatum originale in multis Reprobis eſt remiſſum, ut definitur à Trid. ſeſſ. 6. can. 5. & conſtat de baptizatis; ergo illud non eſt cauſa damnationis; ergo non poteſt eſſe cauſa niſi peccatum mortale finale.

Arg. cont. 1. conc. Prouerb. 16. dicitur. *Vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, ergo &c. Reſp. Senſum Scrip. eſſe: Impium quoque, quem non fecit, ſed talem fore præuidet, conſeruat, ſeu præordinauit conſeruare ad diem malum, ſeu vindictæ; & hoc etiam propter ſemetipſum ad iuſtitiæ manifeſtationem.

Arg. cont. 2. conc. D. Aug. pluribus in locis docet, peccatum originale eſſe cauſam reprobationis; ergo &c.

Reſp. D. Aug. tantum velle, peccatum originale eſſe cauſam reprobationis in ijs, qui moriuntur ante baptiſmum. Vel intelligere, ut notant Theolog. peccatum originalem eſſe fomitem, & radicem reprobationis, non autem quod ſit cauſa adæquata reprobationis.

Quæ-

Quæres. Quinam ſint effectus reprobationis.

Reſp. Effectus primarius reprobationis poſitiuæ eſt damnatio ęterna: ſecundarij poſſunt eſſe, gratiæ ſubtractio, humani cordis excęcatio, & obduratio; qui tamen priùs ex parte peccatoris, quàm ex parte Dei oriuntur. De primo patet, quia damnatio æterna primariò intenditur à Deo ob præuiſa demerita iuxtà illud Matt. 25. *Diſcedite maledicti in ignem æternum*. De ſecundis ſimiliter conſtat. Deus ſiquidem ſe habet permiſſiuè ad illos tres effectus, quibus quaſi paſſibus Reprobus currit præceps in damnationem, vel per conſuetudinem peccandi, vel per iuſtam denegationem gratiæ. Quod autem tales effectus priùs ſint à peccatore, probat Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. docens ſic. *Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*. Vnde D. Auguſt. lib. de nat. & lib. arb. ſuper illud Apoſt. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, ait. *In eo, quem ſeduci permittit, vel obdurari, mala eius merita credite*.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum reuerà detur in Deo liber vitæ; quid ſit, & de numero Electorum.

NOt. Quod Scot. nihil ex profeſſo tractat de libro vitę; plura tamen dicit de eo implicitè, quæ librum vitæ ſignificant; & præſertim agendo de iudicio in 4. d. 47. q. 1. docet, quod in iudicio erit innocentia meritorum, vel demeritorum, propter quæ feretur ſententia talis, vel talis conformiter ad ſcientiam infallibilem Dei hominum, & actionum bonarum, vel malarum, quæ ab ipſis in vita degentibus factæ fuerint. Huiuſmodi autem ſcientia infallibilis, & notitia omninò certa omnium, quæ ſpectant ad vitam uniuſcuiuſque Prædeſtinati eſt liber vitæ, in quo prædeſtinati ſcripti ſunt.

I. Conc. Datur in Deo liber vitæ; ut expreſsè habetur pluribus in locis Sac. Scrip. & ſignanter Apoc. 13. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni*; ad Philip. 4. *Quorum nomina ſcripta ſunt in Libro vitę*. Prob. nàm datur in Deo notitia diſtinctiſſima, firma, particularis omnium, quę ſpectant ad vitam uniuſcuiuſque prędeſtinati; ergo datur in

Deo liber vitæ, qui ſolet ſic deſcribi: eſt pręſcientia infallibilis, & immutabilis Dei de Electis, tanquàm certiſſimè ad vitam æternam perducendis: & quamuis Deus habeat ſcientiam pariter infallibilem uniuſcuiuſque reprobi; ſeù malorum certiſſimè damnandorum ob eorum peccata; & talis ſcientia vocari poſſet liber mortis; nihilominus Scriptura illam tali nomine non appellat; ſed ſub generali nomine libri, aut librorum Dei comprehendit: ut Daniel.7. *Libri aperti ſunt*: & Apoc.20. *Iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in Libris*; & pſal.138. *In libro tuo omnes ſcribentur*. Rationem dat D.Thom. q.24. art.1. Quia non eſt conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur, ſed eos, qui eliguntur.

II. Conc. Numerus Electorum deſcriptus in libro vitæ eſt adeò certus, & immutabilis, ut nil poſſit addi, vel demi in ſenſu compoſito. Hęc eſt certiſſima apud Catholicos. Prob. Prędeſtinati ſimpliciter non poſſunt deleri de libro vitæ, ut teſtatur Chriſtus Ioan.10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas, & cognoſcunt me meæ, & vitam æternam do eis, & non rapiet quiſquam de manu mea*: ergo numerus Electorum eſt certus, & immutabilis. Poſſunt tamen deleri ſecundùm quid, ſeù tantùm ſecundùm pręſentem iuſtitiam, & delentur, ut habetur Exod. 32. *Qui peccauerit, delebo eum de libro vitæ*. Apoc.3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; & pſal.68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*. Tum quia Trid. ſeſs.6. c.12. & 13. definit, Prædeſtinatos poſſe peccare mortaliter: ergo poſſunt ratione peccati, in quo ſunt, deleri de libro vitæ ſecundùm præſentem iuſtitiam. Dicitur in concluſione: In ſenſu compoſito. Quia abſolutè, ſeù in ſenſu diuiſo poteſt ille, qui prędeſtinatus eſt, damnari: & qui Reprobus eſt ſaluari; cum nec Dei pręſcientia, nec prędeſtinatio tollat libertatem; ac proindè numerus Electorum, tum quoad multitudinem, tum quoad Perſonas particulares, quatenùs à libertate pendens eſt abſolutè contingens, & mutabilis; unde ait Scot. quod Deus contingenter contingentia vult, quàmuis ſimpliciter dicatur certus, & immutabilis, eò, quod numerus ſupponat rem numeratam in Dei pręſcientia, & decreto, & ſic inuoluit ſenſum compoſitum. Itaque Prędeſtinatus ut prędeſtinatus (ſic enim eſt ſenſus compoſitus) non poteſt damnari, quia ſic contradictoria verificaren-

carentur; eſſet namque ſimul, & ſemel prædeſtinatus, & non prędeſtinatus; at Prędeſtinatus in ſenſu diuiſo, & abſolutè damnari poteſt, & è contra Reprobus ſaluari poteſt.

Arg. contra conc. Exodi 32. ait Moyſes ad Deum. *Si non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*; ergo numerus Electorum demi poteſt. Reſp. Doctores diuerſis uti ſolutionibus pro adęquata reſponſione. Quidam dicunt, Moyſen locutum ſic fuiſſe Deo ex quadam confidentia charitatis, ſciens id nullatenùs futurum; & hanc videtur ſequi, & amplecti etiam Herincx; alij, ut idem Herincx refert in hac quęſtione per librum, de quo Moyſes loquitur, intelligunt quendam librum materialem, in quo ſcribebantur facta illuſtrium Perſonarum, qui Ioſue cap. 10. videtur appellari liber, ideſt hiſtoria iuſtorum, de quo fit mentio etiam lib. 2. Reg. cap. 1. Alij intelligunt librum vitæ corporalis, de quo per mortem corporalem deleri poſtulauerit.

Arg. 2. Ioan. 17. Chriſtus ait. *Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex ijs perijt, niſi filius perditionis*: at Chriſtus loquitur ibi de datione ſecundùm prędeſtinationem, ergo &c. Reſp. Herincx. In primis locum iſtum poſse intelligi de datione quoad Apoſtolatum, ut videtur colligi ex cap. 8. verſ. 9. Reſp. neg. conſeq. Quia particula (niſi) non eſt ibi exceptiua, ut ſupponit obiectio, ſed aduerſatiua, ut ſenſus ſit; Nemo perijt ex ijs, quos dediſti mihi, ſed perijt filius perditionis, quem utique mihi non dediſti. Quo ſenſu etiam dicitur Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum &c. niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*; ideſt, ſed qui ſcripti ſunt in libro vitę Agni, qui nempe non ſunt coinquinati. Et lib. 4. Reg. cap. 5. *Non faciet vltra Seruus tuus holocauſtum, aut victimam Dijs alienis, niſi Domino*, ideſt. Sed Domino.

Dices. Eccl. in Can. Miſſæ ſic per Miniſtrum precatur ab ęterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas gregi numerari. Et in orat. ſecreta feriarum quadrageſimę ſic pariter orat. Tribue quęſumus, ut uniuerſorum, quos in oratione commendatos ſuſcepimus, & omnium fidelium nomina beatę prędeſtinationis liber adſcripta retineat; quę quidem orationes, & preces ſignificant, poſse de libro aliquem prędeſtinatum deleri, & aliquem

 non

non prędeſtinatum in Electorum grege numerari.

Reſp. communiter Doctores. Eccleſiam in ſimilibus orationibus precari, & petere fidelium nomina retineri, vel numerari in libro vitæ, eò quod in executione id dependeat à libertate noſtra, & ab orationibus &c. ut teſtatur etiam D. Aug. lib. de bono perſeuer. cap.22. *Fortaſſis ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur. & accipiant eandem gratiam, qua velint eſſe, atque efficiantur Electi.*

Quæres. An numerus Prædeſtinatorum ſit maior, vel minor numero Reproborum.

Reſp. 1. Si loquamur de omnibus hominibus tam fidelibus, quàm infidelibus, certiſſimum eſt maiorem eſſe numerum Reproborum numero Prædeſtinatorum. Vnde D. Bonau. in hac quæſt. art. ultimo ait. *Plures ſunt Reprobi, quàm prædeſtinati, vt ſic appareat, quid omnibus debebatur, quia omnes ex peccato digni eramus pœna æterna,* & D. Aug. lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 46. dicit, quod ſicut grana frumenti per ſe ipſa multa ſunt, ſed in comparatione palearum, pauca; & ſicut Stellæ Cœli in ſe multæ ſunt, ſed in comparatione arenæ maris ſunt paucæ; ita Prædeſtinati per ſe conſiderati multi ſunt, ſed in comparatione damnatorum pauci.

Reſp. 2. Si loquamur de ſolis fidelibus, morientibus in fide catholica, videtur dicendum, maiorem eſſe numerum Prædeſtinatorum numero Reproborum. Prob. ex S. Scrip. Matt. 22. Inter inuitatos ad nuptias unus tantum inuentus eſt ſine veſte nuptiali, ideſt ſine charitate. In Collegio Chriſti unus ſolus Iudas inter Apoſtolos damnatus eſt; ergo in Eccleſia plures ſaluantur, quàm damnentur. Hinc Apoc. cap. 7. dicitur. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, & Matt. cap. 8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente*: ergo numerus Prędeſtinatorum eſt maior Reproborum fidelium numero. Quod etiam euidenter oſtendi poteſt diſcurrendo per partes. Certè ex infantibus, ſeù puerulis migrantibus ex hac vita ante uſum rationis maior eſt numerus decedentium cum baptiſmo, quàm ſine baptiſmo. Ex Adultis; maior pars hominum, licet mortaliter peccet, tamen ferè omnes reſurgunt, & in fine pauci ſunt, qui non pręparentur in morte per Sacramenta, & de peccatis doleant, ſaltem per attritionem, quę ſufficit cum

Sacra-

Sacramento pęnitentię, ut iuſtificentur: ergo plures in Eccleſia Dei ſaluantur, quàm pereant. Quàmquam non pauci Doctores dubitent; etenim ſiue Scripturas, ſiue corruptiſſimos Catholicorum mores attendentes, deducunt minorem eſſe Prędeſtinatorum numerum numero Reproborum.

Quæres 2. An aliquis in hac vita poſſit certò ſcire, ſe eſſe de numero Prædeſtinatorum abſque reuelatione particulari Dei. Reſp. Hæretici, & ſignanter Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 24. affirmatiuè: quod, ut probet, aſſumit quaſdam Scripturas Sacras, quas in prauum ſenſum detorquet. Prima eſt D. Pauli ad Rom. ***Spiritus S. teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei***, teſtimonium autem Spiritus S. eſt certiſſimum, ergo &c. Secunda eſt D. Ioan. 1. c. 3. ***Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare***: & paulò inferiùs ſubdit. ***Scimus, quia omnis, qui eſt in Deo non peccat: ſed generatio Dei conſeruat illum, & malignus non tangit eum***: Sed qui eſt in gratia natus eſt ex Deo, & ſemen Dei manet in eo, ergo &c.

Verùm quàm longè abeant hæretici à veritate catholica, clarè patet. Idcircò dicendum eſt, homines non poſſe eſſe certos de ſua prædeſtinatione abſque Dei reuelatione ſpeciali. Hæc eſt veritas catholica apertè tradita in S. Scrip. & præſertim Eccleſ. 9. ***Neſcit homo, an amore, vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta***. D. Paul. ad Corinth. 1. 10. ***Qui ſtat videat, ne cadat***, & ad Philip. ***Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini***; & denique definitur à Concil. Trident. ſeſſ. 16. can. 14. ***Si quis dixerit, hominem renatum, & iuſtificatum teneri ex fide credendum, ſe certò eſſe in numero Prædeſtinatorum: anathema ſit***: idem can. 16. & c. 12. ergo de fide habemus, neminem per gratiam in baptiſmate renatum eſse certum de ſua prędeſtinatione: unde Apoſt. ad Roman. 11. inquit: ***Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit***? ergo &c. Ratio theologica eſt, quia iuxta fidem nemo citra ſpecialem reuelationem poteſt eſſe omninò certus de ſua iuſtificatione, & multò minùs de ſua perſeuerantia, cum plures fideles boni, & iuſti finaliter à ſua bonitate, aut etiam fide deficiant; ergo &c.

Ad primam auctoritatem Scrip. malè allegatam, & prauè intellectam ab impio Caluino; reſp. quod vera expoſitio,

tio, & intelligentia illius, hæc eſt, quod Spiritus S. teſtificatur in cordibus fidelium, quod ſunt in gratia, ideſt inclinat eorum mentes ad iudicandum, quod ſunt in gratia, non tamen inclinat ad iudicandum, quod Spiritus S. hoc teſtificatur, & dicit; unde huiuſmodi iudicium eſt coniecturale, non autem certum.

Ad 2. reſp. cum D. Aug. qui Epiſt. 95. exponens textum D. Ioan. ait. *Non quod iuſti, & nati ex Deo non peccent, ſed iuſti, quatenus iuſti ſunt, non peccent; & quod generatio Dei, qua in illis eſt, nempe gratia, & charitas non inclinet ad peccatum, ſed potiùs à peccato reuocat*; quo ſenſu etiam intelligitur à Sancto Hieron. in 2. contra Iouinianum. *Iuſtus poteſt quidem peccare, ſed non quàmdiu ſit iuſtus, ita vt ſimul ſit iuſtus, & Filius Dei, & peccet.*

Quæres 3. An dentur aliqua ſigna noſtræ prędeſtinationis.

Reſp. Dari aliqua ſigna, & indicia, à quibus certitudine quadam morali poteſt ſcire aliquis, ſe eſſe prædeſtinatum. Varia autem, & diuerſa ſigna à SS. Patribus, & Theologis aſſignantur, & precipuè ſex. Primum eſt diligere inimicos ex Ioan. 1. 3. *In hoc manifeſti ſunt Filij Dei à Filijs Diaboli, ſi diligimus fratres*. 2. eſt patientia in aduerſis, quia patientia chriſtiana opus perfectum habet. 3. eſt deſiderare mori pro ſalute proximi, ut Moyſes, qui dicebat Exodi cap. 33. *Aut dimitte noxam populo tuo, aut dele me de libro vitæ.* 4. Eſt teſtimonium noſtræ conſcientiæ; & ſignum reprobationis eſt cordis duritia. 5. eſt verba Dei audire cum affectu, & effectu iuxta illud Chriſti *Qui, ex Deo eſt verba Dei audit*. Signum autem reprobationis, eſt ſtatim auditum verbum expellere. 6. ſignum eſt aſſiduus timor Dei; nam qui vero corde timet Deum; nihil negligit eorum, quę facienda ſunt, ut dicitur Eccleſ. cap. 7. & frequenter cogitat, & ruminat tremenda iudicia Dei. Quibus omnibus meritò à plurimis Doctoribus additur ſeptimum, velut principale, & potiſſimum prædeſtinationis ſignum; hoc autem eſt ſummus affectus, & ſingularis deuotio erga immaculatam Deiparam, Hæc enim, inquit D. Bernard. *Eſt peccatorum Scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ*; & iure quidem meritò, quia ut addit Diuus Anſelmus. *Sicut impoſſibile eſt, vt illi, à quibus oculos ſua miſericordia auertit,*

ſaluentur, ita neceſſarium eſt, vt hi, ad quos conuerti oculos ſuos pro eis aduocans, iuſtificentur, & glorificentur. Eia ergo Aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.

DISPVTATIO IX.

De Potentia, ſeu omnipotentia Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum potentia Dei ſit perfectio abſoluta, vel reſpectiua.

NOt. 1. Quod potentia Dei actiua (de paſſiua enim hic non loquimur, cum à toto genere dicat imperfectionem) eſt duplex nempe ad intra, & ad extra, prior diuiditur in relatiuam, ſeu notionalem, & in abſolutam, ſeu eſſentialem. Notionalis eſt illa, qua Perſonæ Diuinæ producuntur; abſoluta verò eſt illa, quæ competit Deo, ut Deus eſt; ac proinde cum Deitas ſit una in tribus Diuinis Perſonis, competit ipſis non ratione perſonalitatis, ſed Deitatis. Potentia D. ad extra, eſt illa, qua Deus, ut Vnus, & Trinus poteſt producere creaturas; ſeu agere ad extra; & hæc diuiditur in potentiam abſolutam, & ordinariam.

Not. 2. Quod licet omnes theologi admittant diuiſionem potentię ad extra in abſolutam, & ordinariam, diſcrepant tamen in modo eam ponendi, ſeu explicandi. Siquidem D. Thom. p. p. q. 25. art. 5. ad 1. docet, potentiam dici ordinariam, & abſolutam per reſpectum ad decreta D. voluntatis, quarè omnia ea, quæ ſequuntur ad decreta D. voluntatis, à qua ordinata ſunt ab æterno, ut fiant in tempore, dicuntur fieri de potentia Dei ordinaria; & ſic quod iuſſu Ioſue ſteterit Sol; quod B. Virgo conceperit, ſeruata virginitate, & ſimilia opera miraculoſa facta cenſentur de potentia ordinaria Dei: è contra ea quæ ab ęterno non fuerunt decreta à D. voluntate, licet non excedant ordinem communem naturæ, cuiuſmodi ſunt creatio alterius mundi, productio alicuius nouæ ſpeciei, vel indiuidui, vult D. Thom. non eſſe producibilia de potentia ordi-

ordinaria, ſed de potentia abſoluta, quatenus abſoluendo, & præſcindendo à decretis D. illa ſint producibilia, ſi in ſe conſiderentur.

Verùm Scot. in 1. d. 49. q. un. ita explicat potentiam ordinariam, & potentiam abſolutam. Potentia ordinaria eſt principium operandi aliquid iuxta communes leges illius ordinis rerum, in quo operatur, tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ. Potentia verò abſoluta eſt principium operandi, ſeu agendi ſupra, vel præter communes leges tam ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis; v. g. detinere curſum Solis; ſubſtentare accidentia ſine ſubiecto, iuſtificare peccatorem ſine gratia, & alia id genus: quæ quidem explicatio eſt communiter recepta, etiam Recentioribus Neutericis.

Not. 3. Quod quæſtio præſens in triplici ſenſu agitari poteſt. Primò. An potentia actiua Dei ſit aliquid relatiuum perſonale, ita ut uni ſoli perſonæ, vel duabus tantùm conueniat. Secundò; An conſurgat ſolum ex tribus relationibus diuinis, adeòut, licet nullius perſonę in particulari ſit propria, ſed omnium, illis tamen conueniat ratione ralationum perſonalium. Tertiò deniquè An, quàmuis potentia dicat aliquod abſolutum, & tribus Perſonis commune, importet etiam ipſas relationes perſo. narum; itaut ex perfectione abſoluta, & ex tribus relatiuis conſtituatur. In hac re error fuit Petri Abay lardi, ut refert. D. Bernard. epiſt. 190. ad Innocent. Pontif. aſſerenrentis potentiam Dei, ſolius eſſe Patris æterni; tribuebat enim Omnipotentiam patri, Semipotentiam Filio, & Spiritui S. nullipotentiam.

Conc. Potentia Dei adęquatè conſtituitur per abſolutum, ac proinde eſt, perfectio abſoluta tribus Perſonis cōmunis, & cuiuſque Perſonæ æquè propria. Hęc eſt Scoti in p. & in 2. d. 1. q. 1. & in quol. & eſt communis. Prob. Si potentia Dei conſtitueretur per relationes perſonales, ſequeretur quod nulla Perſona D. eſſet ex ſe ſimpliciter omnipotens, ſed ſolæ tres ſimul, & per modum unius ſumptæ; at hoc eſt abſurdum, immò erroneum in fide, quia nulla Perſona dici poſſet reuerà omnipotens, cuius oppoſitum Eccleſia catholica fatetur in ſymbolis fidei, ergo &c.

Confirmatur. Nàm potentia Dei verè, & proprie eſt

una, ſed ſi per relationes perſonales, quæ ſunt tres conſtitueretur potentia D. non eſſet reuerà una, ſed plures, eſtò inadęquatè: ergo potentia Dei non conſtituitur, neque adęquatè completur per relationes perſonales: mai. patet ex 6.Synodo generali act.4. in Epiſt. Agathonis: Prædicamus, inquit, Sanctam Trinitatem unius eſſe eſſentiæ, voluntatis, virtutis, & operationis.

Arg. 1. contra concl. In pſal.105. habetur ſic. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* ex quibus verbis videtur poſſe inferri potentias Dei eſſe plures: ergo &c. Reſp. nomine potentiarum non ſignificari ipſam virtutem Diuinam, quæ productiua eſt creaturarum, ſed ſignificari effectus ipſos potentiæ D. Quaſi dicere velit Regius Proph. Quis ſermone complectetur omnia opera, quę Deus ſua mira virtute producit?

Arg,2. Potentia D.petit eſse in tribus perſonalitatibus; ergo illæ requiruntur ad creaturarum productionem. Prob. conſ. Quæ requiruntur ad eſſe rei, exiguntur etiam ad illius operationem; ſed relationes requiruntur ad eſſe Trinitatis: ergo & ad illius operationem: mai. eſt clara: min. prob. Etenim ſi Deus non eſſet trinus, ſed unus in Perſona non poſſet operari ad extra, teſte D. Athanaſio orat. 3. contra Arianos, ubi ait. Eſſe impoſſibile, quòd creaturæ eſſent, ſi Verbum D. non eſſet; illius verba ſunt. *Creaturas certe impoſſibile erat ſine Verbo fieri atque adeo per ipſum facta ſunt*: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. ad prob. diſting. mai. quę requiruntur ad eſſe, exiguntur etiam ad operationem, tanquam principium actiuum in creaturas influens nego, tanquam quid neceſſariò præexactum conc. mai. & ſic pariter diſtinguitur min. de qua redibit ſermo in part. 2. in diſp. de creatione. Vnde pro nunc ad D. Athanaſium dicimus, ipſum loqui de facto, ſicuti reuerà eſt; at data hypotheſi nempè, quod Deus eſſet una ſola Perſona, adhuc poſſet operari ad extra; ut latè oſtendetur in diſp. cit.

QVÆ-

Vtrum Diuina potentia conſiſtat in reſpectu reali tranſcendentali ad creaturas poſſibiles.

NOt. Quod nomine reſpectus realis hic intelligimus illum, qui ità connectitur ſuo termino, ut hoc deficiente, eo ipſo per locum intrinſecum, & ille deficiat. Quærimus ergo, an potentia actiua Dei formaliter conſiſtat in huiuſmodi reſpectu ad poſſibilia. Non deſunt graues Theologi, tam Thomiſtæ, quàm Neuterici, qui partem affirmatiuam tueri conantur; quorum fundamenta in parte argumentatiua adducentur: at iuxta Scot. ſit.

Concl. Diuina potentia non conſiſtit in reſpectu reali ad creaturas. Eſt Scoti in 1. d. 30. q. 2. & videtur communis etiam extra noſtram Scholam. Prob. primò. Deo tribuendum eſt illud, quod eſt omnium perfectiſſimum, ſi poſſibile ſit, & ex nullo capite repugnet, ſed eſſe omnium perfectiſſimum eſt illud, quod ita eſt abſolutum à creaturis poſſibilibus, quæ, etſi eſſent impoſſibiles, adhuc ipſum eſſe maneret cum eadem omninò perfectione, quam de facto habet, ergo ſi tale eſſe ſit poſſibile, ſicut reuerà eſt, tribuendum eſt Deo, & conſequenter Deus nequit dicere reſpectum realem ad creaturas poſſibiles.

Prob. 2. Si Deus diceret reſpectum realem ad creaturas poſſibiles per ſuam potentiam actiuam, penderet ab illis, ac proindè eſſet illarum indigens, ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. Prob. ſequela; eò quia pendere ab alio, ac eo indigere, non eſt aliud, quàm non poſſe eſſe ſine illo; ſed ſi Deus diceret reſpectum realem ad creaturas poſſibiles, non poſſet eſſe ſine creaturarum poſſibilitate, ergo Deus ab illis penderet, atque eſſet illarum indigens: mai. pat. min. prob. Quod ad aliud refertur, eſt ita cum illo connexum, & ita illud poſtulat eo modo, quo ad aliud refertur, ut ut implicet contradictionem eſſe ſine illo, ac proinde utrumque neceſſariò debet eſſe, adeoùt per locum intrinſecum ablato uno, & aliud auferri neceſſe ſit; at ut Deus ſit, nullam creaturam poſſibilem ex ſui natura neceſſariò poſtulat, cum nulla creatura poſſibilis ſit æqualis neceſſitatis cum Deo, nec aliqua ablata tollitur Deus per locum

intrin-

intrinſecum: ergo Deus non dicit reſpectum realem ad creaturas poſſibiles.

Confirmatur. Magis neceſſarium eſt Deum eſſe, quàm poſſe eſſe creaturam; creatura namque poſſibilis ſupponit Deum, adeòut hæc ſit vera. Quia Deus eſt, non implicat contradictionem eſſe creaturam, non vero e contra: ergo Deus cum ſit magis neceſſarium non dependet à poſſibilitate creaturæ, quæ eſt minus neceſſarium. Planè magis neceſſarium non poteſt habere ex natura rei neceſſariam connexionem cum minùs neceſſariò, aliàs eſſent æqualia.

Arg.1. contra conc. Si potentia Dei non conſiſteret in prædicto reſpectu, ſequeretur quod ablatis per impoſſibile creaturis poſſibilibus, non deficeret Dei omnipotentia actiua, ſed conſequens eſt falſum; ergo & ant. Prob. min. Ablato termino cuiuſcunque potentiæ, aufertur neceſſariò per locum intrinſecum potentia ipſa: unde ſi per impoſſibile non poſſet dari aliquid viſibile, nec etiam daretur potentia viſiua; ergo ſi per impoſſibile auferetur omnis creatura poſſibilis, auferetur etiam neceſſariò omnis potentia Dei; Nàm ſi ablatis creaturis poſſibilibus maneret in Deo potentia actiua de facto exiſtens, ſequeretur, quod daretur in Deo potentia ad impoſſibilia; quod ſanè dici nequit.

Reſp. conc. ſequel. mai. & neg. min. ad probat. diſting. ant. in creaturis conc. in Deo neg. ant. Ratio, quia creaturæ, cum ſint finitæ, & limitatæ ità cum ſuis obiectis, ſeù terminis connectuntur, ut nulla ratione poſſint ſine illis conſiſtere: ſecùs autem de Deo, qui cum ſit infinitæ perfectionis, eius potentia actiua ita eſt infinita, ut nulla ratione connectatur cum ſuo termino, ſed eſt ab eo penitùs abſolutus una cum omnibus ſuis perfectionibus.

Ad illud, quod ſubditur in fine argumenti dicimus, quod Deus, cum in ſe ipſo ſit omnipotens, non poſtulat hanc, vel illam naturam creari poſſe, ſed ut in ſe ipſo ſit talis virtutis, ut ſi aliqua creatura non implicet contradictionem, eam poſſit producere: quod autem producere nequeat ea, quæ contradictionem implicant nil perfectionis amittit omnipotentia Diuina, ut patet de chimeris; quod enim contradictionem implicat, extra omnipotentiam eſt.

Arg. 2. Si ablatis creaturis poſſibilibus, maneret in Deo potentia, & de facto eſſet, ſequeretur quod potentia Diuina foret otioſa, quod eſt abſurdum; ergo &c. Reſp. neg. ſequelam ant. Etenìm potentia D. non eſſet otioſa, quia tribueret Deo, quod eſſet cum ea perfectione, quæ Deitati competit. Quarè tribueret Deo, quod poſſet creaturas producere ſi eſſent poſſibiles; quod ſi per impoſſibile, eſſent improducibiles, id perfectò proueniret non ex parte Dei, ſed solùm ex parte creaturarum, quæ eſſent impoſſibiles, ut patet de chimęris.

Arg. 3. Ablata à Deo continentia eminentiali, qua dicitur continere creaturas; non poteſt non tolli potentia productiua Dei, ſed ablata creaturarum poſſibilitate, tollitur continentia eminentialis; ergo & potentia actiua: mai. patet, quia continentia eminentialis non eſt aliud, quàm virtus productiua rei, quæ contineri dicitur; min. pariter eſt clara: non enim poteſt in Deo contineri eminenter id, quod eſt omninò repugnans; aliàs chimęra contineretur in Deo eminenter.

Reſp. neg. min. & ratio eſt, quia continentia eminentialis duo importat, primum eſt virtus ipſa productiua rei, quæ contineri dicitur. Secundùm eſt, quod res ipſa ex ſe nullam dicat repugnantiam. Quarè ut dicatur non dari continentiam eminentialem, ſatis eſt, ut alterum deficiat. Vel reſp. diſt. min. tolleretur continentia eminentialis, hoc eſt, poſſibilitas creaturarum conc. potentia Dei abſoluta, quæ eſt eius infinita perfectio, nego min. Etenim in tali caſu non daretur continentia eminentialis; non quidem quia non daretur in Deo eadem virtus actiua, quæ de facto datur, ſed quia tolleretur non repugnantia ex parte ipſius creaturæ, hoc eſt poſſibilitas.

Contra. Si ablata Creatura. e. g. Angelo quoad eſſe poſſibile, adhuc in Deo maneret virtus productiua illius, ſequeretur, quod Deus eodem modo ſe haberet erga res impoſſibiles, ac poſſibiles, ſed hoc ex terminis videtur falſum: ergo &c.

Reſp. quod Deus, quantùm eſt ex parte ſui in tali hypotheſi eodem modo ſe habet erga creaturas poſſibiles, ac impoſſibilia. Quarè diſcrimen repetendum eſt ſolum ex partè creaturarum; quæ ſi ex natura ſua implicantiam, &

repu-

repugnantiam dicant, ut chimeræ nequeunt producere; ſecùs autem ſi nullam dicant repugnantiam; ut oſtenſum fuit in quęſtione de poſſibilitate,& impoſſibilitate rerum. Addi etiam poteſt, quod ſicut chimeræ modo nullum prę-iudicium afferunt diuinæ omnipotentiæ, cuius obiectum adæquatum eſt poſſibile; ita in tali hypotheſi nil læderet, aut omnium creaturarum impoſſibilitas de potentia Dei abſoluta demeret.

QVÆSTIO III.

Vtrum potentia D. diſtinguatur ab intellectu, & voluntate Dei, immò & ab eſſentia velut ſpeciale attributum.

NOt. Quod circa præſentem quæſtionem diuerſimodè ſentiunt Doctores. Etenim quidam aſſerunt, potentiam Dei eſſe formaliter eius eſſentiam; Quidam in actu intellectus eam reponunt. Quidam in actu intellectus,& voluntatis ſimul eam conſtituunt, ex quibus coaleſcit unum integrum, & completum principium. Verùm omiſſis recenſitis opinionibus, producam ſententias celebriores, quæ ſunt Thomiſtarum, & Scotiſtarum. Siquidem D. Thom. cum ſuis in in p. q. q. 25. putat, potentiam Dei eſſe proprium Dei attributum diſtinctum ab intellectu,& voluntate; ſic enim art. 1. ad 4. expreſsè docet. Potentia diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, ut principium exequens à dirrigente, & imperante, ità quod intellectus ſit potentia, quæ ex poſſibilibus dictet, bonum eſſe, quod hæc fiant, & iſta non fiant; & voluntas imperet, & decernat, illa eſſe futura, iſta non. Potentia verò tanquam tertium principium exequatur, quod voluntas decreuit. Vndè admittit triplicem cauſam rerum factibilium ad extra, inter ſe diſtinctarum virtute, & eminenter, videlicet intellectum ut cauſam dirrigentem, voluntatem ut cauſam operantem,& potentiam ut cauſam exequentem. Scotus verò in 1. d. 37. q. un. cenſet, potentiam proximam, & adæquatam ad extra eſſe ſolam Dei voluntatem, quem præter Scotiſtas, ſequuntur Caiet. p. q. q. 25. art. 1. Ferrarienſis lib. 2. contra gentes cap. 10. Molina p. q. q. 25. art. 1. d. 2. & quamplures alij.

Concl. Potentia D. ad extra non conſiſtit formaliter in eſſentia D. neque in intellectu, neque eſt ſpeciale attributum diſtinctum à voluntate; ſed eſt ipſamet voluntas D. ſub ratione actus ſecundi; etſi quidam Scotiſtæ, ſignanter Poncius velit eſſe voluntatem ſub ratione actus primi. Eſt Scoti loc. cit. Prob. 1. auctoritate S. Scrip. exprimentis productionem creaturarum per mandatum i quod indubiè ad voluntatem ſpectat. Gen. 1. *Dixitquè Deus, fiat lux, & facta eſt lux* Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*. Apoſt. ad Epheſ. 1. *Qui operatus omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: & pſal. 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit*.

Prob. 2. auctoritate SS. Patrum, & præſertim D. Ath. ſer. 4. contra Arianos dicentis: *Deus ſolo nutu voluntatis agit*: D. Leonis ſer. 2. de natiuit. *Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia*: & ita loquuntur D. Aug. & quamplures alij: ergo &c.

Prob. rat. quoad 1. partem, nempe potentiam formaliter non conſiſtere in D. eſſentia. Ratio Potentiæ actiuę iuxta communem intelligendi modum eſt poſterior eſſentia, vt patet in creatis, maximè in anima, cuius potentię, ideſt intellectus, & voluntas, ſunt poſteriores ipſa animę eſſentia; ergo pari ratione diſcurrendum videtur de eſſentia D. & eius perfectionibus, ſecluſo tamen omni defectu.

Prob. ampliùs. In Deo potentia productiua ad intra diſtinguitur ab eſſentia D. cum Verbum D. & Spiritus S. non producantur propriè ab eſſentia D. ſed ab intellectu, & voluntate, quæ ſunt principia formalia productionum ad intra; ergo potentia agendi ad extra non eſt eſſentia formaliter, neque intellectus, eſtò intellectio præuia requiratur in Deo, ut agente libero, ſed voluntas, qua Deus liberè agit ad extra; qua quidem ratione remanet concluſio probata etiam quoad intellectum, & voluntatem. Quarè ſupereſt oſtendere, quod potentia non ſit ſpeciale attributum diſtinctum à voluntate, ut volunt Thomiſtæ. Prob igitur breuiter, & clarè. Huiuſmodi potentia diſtincta à voluntate ſe habet velut potentia tertia executiua: ſed potentia executiua diſtincta à voluntate D. dicit in Deo imperfectionem: ergo &c. Prob. min. potentia executiua, ſi poneretur in Deo, eſſet quodammodò paſſiua re-

ua reſpectu voluntatis imperantis; etſi eſſet actiua reſpectu ſui obiecti: ergo talis potentia in Deo dicit imperfectionem.

Præterea. Nullum perfectum indiget ad ſui actionem aliquo inſtrumento à ſe diſtincto ex natura rei: ſed voluntas D. eſt principium infinitè perfectum, potentia autem executiua ſi diſtinguatur à voluntate eſt quaſi inſtrumentum voluntatis, inſtar exequentis imperium alicuius: ergo talis potentia executiua non eſt in Deo admittenda.

Arg. 1. auctoritate Scoti contradicentis poſitioni concluſionis. nempe quod voluntas quatenùs eſt ſub actu ſecundo ſit potentia operandi ad extra. Doctor in 1. docet productionem competere actui primo; ergo voluntas dicitur potentia ſub ratione actus primi, & non ſub ratione actus ſecundi.

Reſp. Doctorem loqui de productione ad intra, non verò de productione ad extra. Verbum enim Diuinum non procedit ab ipſa intellectione Patris, cum ſit ipſa intellectio notionalis, ſeù genita, ſed procedit immediatè ab intellectu fæcundo Patris, ideſt ab intellectu, ut principio productiuo, & ab eſſentia D. ut obiecto intelligibili.

Arg. contra 1. partem. Omnipotentia competit Deo, quatenus eſt infinitus in omni genere entis; & quatenus continet eminenter perfectiones omnium creaturarum; quod non competit voluntati, vel ſimili attributo, quæ ſunt infinita ſolùm formaliter in ſuo genere, ergo potentia, ſeu omnipotentia rectè conſtituitur in eſſentia D.

Reſp. neg. conſ. & ratio eſt. Quia ex antecedente ſolùm ſequitur, eſſentiam eſſe radicaliter potentem agere, non tamen ipſam eſſe formaliter principium proximum, qualiter ſe habet potentia, ſeu omnipotentia.

Arg. 2. Volitio eſſentialis Dei terminatur etiam ad ipſum Deum, nec non ad D. Perſonas, & per ſimplicem complacentiam ad res merè poſſibiles; ergo voluntas ſub ratione actus ſecundi, ideſt volitionis nequit dici potentia, ſeu omnipotentia. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Nam ex antecedenti ſolùm ſequitur, volitionem diuinam vt volitionem ſe extendi ad plura, quàm inquantùm habet rationem potentiæ. Vnde volitio eſſentialis inadequatè concepta dicitur omnipotentia, ſeu potentia, quæ quidem diſtin-

diſtinctio voluntatis inadæquatè conceptæ ſufficit, vt omnipotentia Dei numeretur tanquam ſpeciale attributum.

Contra. Potentia debet ineſſe naturaliter, & neceſſariò ei, cuius eſt potentia; ſed volitio non ineſt Deo naturaliter, & neceſſariò, ſed liberè: ergo volitio, ſeu voluntas ſub volitione nequit dici potentia. Reſp. conc. mai. & diſting. min. Volitio Dei, ſeu actus eſſentialis D. voluntatis in ſe abſolutè conſideratus, non ineſt Deo naturaliter, & neceſſariò, nego: actualis terminatio libera ad creaturam faciendam non ineſt naturaliter Deo, conc. ſemin. Itaque primò modo habet rationem potentiæ at ſecundò modo eſt quaſi applicatio D. potentiæ ad operandum.

Cæterùm ea, quæ poſſunt obijci pro ſententia Thomiſtarum adſtruentium potentiam executiuam in Deo, videantur in part. 2. diſp. 1.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnipotentia Dei naturali ratione abſque lumine fidei demonſtrari poſſit.

Not. 1. Quod licet potentia infinita Dei, & omnipotentia materialiter coincidant, & communiter vnum pro alio vſurpetur; in doctrina tamen Scoti, & ex modo ſignificandi differunt in hoc; quòd potentia infinita ſolùm poſtulet, quod Deus poſſet facere omne id, cuius productio non importat imperfectionem in faciente, & omnipotentia exigat, quod agens poſſit facere quicquid eſt factibile, ſiue imperfectionem ſupponat, ſiue non. Vnde omnipotentia latiùs patet potentia infinita, quia omnipotentia dicit reſpectum ad omne factibile abſolutè; vt conſtat ex vi nominis; potentia verò infinita reſpicit tantum id, quod fieri poteſt ſine imperfectione agentis.

Not. 2. Quod Scotus tractat hanc quæſtionem diffusè tam in 1. d. 42. q. 1. quàm in quol. 7. & quidem in p. §. hic reſpóderi poſſet diſtinguendo, ita diſcurrit. Etenim omnipotens, aut poteſt dici agens, quod poteſt in omne poſſibile mediatè, vel immediatè, & hoc modo eſt potentia actiua Pri-

ua Primi Efficientis omnipotentia, prout extendit ſe ad omnem effectum in ratione cauſæ proximæ, vel remotæ: Et ſi naturaliter poſſit concludi eſſe aliquod primum efficiens, ſicut oſtenſum eſt ſupra d. 2. naturaliter etiam poteſt concludi illud eſſe omnipotens hoc modo loquendo. Alio modo accipitur omnipotens propriè theologicè, prout omnipotens dicitur, qui poteſt in omnem effectum immediatè, & in quodcunque poſſibile, hoc eſt in quodcunque quod non eſt ex ſe neceſſarium, nec includit contradictionem; ita inquam, immediatè, quod ſine omni cooperatione cuiuſcunque alterius cauſæ agentis: & hoc modo omnipotentia videtur eſſe credita de Primo efficiente, & non demonſtrata; quia licet Primum efficiens habeat in ſe potentiam effectiuam eminentiorem potentia cuiuſcunque alterius cauſæ effectiuæ, habeat etiam in ſe eminenter potentiam effectiuam cuiuſcunque alterius cauſæ, ſicut deductum eſt diſt. 2. & per hoc probatum eſt, eum habere potentiam infinitam; & iſtud quaſi ſit ultimum, ad quod ratio naturalis potuit attingere de Deo cognoſcendum; tamen ex hoc non videtur poſſe concludi omnipotentia ſecundùm iſtum intellectum, quia, etſi verum ſit, non tamen eſt manifeſtum naturali ratione: Quod habens cauſalitatem eminenter in ſe, & cauſalitatem cauſæ ſecundæ eminentius, quàm illa cauſa ſecunda habeat reſpectu ſui effectus; poſſet immediatè in effectum immediatum cauſæ ſecundæ; ordo enim, ſupple eſſentialis cauſarum ſuperiorum, & inferiorum hoc non concludit, quia, etſi Sol haberet in ſe cauſalitatem eminentiorem, quàm habeat Bos, vel aliud Animal; non tamen concederetur Solem immediatè poſſe generare Bouem, ſicut poteſt cum Boue immediatè generare: hactenus Scotus.

Cæterùm in quol. cit. ſ. de tertio reſpondendo pro Phyloſopho, explicat, quod dum dicitur immediatè, duo dico, ideſt cauſationem, & illa requirit perfectionem; & modum, ſiuè immediationem cauſandi, & ille requirit imperfectionem annexam, ergo ad immediatè cauſandum requiritur imperfectio; non ſicut ratio cauſandi, ſed ſicut conditio neceſſaria in Agente. Vbi enim eſt ordo eſſentialis, ibi non poteſt aliquid eſſe proximum imperfectiſſimo, niſi ipſum ſit aliqualiter imperfectum; & paucis in-

teriectis, concludit ſic. Ex quo patet, quod iſtam propoſitionem negaret Phyloſophus: Perfectior cauſa immediatiùs cauſat, intelligendo per immediatiùs excluſionem cauſæ propinquæ actiuæ.

Not. 3. pro maiori intelligentia doctrinæ in 2. notabili allatæ, quod obiectum omnipotentiæ eſt poſſibile, ad impoſſibile namque, cum ſit nihil, eſt nullipotentia. Verùm poſſibile communiter ſumptum, quod etiam dicitur poſſibile logicum; ſeù metaphyſicum opponitur impoſſibili; ac proindè eſt id, quod non includit contradictionem; quo ſenſu etiam Deus eſt poſſibilis. Poſſibile autem ſtrictè, quod phyſicum vocari ſolet, eſt terminus potentię actiuę, & coincidit cum contingenti, quod poteſt eſſe, & non eſſe, ac proindè opponitur non ſolum impoſſibili, ſed etiam enti neceſſario; & hoc poſſibile eſt obiectum adæquatum omnipotentiæ.

I. Concl. Eſt de fide, Deum eſſe omnipotentem. Hæc concluſio conſtat manifeſtè ex Sac. Scrip. Gen. 17. *Ego Deus omnipotens*. Exodi 25. *Omnipotens eſt nomen eius*. Eccleſ. 1. *Vnus eſt altiſſimus creator omnium omnipotens*. Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia*, & in pluribus alijs locis. Idem docent Sacra Concilia, & Ss. Patres. Prob. ratione: Potentia debet proportionari eſſentiæ, ſed eſſentia Dei eſt infinita: ergo potentia eius eſt infinita; ac proindè Deus eſt omnipotens reſpectu cuiuſcunque cauſabilis tam mediatè, quàm immediatè.

II. Conc. Omnipotentia Dei, ſeù eius potentia infinita reſpectu cuiuſcunque cauſabilis, immediatè eſt in ſe demonſtrabilis à priori; à Phyloſopho verò, ſeù ſola ratione naturali non eſt demonſtrabilis neque a priori, neque à poſteriori. Eſt Scoti loc. cit.

Prob. 1. pars ex Scoto. Illud eſt verum demonſtrabile à priori, quod ex terminis ſuis habet, quod ſic poſſit demonſtrari per aliud verum ſimpliciter priùs: ſed Deum eſſe omnipotentem mediatè, & immediatè ità ſe habet: ergo &c. Prob. min. Illud verum, quod ex terminis ſuis eſt neceſſarium mediatum, ex terminis eſt demonſtrabile propter quid, ſed huiuſmodi eſt iſtud verum, quia eſt verum neceſſarium, & mediatum: ergo &c. Prob. min. Omne verum neceſſarium, vel eſt mediatum, vel immediatum: ſed

ſed Deum eſse omnipotentem non eſt verum immediatum, quia notionale priùs conuenit eſſentiæ, quàm illud, quod dicit reſpectum ad extra; ergo cum omnipotentia dicat reſpectum ad extra, ac proindè ſit quid poſterius, poteſt à priori demonſtrari in ſe conſiderata.

Prob. 2. pars. Propoſitio mediata non poteſt cognoſci propter quid, niſi per immediatam propriam, & iſta nequit cognoſci niſi ex terminis, & ſpecialiter niſi ex terminis ſubiecti, quod ſcilicet ſubiectum includit prædicatum, & propter hoc includit veritatem, ſiue notitiam illius mediatæ: ergo cum viator ex naturalibus nequeat habere conceptum de ſubiecto virtualiter, & euidenter includentem totam illam coordinationem, non poteſt demonſtrare à priori, nec à poſteriori Deum eſſe omnipotentem.

Prob. Scot. quol. cit. alia clariori ratione ſic. Viator habens conceptum ſimplicem, & perfectiſſimum, ad quem attingit homo ex naturalibus, non tranſcendit cognitionem perfectiſſimam ſimplicem de Deo poſſibilem metaphyſico: cognitio enim fidei non tribuit conceptum ſimplicem de Deo, ſed tantummodò inclinat ad aſsentiendum quibuſdam complexis, quæ non habent euidentiam ex terminis ſimplicibus apprehenſis, & per conſequens per fidem non habetur conceptio ſimplex tranſcendens omnem conceptum ſimplicem apud Metaphyſicum. Nunc autem conceptus ſimplex perfectiſſimus, ad quem attingit Metaphyſicus de Deo, non includit euidenter veritates ordinatas ad iſtam: Deus eſt omnipotens utroque modo, ideſt, quod ſit cuiuſcunque creabilis immediatè, vel mediatè; & alio modo, quod ſit cuiuſcunque creabilis immediatè, immediatione cauſæ, hoc eſt, nulla alia cauſa actiua mediante. Quia Phyloſophi multi attingentes, ut ſupponitur, conceptus perfectiſsimos poſſibiles viatori ex naturalibus de Deo ad notitiam huius veritatis attingere non potuerunt: quod tamen fuiſset eis poſsibile, ſi talem conceptum ſimplicem habuiſsent; immò fuiſset eis quaſi neceſsarium; quia ex virtute illius vidiſsent illam veritatem quaſi immediatam, & ulterius applicando per illam, ex iſta neceſsaria deductione ſciuiſsent veritatem illam mediatam; hæc Scotus, quæ volui ad litteram tranſcribere, ut videatur, quam profunda ſit præſens quæſtio, etiã

 pri-

prima fronte facilis appareat. Ex qua doctrina rectè infertur, quod ſola ratione naturali nec à poſteriori demonſtrari poteſt omnipotentia in ſenſu theologico, cum Phyloſophi, teſte Scoto ℱ. ſecundum quol. cit. videantur ſentire non ſolùm, quod non ſit demonſtrabile Deum eſse omnipotentem immediatè, ſed etiam, quod hoc ſit impoſſibile, innixi huic fundamento: Principium neceſsarium, & omninò perfectum ad nihil immediatè contingenter ſe habet; in hoc enim errabant, ponentes, Deum agere de neceſſitate naturæ, ac proindè ſecundum ultimum de potentia produxiſse ab æterno quicquid producere potuit. Verùm in ſenſu phyloſophyco probari poteſt omnipotentia à poſteriori, nempe ratione Primę cauſæ, à qua cauſæ omnes ſecundę dependent in eſse, & operari; ut docet Scot. quol. cit. ℱ. quinta conc.

III. Conc. Deum eſse omnipotentem utroque modo, ut ſupra explicato, demonſtrari poteſt propter quid a Viatore lumine fidei perluſtrato. Probat ſic Scot. quol. cit. ℱ. ſecunda concluſio. In quocunque intellectu poteſt haberi conceptus ſimplex virtualiter includens veritatem immediatam, & ulteriùs mediatam in illo intellectu poteſt haberi notitia propter quid veritatis mediatæ: ſed à viatore fideli poteſt haberi conceptus virtualiter includens iſtam: Deus eſt omnipotens, & etiam virtualiter inincludens ſuam immediatam præcedentem: ergo à Viatore fideli poteſt demonſtrari à priori Dei omnipotentia: min. pat. quia Viator fidelis poteſt habere conceptum de Deo virtualiter includentem omnes veritates neceſsarias mediatas, & immediatas, qua ratione Theologia poteſt eſse ſcientia in intellectu Viatoris fidelis.

Arg. contra 1. conc. probando Deum non eſse omnipotentem in ſenſu theologico, ſed in ſenſu phyloſophico dumtaxat. Deus agit ad extra de neceſſitate naturæ; ergo Deus non eſt omnipotens immediatè, ſeù theologicè, ſed ſolum phyloſophicè.

Prob. ant. Agens de neceſſitate naturæ, ſeu neceſſarium eſt perfectius agente contingenti: ſed Deus eſt Agens perfectiſſimum; ergo Deus eſt agens de neceſſitate naturæ.

Prob. mai. In omnibus diuiſionibus entis unum diuidens eſt perfectum, & alterum imperfectum, & extrema

illa, quæ ſunt perfecta in diuerſis diuiſionibus, aut neceſſariò ſe concomitantur, aut ſe compatiuntur, ut patet de ente, quod per finitum diuiditur, & per infinitum, per neceſſarium, & poſſibile, per actum, & potentiam; Vnde actus, neceſſitas, infinitas, aut neceſſariò ſe concomitantur, aut compatiuntur; ergo cum in diuiſione entis per cauſam, & cauſatum cauſa ſit perfectius extremum, concomitabitur cum eo quodcunque perfectius diuidens ens, vel poterit cum eo ſtare, & per conſequens ſtat cum cauſa prima. Reſp. neg. ant. & pariter negatur probationis mai. nam neceſſarium eſt perfectior conditio, ubi eſt poſſibilis, ſed rationi primæ cauſæ, ut cauſa, eſt incompoſſibilis; & cum probatur. In omnibus diuiſionibus entis &c. reſpondetur: quod omnia perfectiora diuidentia ens concomitantur ſe, verificatur de diuidentibus, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter ad ſe, ut actus infinitas, & huiuſmodi, non verò de illis, quæ dicunt reſpectum ad extra, quia habere neceſſariam habitudinem non eſt perfectionis, cum non ſtet cum perfecta neceſſitate.

Arg. 2. Aliqua cauſa neceſſariò cauſat; ergo prima cauſa neceſſariò cauſat, ac proinde nequit eſſe omnipotens in ſenſu theologico ant. videtur manifeſtum, quia multæ cauſæ naturales neceſſariò cauſant: conſequentia probatur. Eò quia in eſſentialiter ordinatis poſterius non poteſt habere neceſſitatem, niſi prius ſit neceſsarium: ſed connexiones cauſatorum ad ſuas cauſas ſunt eſsentialiter ordinatæ: ergò nulla talis connexio eſt neceſſaria niſi illa, quæ eſt primi cauſati ad primam cauſam ſit neceſſaria.

Reſp. neg. conſ. (non curo modo de antecedente) ad probat. tranſeat mai. & neg. min. Etenim in cauſis nulla eſt connexio cauſæ, & cauſati ſimpliciter apud Theologum, ſed tantum ſecundum quid, cum prima cauſa non cauſet de neceſſitate naturæ, ratione cuius ponebatur à Philoſopho connexio neceſſaria, & ordo eſſentialis inter cauſas, ſed cauſat liberè, & contingenter ad extra. Quod autem attinet ad cauſas naturales neceſsariò cauſantes, talis neceſſitas eſt tantùm in ordine ad ipſas cauſas naturales, ſiquidem in ordine ad Deum omnes cauſæ, omneſque effectus ſunt abſolutè contingentes, ut dictum eſt in diſp. de ſcientia D.

Arg. 3. contra conc. 2. Probando, quod ratione naturali poſſit demonſtrari, Deum eſse omnipotentem. Naturali ratione probatur, Deum eſse potentiæ infinitæ, ut probat Ariſt. 8. phyſ. & 12. meta. ſed potentia infinita eſt omnipotentia: ergo &c. Prob. min. Notum eſt, potentia infinita non poſse aliquam aliam maiorem excogitari ſine contradictione; quacunque autem potentia, quæ non eſt omnipotentia, poteſt excogitari maior ſine contradictione: ergo &c.

Reſp, ex Scoto in 1. diſt. cit. neg. min. ad probationem diſtinguo ant. Non poteſt excogitari maior potentia infinita intenſiuè, conc. extenſiuè hoc eſt omnipotentia tam mediatè, quàm immediate potens producere, ut ſatis oſtenſum eſt ſupra, neg. ant.

QVÆSTIO V.

Vtrum D. omnipotentia ſe extendat ad impoſsibilia.

NOt. Quod triplex eſt impoſſibile. Primum dicitur impoſſibile ſimpliciter, & abſolute, cui videlicet repugnat eſse, ut chimera. Aliud eſt impoſſibile per accidens, quod ſecundùm ſuam naturam eſt poſſibile, ſed ratione alicuius accidentis eſt impoſſibile; ſic præteritum ſecundùm id, quod eſt, impoſſibile eſt non fuiſse; cum non fuerit neceſsariò, ſed ratione præteritionis præteritum in quantum præteritum impoſsibile eſt non fuiſse. Tertium eſt impoſsibile ſecundùm quid, & dicitur omne id, quod non ſubeſt potentiæ creatæ ob eius limitationem, ut Virginem parere, mortuum reſurgere, & huiuſmodi, quæ ſunt impoſsibilia naturæ, & potentiæ limitatæ.

I. Conc. D. Potentia nequit facere impoſsibile ſimpliciter, bene tamen impoſsibile ſecundum quid. Eſt omnium Theologorum. Prob. 1. pars. Deus non poteſt facere, contradictoria ſimul eſse vera; ſic enim falſificaretur primum principium, in quo fundatur omnis doctrina; ſed omne tale impoſsibile includit contradictionem: ergo &c. minor patet, quia omne tale includit partes ſibi inuicem formaliter repugnantes. Quarè ratio impoſsibilitatis non ſe tenet ex parte Dei, ſed ex parte obiecti; ac proinde,

quod

quod non poſsit fieri id, quod dicit contradictionem, nil derogat D. omnipotentiæ.

Prob. 2. pars. D. potentia eſt infinita, & illimitata; ergo ea multa; quę ſunt impoſsibilia ſecundùm quid ob limitationem virtutis, à potentia infiniia fieri poſsunt.

II. Conc. Potentia D. non poteſt facere, quod eſt impoſsibile per accidens, puta præteritum non fuiſse. Eſt communis. Prob. Præteritum fuiſse, & non fuiſse dicit contradictionem; ſed Deus ex dictis non poteſt facere id, quod dicit contradictionem: ergo nec poteſt facere præteritum, ut præteritum non fuiſse; Vnde Ariſt. lib. 5. Eth. ait. Hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt; & D. Hieron. ad Euſtoch. epiſt. 22. dicit. *Cum Deus poſsit cætera, non poteſt facere de corrupta Virginem*; hoc eſt, non poteſt facere de corrupta, quin fuerit corrupta, poteſt tamen reparare virginitatem, ſeu integritatem, tam carnis, quàm mentis.

Arg. contra 1. partem conc. D. Baſilius in lib. de fide inquit. *Plus poteſt Deus facere, quam tu potes intelligere*; ſed ab intellectu humano intelligi poteſt impoſsibile, puta chimęra, ergo Deus poteſt producere impoſsibile ſimpliciter.

Reſp. D. Baſil. intelligendum eſse de intellectu creato non fingente, & errante, ut ſe habet in fingendo chimęram; ſed de intellectu ſecundùm veram rationem diſcurrenti; ut patet per verbum Angeli dicentis. Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum; Verbum namque importat intellectionem veram, & contradictoria non includens.

Arg. 2. Illud eſt potentius, cui nihil omninò eſt impoſsibile, quàm cui aliquid eſt impoſsibile, ſed Deo nihil excogitari valet potentius; ergo cum Deus ſit potentiſsimus, nihil omninò eſt ei impoſsibile.

Reſp. diſting. mai. cui nihil omninò eſt impoſsibile de omnibus ijs, quæ non includunt contradictionem conc. de ijs, quæ contradictionem includunt, nego mai. ad impoſsibile namque non eſt potentia.

Arg. 3. Dantur contradictoria in rerum natura, ergo à fortiori poterit Deus facere, quod implicat contradictionem; ant. patet, nam aliqua ſunt in rerum natura, quæ habent eſse ſolùm per inſtans, & in eodem deſtruuntur, ut

radius ſolaris, & nunc temporis, de quibus valet dicere. Simul ſunt, & non. Reſp. neg. ant. ad illud de radio reſpondet Mayronus in p.d. 43. q. 3. quod in inſtanti generatur, & eſt; non autem corrumpitur in illo inſtanti. Si dicas, quando corrumpitur; Dico, quod corruptio inſtantis, vel radij non eſt niſi ceſsatio radij, & illa non habet propriè menſuram. Vel dici poteſt cum Scoto in 2. diſt. q. quod ſunt in eodem inſtanti poſitiuè, & corrumpuntur in eodem inſtanti negatiuè; & ſic non ſunt contradictoria.

Arg. 4. Si aliquid impoſsibile non eſt Deo poſsibile, aut hoc eſt propter priuationem, aut propter poſitionem. Si propter priuationem.

Contra. Nulla maior priuatio, quam omninò non entis, ſed Deus de nihilo facit aliquid; ergo &c. Si propter poſitionem: ergo videtur, quod aliquid ſit, quod non ſubiaceat D. potentiæ, eique non obediat, quod non eſt admittendum: ergo &c.

Reſp. D. Bonau. in 1. d. 42. q. 3. art. 1. Quod propter priuationem omnis exiſtentiæ in utroque extremo, & propter priuationem diſtinctionis, & propter poſitionem ex parte Dei, quia potentia Dei reſpicit aliquid ut obiectum effectum, & ſapientia reſpicit ordinatum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum D. Potentia poſſit producere infinita.

NOt. Quod hæc quæſtio agitari ſolet diffusè etiam in Phiſoloſophia, qua de re paucis me expediam, breuiter reuocando ad mentem ea, quæ in phyſica adnotaui, videlicet quod infinitum aliud eſt in genere, aliud extra genus. Infinitum in genere, aliud in ſubſtantia, aliud in quantitate, aliud in qualitate. Item aliud cathegorematicum aliud ſinchategorematicum; de omnibus enim iſtis poteſt procedere præſens quæſtio.

I. Conc. Non poteſt Deus producere aliquam creaturam infinitæ perfectionis eſsentialis, & ſimpliciter in genere entis. Eſt Scoti in 2. d. 3. p. 1. & 2. metaph. q. 6. Henrici quol. 8. Aureol. in 1. d. 44. art. 4. Durandi, Ocham ibidem, & vi-

& videtur apud omnes indubitata, & certiſsima. Prob. ex Scoto in 2. cit. Nequit dari ſpecies impreſsa, quæ diſtinctè repræſentet omnes quidditates creatas, & poſsibilis; quia dari nequit aliqua quidditas creata illi ſpeciei correſpondens, in qua virtualiter contineantur cæteræ creaturæ; ergo dari nequit creatura infinitæ perfectionis; cum enim ſpecies ſe habeant ut numeri, talis ſpecies contineret virtualiter, & eminenter perfectiones omnium creaturarum quod ſoli Deo competit.

Confirmatur. Etenim ſi daretur talis creatura infinitæ perfectionis eſſet ſimpliciter independens, quia infinita perfectio ſibi identificat independentiam, quæ in creatura dicit contradictionem, nàm eſſet creatura, & non eſſet creatura, ſed hoc non eſt admittendum; ergo &c.

II. Conc. D. Potentia non poteſt producere magnitudinem actu infinitam extenſiuè: hæc pariter eſt Scoti, & eſt communis. Prob. Talis magnitudo, vel conſtaret ex partibus finitis, vel infinitis. Si primum, ſequitur quod illa magnitudo non eſt infinita, ex partibus namque finitis non poteſt conſtitui niſi finitum. Si ſecundum, aut ex partibus infinitis extenſiuè ſecundum magnitudinem; & ſic ſequitur, quod aliquid erit maius infinito, quod eſt manifeſtum abſurdum; cùm reuerà oporteat totum eſſe maius ſua parte. Aut ex partibus infinitis ſecundùm magnitudinem; & tunc ſi loquamur de partibus inexiſtentibus, ſeù proportionalibus; ex hoc non ſequitur, magnitudinem eſſe infinitam, cum in qualibet magnitudine iuxta principia Ariſt. ſint hoc modo partes infinitæ, ac proinde conſtituant infinitum ſynchategorematicum, ſeù in potentia, & non in actu: ergo nequit dari infinitum in magnitudine actu.

III. Conc. D. Potentia non poteſt producere multitudinem actu infinitam, eſtò poſſit producere finita in infinitum. Eſt communis. Prob. 1. pars. Demus Deum producere multitudinem infinitam, quæro, an Deus poſſit ulterius producere aliquam unitatem: ſi ſic; ergo erit aliquid maius infinito: ſi non; ergo Deus per talem productionem fieret quodammodò impotens, ſaltem extenſiuè; ſed hæc omnia videntur abſurda, tàm in Theologia, quàm in Phyloſophia; ergo &c.

Prob.

Prob. 2. pars. Nunquàm poteſt D. Potentia tot creaturas producere, quin poſſit ampliora, & plura in infinitum producere; ſed iſta plura non poſſunt eſſe actu producta infinita: ergo erunt finita in infinitum quoad multitudinem.

Arg. contra 1. conc. Potentia, & effectus ſibi correſpondent, adeòut, ſi potentia ſit perfectior, etiam effectus ſit perfectior; ſed D. potentia eſt infinitè perfecta: ergo producere poteſt effectum infinitè perfectum, ac proinde creatura erit perfectionis infinitæ.

Confirmatur. Nihil finitum poteſt eſſe obiectum adæquatum potentiæ infinitæ; ſed omnis creatura de potentia ordinaria eſt finita: ergo de potentia abſoluta poterit fieri infinita, velut obiectum potentię adæquatum.

Reſp. conc. mai. & etiam min. ex quibus præmiſsis non ſequitur abſolutè: ergo poteſt producere infinitam creaturam; ſed benè ſequitur; ergo poteſt producere ex nihilo creaturam, ad quod exigitur potentia infinita. Itaque, licet creatura quoad entitatem ſit finita; ac proindè non adęquet D. potentiam; attamen quoad modum, quo producitur eam optimè adæquat. Vnde patet, quid ſit dicendum ad confirmationem.

Arg. 2. Poteſt Deus communicare creaturæ infinitatem quoad durationem, & præſentiam, creando nempe illam ab æterno, & replicando ubique eius præſentiam: ergo pariter poteſt ei donare infinitatem eſsentiæ, participatam, & dependentem, & in certo, ac determinato genere.

Reſp. neg. paritatem. Eſtò enim creatura ab æterno producatur, tamen eſt finita, & limitata; nam tam ęternitas paſſiua, quàm immenſitas ſimiliter paſſiua eſt ab extrinſeco, & non a principio intrinſeco, & actiuo; ſicut eſſet, ſi creatura eſset infinitæ perfectionis, ſeù in eſsentia infinita; ratione cuius infinitatis extraheretur omninò à genere, ut alibi dictum eſt.

Arg. 2. Deus poteſt, data quacunque ſpecie aſsignabili finitæ perfectionis, adhuc producere aliam ſpecialem perfectiorem: ſed talis ſpecies eſſet infinitæ perfectionis, quia tranſiret ultra omnem ſpeciem aſsignabilem finitæ perfectionis: ergo Deus ſua potentia poteſt producere creaturam infinitam ſaltem in determinato genere.

Reſp.

Reſp. neg. aſſumptum in mai. nàm in ſpeciebus datur ſtatus, ultra quem implicat tam ex parte creaturæ, quàm Dei, aliam perfectiorem addere, quia ſic deueniendum eſſet ad ſpeciem infinitæ perfectionis. Eadem ratio militat etiam de qualitate; unde Scotus in 3. diſt. 13. q. 1. docet, gratiam Chriſti eſſe ſummam negatiuè, adeòut nec per D. potentiam augeri poſsit. Argumenta, quæ fieri ſolent contra cæteras concluſiones videri poſsunt in Phyloſophia, ubi de illis latè agitur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus ſemper faciat, quod melius eſt.

NOt. Quod ſenſus præſentis quæſtionis eſt: An ſtante perfectiſſima Diuinæ voluntatis libertate in eligendis rebus, ſeu operibus, ac proindè pleniſsima poteſtate faciendi, & non faciendi, vel faciendi hoc, & eius oppoſitum, verum ſit, atque certum, Deum de facto ſemper eligere id, quod ſimpliciter omnibus conſideratis tanquàm melius, & decentius per D. ſapientiam proponitur voluntati: & quidem non immeritò hoc reuocatur in dubium; etenim quàmuis Sancti Patres indicent Deum ſemper facere, & eligere, quæ meliora ſunt, nihilominùs reſpiciendo ad opera Dei ad extra, intelligimus, Deum non ſemper ea, quæ meliora ſunt facere. Quare D. Thom. p. 1. q. 25. art. 6. interpretatur, Deum ſemper facere meliora ex parte modi faciendi; non enim poteſt facere meliori modo, neque ex maiori bonitate, maiori prouidentia &c.

Conc. Nobis incertum videtur: An Deus ſemper faciat, quod melius eſt. Prob. Quod Deus ſemper faciat quod melius eſt, nõ poteſt argui niſi ex his, vel illis circumſtantijs; ſed argumenta à congruentia deſumpta plerumque ſunt infirma; & fore ſolum acceſſoria ad auctoritates, quibus hoc, vel illud decretum, aut factum Dei probatum fuit; erg. eſt nobis incertum, ſi Deus ſemper faciat quod melius.

Prob. min. Congruentiæ ſæpè ſunt pro, & contra, aut non omnes nobis ſatis patent, adeout de maiori congruitate non poſsimus certum iudicium ordinariè ferre. Immò, quod ſecundùm humanas rationes videri poſset congruen-

gruentius, non eſt tale ſecundùm iudicium Dei. v. g. quod magis Sancto, & iuſto infallibiliter daret donum perſeuerantiæ, minus peccanti maiores gratias &c. quorum oppoſitum ſępè agit Deus, cui licet facere, quod vult, & hoc magis iudicat congruere oſtenſioni, tum ſuæ liberalitatis, et miſericordiæ, tum quia dona non ſint debita. Sæpè etiam, quod per ſe, & abſolutè melius eſset, v. g. punire, aut non conferre beneficia, non eſset melius ob aliquod extrinſecum, quod nos latere poteſt: v. g. ob preces fuſas ad auertenda mala, aut conſequenda bona, & ſimilia.

Notanter ponitur in minori, & fore ſolùm acceſsoria ad auctoritates, quibus hoc, vel illud decretum, aut factum Dei probatum fuit; nam ſecundum D. Bernard. D. Bonau. & D. Thom. arguimus, non eſse negatum Deiparę, quod alicui puro homini eſt conceſſum. Sic prob. etiam contra Gentiles Animæ immortalitas, ac proindè dignæ, vel pręmio, vel ſupplicio alterius vitæ, & quamplura ſimilia, quæ paſſim apud Sacros Scriptores leguntur.

Itaque concludendum eſt cum D. Bonau. in 1. d. 44. art. 1. q. 1. non dari optimum in tali, vel tali rerum ſerie, ſed vel ſingula ſunt æquè bona, de quibus Deus promiſcuè, nunc vnum, nunc alterum elegit; vel in ijs non datur ſtatus iuxta ſententiam plurimorum, ideſt in perfectione ſpecierum, vel certè, an detur, non conſtat; unde in ijs arguere non poſſumus à meliori, quia ſemper recurret quęſtio de meliori ſine fine, ut rectè aduertit Herincx cum D. Bonau. Neque argui poteſt, hoc potius, quàm priori tempore; hoc potius, quàm alio numero debuiſſe res creari; quia ibi non eſt ſtatus, ac proinde non alia ratio eſt quærenda, quàm Dei beneplacitum. Qua de re, electio melioris ſolum eſt quærenda in rebus inæqualibus, in quibus non progreditur in infinitum; idquè facta comparatione cum tota ſerie diuinorum operum, v. g. in his, & ſimilibus contradictorijs, creare vniuerſum, vel non: incarnari Verbum, vel non: redimere Angelos peccantes, vel non &c.

Dices. Patres Concilij in epiſt. Synodica ad Præſules, & chriſtianos Hiſpaniæ ſic habent. *Credamus, cum omnia, vellè, quæ meliora ſunt*, & D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 4. ait. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum,* tan-

tanquam bonorum omnium conditorem; ergo abſque ulla exceptione fatendum eſt, Deum ſemper facere meliora.

Reſp. ad Concilium cum D. Thom. ut ſupra in notabili dictum eſt. Ad D. Aug. reſpondet. D. Bonau. loc. cit. quod intelligitur de hoc mundo, & de melioritate ſecundum eſſentiam, hoc eſt quantum ad ſpecificam gradus nobilitatem, ut patet ex textu, nam ſi mundus melior melioritate eſſentiali factus fuiſſet, non eſſet idem mundus, ac præſens, ſed alius, ut dicetur in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum D. potentia potuerit feciſſe mundum meliorem, quàm ſit.

NOt. Quod mundum poſſe fieri meliorem, triplíciter intelligi poteſt. Primò quantum ad ſubſtantiam, ſeu quidditatem partium. 2. quantum ad earum proprietates, & acccidentia. 3. quantum ad earum ordinem. Primum dupliciter intelligi poteſt; uno modo quantum ad eſſe quidditatiuum, & rationem ſpecificam, 2. modo quantum ad melioritatem quantitatiuam, ſiue intenſiuam, ſiue extenſiuam. Exemplum de primo. Sicut una Anima in naturalibus melior eſt altera. Exemplum de ſecundo. Sicut Marca auri melior eſt unica. Secundum pariter dupliciter ſumi poteſt, aut de partibus mundi in ſe, aut de ipſis in ordine, ſeu relatione ad inuicem, & ad finem. Similiter tertium dupliciter intelligi poteſt, quia duplex eſt ordo partium. Primus eſt ordo partium in toto, & ſecundus eſt ordo in finem. Prior manifeſtat Dei Sapientiam, poſterior Dei bonitatem; qui quidem ordines ſunt inuicem connexi in Vniuerſo; ita enim ordinantur partes in toto uniuerſo, ut congruit earum ordini in finem.

I. Conc. Deus potuit alium mundum hoc mundo iam facto, meliorem facere quoad ſubſtantiam partium melioritate quidditatiua, ſed non hunc mundum iam productum. Eſt Scoti in Report. in 1. d. 44. q. 2. D. Bonau. D. Thom. & eſt communis ſententia Theologorum.

Prob. 1. pars. Bonitas quidditatiua quarumcunque partium eſt finita, ſed omni finito poteſt maius, & melius

excogitari;ergo Deus facere poteſt alium mundum ex partibus melioribus ſecundùm ſuas rationes quidditatiuas, quàm ſit mundus iſte. 2. pars probatur. Quilibet gradus eſſentiæ, ſeu quidditatis, non quidem indiuidualis; ſed ſpecificus variat ſpeciem, teſte Ariſt. 9. meta. c. 13. dicente, quod ſpecies ſunt ſicut numeri, quia videlicet, ſicut quælibet unitas variat ſpeciem numeri, ita quilibet gradus quidditatis variat ſpeciem rei; ergo ſi Deus faceret mundum ex partibus, quæ haberent aliam rationem quidditatiuam, quàm partes huius mundi, ille non poſſet eſſe eiuſdem ſpeciei cum iſto mundo.

II. Conc. Deus potuit facere hunc mundum meliorem melioritate quantitatiua, tam extenſiua, quàm intenſiua. Prima pars patet. Quia Deus potuit facere Cœlum maioris amplitudinis, & maioris extenſionis; & ſic pariter elementa. Inſuper poſſet etiam facere omnia corpora humana magnitudinis giganteæ; & omnes Mundi partes ampliores, hæc enim nullam inuoluunt contradictionem.

Prob. 2. pars. Potuit Deus facere omnes Animas rationales tantæ perfectionis naturalis intenſiuæ, ſicut eſt Anima Chriſti, de qua iuxta articulum pariſienſem, dicendum eſt, quod perfectior eſt alijs Animabus, quàmuis liceat ſine theologica cenſura oppoſitum tenere. Idem conformiter dici poſſet de alijs formis, tam coniunctis, quàm ſeparatis ſecundùm gradus indiuiduales, ſeu perfectionales in eadem ſpecie. Eodem modo diſcurrendum eſt de optimo morali.

III. Conc. Deus potuit hunc mundum ſimpliciter facere meliorem quantum ad proprietates, & accidentia partium ſecundùm ſe conſideratarum. Eſt Scoti, & omnium Theologorum: nam clarè conſtat, Deum potuiſſe facere ſolem lucidiorem, & etiam lunam, & ſic de alijs iuxta illud Iſai. c. 3. *Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis ſeptempliciter, ſicut ſeptem dierum*; ergo &c.

IV. Conc. Non poteſt Deus hunc mundum meliorem facere quantum ad ordinem partium in toto, & quantum ad ordinem in finem. Hæc pariter eſt communis ſententia Theologorum, & probatur. Vterque iſtorum ordinum eſt optimus, ſed optimo nil poteſt eſſe melius: ergo &c. maior declaratur primo de ordine in toto: quia ſicut dicit

dicit D. Aug. *Vniuerſum eſt, ſicut pulcherrimum carmen, quod decurrit ſecundum optimas conſonantias*: Vnde ſicut in verſu vnaquæque ſyllaba ornatiſſimè eſt in ſitu ſuo, nec poteſt melius ordinari; immò ſi alibi poneretur deſtrueretur verſus; ita in toto Vniuerſo unaquæque pars eſt ornatiſsimè in ſitu ſuo. Hinc eſt, quod Sol melius, & ornatiùs ſituatur in orbe ſuo, quam in orbe Saturni; & homo pro nunc melius, & conuenientius eſt in terra, quam in Cœlo. Vnde D. Aug. ſuper Ioan. ait. *Sicut Angelus optimè eſt in Cœlo, ita vermiculus optimè eſt in terra*. Secundò declaratur de ordine partium in finem, quia non poteſt melius ordinari, quàm ad gloriam Dei: ergo &c.

Arg. 1. prob. Deum non potuiſſe facere mundum meliùs, quàm fecerit. Quicquid Deus fecit, potentiſsimè, & ſapientiſsimè fecit; ergo non potuit melius feciſſe.

Reſp. conc. ant. & diſting. conſ. Si ly melius ſumatur nominaliter, hoc eſt rem meliorem, nego conſequentiam. Si verò ly melius ſumatur aduerbialiter, & hoc poteſt intelligi dupliciter. Vel ex parte rei factæ; & ſic nego conſ. nam Deus potuit dare rei factæ meliorem modum eſſendi. Vel ex parte facientis; & ſic conc. conſ. Verum eſt enim, quod non potuit Deus res facere meliori potentia, ſapientia &c. quàm fecit.

Arg. 2. D. Aug. lib. 3. contra Maximum cap. 70. intendens probare filium eſſe æqualem Patri in diuinis, ſic argumentatur. *Si Deus potuiſſet, & noluiſſet gignere filium ſuum æqualem, inuidus fuiſſet*; ergo à pari ſi Deus potuit facere meliora, quæ fecit, & tamen noluit, inuidus appareret; ſed hoc aſſerere eſt hæreticum: ergo &c.

Reſp. cum D. Thom. part. 1. q. 25. art. 6. ad 2. neg. paritatem, & ratio eſt clara. Nàm de ratione æterni filij eſt, quod Patri omninò adæquetur ſecundùm naturæ Diuinæ ſimilitudinem, ac proindè inuidns fuiſſet Pater æternus; ſi noluiſſet hanc debitam æqualitatem communicare filio. At de creaturis ſecùs eſt dicendum, cum Deus liberè libertate arbitrij ſe communicauerit ad extra creaturis, quas omnes fecit in numero, pondere, & menſura iuxta beneplacitum ſuæ voluntatis, adeout aliter etiam ſua ſapientia, & bonitate potuiſſet creare, & diſponere; quod etiam Doctor ſubil. pluribi docet.

Arg.

Arg. 3. Si D. potentia poſset efficere res meliores, quàm fecit, perturbaret, ac peruerteret ordinem Vniuerſi; ſed id non decet D. Sapientiam, ergo &c. mai. patet, nàm Gen. 1. habetur. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*; ac proindè ordinem Vniuerſi perturbaret, alterando ordinem perfectum. Exemplo muſici inſtrumenti declaratur. Etenim ſi in huiuſmodi inſtrumento optimè compoſito, conſonantibus omnibus chordis, una ex illis ampliùs tenderetur, melodia diſſona euaderet; ſic à ſimili ſi perfectio alicuius partis Mundi augeretur, Armonia Mundi in pondere, numero, & menſura diſpoſiti ſtatim diſsolueretur.

Reſp. neg. mai. quod attinet ad exemplum, dicendum, diſparem eſſe rationem de armonia muſici inſtrumenti, & armonia Mundi, nam illa eſt arithmetica in indiuiſibili conſiſtens, muſica enim arithmeticæ ſubalternatur, iſta autem eſt geometrica, & diuiſibilis accommodata ad finem proximum ſingularum partium, & uniuerſalis totius Mundi, ut eleganter aduertit noſter Smiſing. diſp. 7. q. 5. relatus ab Herincx diſp. 9. de omnipotentia Dei quęſt. 3.

Quæres. An D. Potentia quicquid ſemel potuit, aut poteſt, ſemper poſſit.

Reſpondent Nominales affirmatiuè; putando idem eſſe enunciabile. Chriſtum ſuſcitare, & Chriſtum ſuſcitaſſe; ac proindè aſserunt ſic arguendo. Deus poteſt quicquid potuit, ſed potuit ſuſcitare Chriſtum: ergo poteſt nunc ſuſcitare Chriſtum. Verùm in hac argumentatione committitur fallacia, ut notat Nicol. de Niſe in tract. de potentia Dei q. 7. committitur, inquam, fallacia figuræ dictionis, & fallacia accidentis, & etiam conſequentis. Quare debet inferri ſic. Ergo poteſt Chriſtum ſuſcitare, vel ſuſcitaſſe; quod idem eſt à parte rei, quia utrumque ſignificat ſuſcitationem Chriſti; & in hoc ſenſu infertur etiam à Nominalibus, ut tradit D. Bonau. loc. cit. q. un. & hoc enunciabile adiunctum verbis diuerſorum temporum eſt idem. Nihilominùs D. Bonau. hanc poſitionem reicit dicens. Tamen ſicut ſupra probatum fuit, hæc poſitio non habet veritatem, quàmuis illa poſitio videatur fuiſſe probabilis.

Itaque reſpondetur cum Doct. Seraph. negatiuè: & ratio

tio eſt euidens: Quia ſicut D. ſcientia in ſe immutabilis deſinit ſcire aliquod enunciabile ratione connotati; quia ſcibile deſinit eſse verum, & ipſa ſcientia, ſiue ſcire connotat uno modo in cognito veritatem; ità D. potentia connotat in eo, reſpectu cuius dicitur, poſſibilitatem, & talem, inquam, poſſibilitatem, quæ reſpicit potentiam agentem ſub ratione potentiæ, non impotentiæ. Quoniam ergo ita eſt, quod multa poſsibilia fiunt impoſsibilia per accidens, & multa poſſibilia fiunt entia, & iam ſunt impoſſibilia ad fieri (facere enim, quod non ens non ſit, nihil eſt facere, ſimiliter facere, quod factum eſt, nihil eſt facere, & ita impoſſibile eſt fieri) hinc eſt, quod quia Deus non poteſt niſi poſſibile, quod poſſe eſt potentiæ; & quia nulla mutatione facta in potentia, ſed æqualiter Deo exiſtente potente, fit aliquid Deo impoſſibile propter mutationem à parte rei, hæc concedenda eſt, quod D. Potentia eſt immutabilis: & hæc neganda eſt. Quicquid Deus ſemel poteſt, ſemper poteſt: hactenùs D. Bonau.

TRACTATVS SECVNDVS
DE INÆFFABILI MYSTERIO
SANCTISSIMÆ TRINITATIS,
SEV
DE DEO TRINO
DISPVTATIO PRIMA
De Proceſſionibus, ſeu productionibus Diuinis.

QVÆSTIO I.
Vtrum in Diuinis dentur Productiones, ſeù proceſſiones.

NOt. 1. Quod hæc nomina, productio, proceſſio, origo, & emanatio pro eodem ſumuntur; nam una, & eadem ratio, quatenùs eſt actus principij producentis, dicitur productio, quatenùs eſt via ad terminum, dicitur proceſſio, origo, & emanatio. Inſuper proceſſio duplex eſt, altera, qua terminus exit extra principium, ſeù cauſam, ut calefactio, & dicitur tranſiens: altera immanens, cuius terminus manet intra ſuum principium, ſic productio Verbi mentalis: præterea productio immanens eſt duplex phyſica, & metaphyſica. Phyſica eſt, qua unum ab alio procedit per mutationem, dependentiam, & diuerſitatem naturæ, & ſic noſtrum verbum mentale exit ab intellectu per productionem phyſicam; Metaphyſica eſt emanatio unius ab altero, ſecluſa omni mutatione, dependentia, & diuerſitate naturæ, remanentibus tamen his duobus reſpectibus: à quo alius, & qui ab alio.

Not. 2. Quod duplex eſt proceſſio, ſeù origo; actiua ſcilicet, & paſſiua. Prima eſt ipſa actio perſonæ producentis: ſecunda eſt emanatio perſonæ productæ, & quamuis

ex

ex uſu Eccleſię proceſſio ſignificet emanationem Spiritus Sancti, qui in Symbolo S. Athanaſij dicitur: non genitus, ſed procedens; attamen apud Theologos latiùs accepitur, cum eò vocabulo utantur paſſim ad exprimendum utriuſque Perſonæ Diuinæ originem.

Concl. In Diuinis datur vera, & realis origo, ſeù proceſſio immanens metaphyſica: hæc eſt de fide. Prob. ex Io: cap. 8. ubi Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego ex Deo proceſſi*: & cap. 25. de Spiritu Sancto ait: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*; Poteſt etiam probari omnibus illis Scripturis, quibus exprimitur Perſona Filij eſſe genitam; nil enim poteſt eſſe genitum, aut eſſe Filius per generationem, niſi à generante procedat: eadem veritas determinata eſt de fide, & explicata in pluribus Concilijs, ut in Nicæno, Florentino, Lateran. &c. & præſertim in Nicæno, ubi de Filio dicitur: *Deus de Deo, lumen de lumine, deus verus de Deo vero genitus, non factus*: Et de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. & ita docent omnes Sancti Patres.

Prob. rat. noſtra Concluſio, quæ, eſtò demonſtrari nequeat, quia naturali lumine, ut infrà dicetur, attingi non poteſt tamen ſuppoſita fide, ſuaderi poteſt. Eſt de fide dari tres Perſonas diuinas realiter inuicem diſtinctas in unitate Eſſentiæ: ſed talis realis diſtinctio non poteſt dari ſine reali productione, & proceſſione unius ab altero: ergo in Diuinis proceſsio realis, & vera eſt admittenda.

Prob. min. non admiſſa proceſſione, tollitur oppoſitio: ſed ubi non eſt oppoſitio, ibi eſſe nequit Perſonarum diſtinctio: ergo &c. Eſſentia enim Diuina non poteſt habere oppoſitionem, niſi ob relationes oppoſitas; cum in Diuinis omnia ſint unum, ubi non obuiat relationis oppoſitio. Prob. à Scoto in 1. d. 2. q. 7. Quicquid ratione ſua formali eſt principium productiuum ſufficiens, in quocunque eſt à ſe, in eo eſt principium perfectè productiuum: ſed intellectus habens obiectum actu intelligibile, & debitè proportionatum ratione ſua formali eſt principium productiuum notitiæ genitæ: ergo ubicunque erit, producet notitiam genitam ſecundùm proportionem ſuæ productionis: ſubſumit: ſed in Deo eſt intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens, & proportionatum, nempè eſſentiam Diuinam, ergo &c.

Inſuper, cum nullum infinitum poſſit exiſtere in alio, notitia illa genita, neceſsariò erit ſubſiſtens per ſe; cumque extra Deum nihil ſit per ſe ſubſiſtens, conſequens eſt, ut intellectus Diuinus habeat producere notitiam ſubſiſtentem, quæ ſit Deus; & ſic concluditur dari in Diuinis Proceſsionem per intellectum, & eadem ratio militat de voluntate Diuina, quæ habens eſſentiam ſibi præſentem actu, & ſummè diligibilem, poteſt producere circà illam amorem infinitum ſubſiſtentem, ideſt Spiritum Sanctum: Quod autem huiuſmodi proceſsio ſit immanens, pat. quia actus intellectus, & voluntatis remanent in ipſis potentijs, & quod ſit metaphyſica. Prob. 1. ſic. Talis proceſsio eſt ſine mutatione; Verbum enim non tranſit cum mutatione, quia non tranſit de non eſse ad eſſe, cum ſit ab æterno: tum quia ſine dependentia procedit, nàm Pater non potuit ipſum non producere, unde Pater non dicitur Factor, ſeù cauſa Verbi Diuini, ſed principium tantum: tum quia procedit ſine diuerſitate naturæ, cum Filius dicat; *Pater, & Ego vnum ſumus.*

Arg. 1. contrt 1. part. conc. Intellectus Diuinus, ut eſt in Deo, iam habet ſuum terminum adæquatum, ideſt notitiam eſsentialem: ergo ut iam eſt in Patre non poteſt habere terminum, & ſic in Patre non eſt productio. Reſp. diſt. ant. Intellectus, ut in Deo eſt, habet terminum adæquatum, ut operatiuus, conc. ut productiuus, neg. ant. de qua diſtinctione redibit ſermo in ſequentibus quæſtionibus.

Dices. Intellectus producit, ut perficiatur; ergo cum intellectus D. ſit infinitè perfectus, non producit.

Reſp. diſt. ant. Quando intellectus producit ex indigentia, & inopia, conc. ant. quando verò ex infinita fæcunditate, ut ſe habet Pater in Diuinis, nego ant.

Arg. 1. Notitia ingenita eſt adæquata intellectui Diuino; ergo non poteſt habere aliam notitiam genitam: pat. conſeq. quia, ideo dicimus Verbum Diuinum non eſſe productiuum alterius Verbi, quia Diuinus intellectus habet terminum adæquatum, ergo à ſimili.

Reſp. Scot. diſt. ant. Eſt adæquata in ratione notitiæ ingenitæ, conc. in ratione notitiæ genitæ, nego ant. Immò Scot. retorquet argumentum, non habet intellectus

Diui-

Diuinus omnem notitiam adæquatam correſpondentem ſibi abſque notitia genita, ergo habet notitiam genitam.

Contra. Si talis ratio valeret, ſequeretur quod Filius, & Spiritus S. etiam producere poſſent notitiam genitam, & Amorem productum: ſed hoc fidei repugnat, ergo &c. Prob. ſeq. mai. Tam Filius, quàm Spiritus S. habent intellectum, & voluntatem D. cum eſſentia D. adæquatè proportianata in ratione intelligibilis, & amabilis, quàm Pater: ergo ſi Pater hac ratione poteſt producere notitiam genitam, etiam Filius, & Spiritus S. producere poſſunt talem notitiam.

Reſp. neg. ſeq. & prob. conſ. quia non eſt eadem ratio de Patre, ac de Filio, & Spiritu S. Scotus enim in maxima ſuperius allata docet ſic. Vbicunque eſt principium productiuum ſufficiens à ſe poterit producere &c. unde cum in Filio, & Spiritu S. non ſit intellectus principium à ſe, ſed à Patre, ſequitur; quod non currat eadem ratio. Adde, quod Pater, cum ſit à ſe non præſupponit notitiam genitam adequatam memoriæ ſuæ fæcundæ; Filius autem, cum ſit ipſa notitia genita adæquata, tam intenſiuè, quàm extenſiuè, nequit producere aliam notitiam genitam; neque Spiritus S. cum habeat eſſe à Patre, & Filio, & præſupponat utrumque, producere poteſt notitiam, & amorem.

Arg. 3. Ens à ſe non poteſt habere originem ab alio, ſed quælibet Perſona D. eſt ens à ſe: ergo &c.

Reſp. diſt. mai. Ab alio, ut à cauſa extrinſeca, & principio diuerſæ naturæ, concedo: ut à principio eiuſdem naturæ, & omnem dependentiam, cauſalitatem, & contingentiam excludente; nego mai.

Contra. Quod ab alio procedit, debet habere eſſe diſtinctum in natura, ſed Perſonæ D. non habent eſſe diſtinctum, cum in eadem numero natura ſubſiſtant: ergo una non poteſt procedere ab alia.

Reſp. diſt. mai. Quod ab alio procedit proceſſione, finita, & extrinſeca, & phyſica, concedo: proceſſione infinita, nego mai.

Arg. 4. Nullum productum eſt ex ſe neceſſarium ens: ſed omnis Perſona D. eſt per ſe ens neceſſarium; ergo nulla eſt producta. Prob. Scot. mai. 1. d. 2. q. 7. Quod eſt neceſſarium ex ſe, eſt neceſſarium, ſecluſo quocunque alio: ſed

quod eſt neceſſarium ab alio, non eſt neceſſarium, eo circumſcripto; ergo nequit eſſe neceſſarium ex ſe, & ab alio.

Prob. 2. Omne productum poſſibile eſt produci, aliter ſequeretur, quod impoſſibile produceretur; ſed quod eſt poſſibile produci, non eſt ens neceſſarium: ergo Perſonæ D. non ſunt productæ. Reſp. diſt. mai. primæ prob. Nihil poteſt eſſe neceſſarium ex ſe formaliter, & ſecundum eſſe formaliter neceſſarium ab alio; concedo, formaliter ex ſe, & effectiuè, ſeu productiuè ab alio; nego mai.

Ad ſecundam reſp. diſting. mai. ex Scoto. Omne productum poſſibile eſt &c. poſſibilitate logica, vel phyſica, concedo, poſſibilitate phyſica tantum, nego. Vnde duplex eſt poſſibilitas, alia logica quæ dicit ſolummodo non repugnantiam, quod Filius producatur; alia eſt phyſica, & realis, quæ dicit aptitudinem, vel ad recipiendum aliquod accidens, vel ad recipiendam entitatem diuerſam à principio productiuo; & hæc non eſt admittenda in diuinis. Itaque Perſonæ diuinæ dicuntur poſſibiles ſola poſſibilitate logica.

QVÆSTIO II.

Vtrum Proceſsiones D. ſint duæ tantùm, & non plures.

NOt. Quod quæſtio procedit de Proceſſionibus, tàm eiuſdem rationis, quàm diuerſæ rationis. An ſcilicet in Diuinis ſint plures generationes, & plures ſpirationes, & an in Deo ſint plures productiones diuerſæ rationis, quarum una ſit generatio, altera ſpiratio, & aduertendum, quod dicitur diuerſæ rationis, ſed non diuerſæ rationis genericæ, aut ſpecificæ quia in diuinis non eſt propriè genus, nec ſpecies, nec differentia ſpecifica cum hæc omnia dicant imperfectionem, nihilominus, cum in Deo ſint aliqua, quæ pluſquam numero differant, & diuerſas habeant rationes formales, idcircò dici poſſunt quaſi ſpecie diſtincta, plus enim differunt generatio, & ſpiratio actiua, quàm duæ ſpirationes actiuæ.

Conc. Duæ, & non plures ſunt D. Proceſſiones formaliter, & quaſi ſpecificè diſtinctæ, videlicet productio verbi per intellectum, & productio Spiritus S. per voluntatem.

tatem. Eſt de fide. Prob. à Scoto in 1. d. 2. q. 7. Tot ſunt, & non plures Proceſſiones in diuinis diuerſæ rationes, quot ſunt principia productiua, ſed hæc ſunt tantum duo, ſcilicet intellectus, & voluntas: ergo duæ tantum ſunt: Patet mai. min. probatur nempè quod illa duo principia productiua ſint diſtincta. Principia agendi naturaliter, & principia agendi liberè habent oppoſitum modum agendi; ergo non poteſt dari unum principium, cui conueniat hic diuerſus agendi modus; vel enim, inquit Scotus, illud principium productiuum ageret ex ſe determinatè, & ſic per modum naturæ, vel ageret non ex ſe determinatè, ſed liberè, & ità per modum voluntatis: ſed iſti modi agendi, cum ad inuicem directè opponantur, non poſſunt refundi, ſeu reduci ad unicum principium: ergo &c. Prob. min. Quod unum ad aliud reduci non poſſit, quia cum illa principia ſint æquè perfecta productiua, non eſſet maior ratio, quarè unum reducatur ad aliud, quam illud ad alterum, tum quia nihil reducitur ad aliud, niſi tanquam minus perfectum ad magis perfectum; at in Deo non reperitur perfectionis inæqualitas. ergo &c.

Prob. Plures numero ſolum diſtinctas, & eiuſdem rationis Proceſſiones non eſſe de facto, nec eſſe poſſe, ac proindè non poſſe eſſe plures, quàm duas diuerſæ rationis:

Prob. Quia ſic de fide habetur in S Scrip. ut ſupra probatum fuit, undè in Symbolo D. Ath. traditur, quod ſit unus Filius, non tres Filij, unus Spiritus S. non tres Spiritus S. ergo &c. Prob. Ex Scot. q. 2. quol. art. 2. hac ratione theologica. Si in diuinis poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis; ergo poterunt eſſe infinitæ, & conſequenter erunt neceſſariò infinitæ; quia in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe, ſed conſequens eſt falſum; ergo, & ant. min. patet nullus enim hactenus ità inſanuit, ut aſſeruerit D. Perſonas eſſe numero infinitas. Probat Scotus mai. 1. autoritate D. Aug. ita argumentantis contra Maximum lib. 3. cap. 12. Immoderata, inquit, eſſet diuina generatio, ſi genitus Filius Nepotem gigneret Patri, quia, & ipſe Nepos, niſi Auo ſuo Pronepotem gigneret, ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam, nec impleretur, ſubdit, generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero gigneretur; nec etiam ullus perficeret eam, ſi non ſufficeret omnipotens unus:

ergo neceſſariò eſsent admittendæ infinitæ generationes.

Prob. 2. ratione à Scoto. Omne multiplicabile in plura eiuſdem rationis, non determinatur à ſe ad certam pluralitatem, ſed ſi ſit ita determinatum, neceſſe eſt, ut determinetur ab alio, at Diuina proceſsio ſi eſſet multiplicabilis in plures proceſſiones eiuſdem rationis, quales ſunt plures generationes, non poſſet ab alio determinari ad certam pluralitatem: ergo neceſſariò eſſet infinita: mai. pat. exemplo naturæ creatæ, quæ cum ſit multiplicabilis in plures eiuſdem rationis, non determinatur à ſe, ſed ab agente extrinſeco; aliter eſsent infinitæ ſyncathegorematicè: min. prob. Si Diuina proceſsio ad certam pluralitatem determinatur ab alio, maximè ab aliquo poſteriori, vel ab aliquo priori; non à poſteriori, quia nullum ens primum habet ſuam exiſtentiam, & entitatem à poſteriori; ac proindè nec habere poteſt ſuam unitatem, neque ab aliquo priori; hoc enim vel eſset principium formale Diuinæ proceſsionis, nempe memoria, & voluntas fęcunda, vel eſset principium producens, ideſt Perſona Diuina, ſed à nullo iſtorum Diuina proceſsio determinaretur ad certam pluralitatem, ſi eſſet multiplicabilis in plures proceſſiones eiuſdem rationis: ergo &c.

Arg. 1. cont. 1. part. conc. Diuerſus modus principiandi refundi poteſt in unum principium: ergo eſtò principiare per modum naturæ, & per modum volutatis ſint oppoſiti principiandi, exindè tamen non licet inferre, duo eſse principia diſtincta, ac proindè nec duas proceſsiones, nec duos producentes: ant. pat. nàm principiare neceſsariò, & principiare contingenter ſunt modi oppoſiti principiandi, ſed illi competunt eidem principio, nimirum voluntati Diuinæ reſpectu diuerſarum operationum, quæ reſpectu operationis, ſeù productionis ad intrà principiat neceſsariò, & reſpectu productionis ad extra principiat contingenter: ergo &c.

Reſp. ex Scot. ubi ſupra diſting. ant. refundi poreſt &c. quando illi duo modi non important imperfectionem: nego: quandò important imperfectionem, vel minorem imperfectionem connotant, conc. oportet enim, quod omne imperfectum ad perfectum reducatur; Vndè cum modus principiandi contingenter imperfectionem connotet, quia

quia omnis contingentia mutabilitatem, & defectibilitatem importat; hinc eſt quod reduci debet ad principium neceſſarium, ſecus autem de modis principiandi ad intra naturæ, & voluntatis, ac proindè neutrum reducitur ad aliud. Vel reſp. ex diuerſo modo operandi quomodocunque non colligitur principiorum diuerſitas, conc. ant. ex diuerſo modo operandi, qualem habet memoria fæcunda, & voluntas Diuina, nego.

Arg. 2. Natura Diuina, inquantum natura Diuina non minùs eſt principium productiuum, quàm intellectus, & voluntas; ergo ſi ex diuerſitate principiorum colligitur diuerſitas proceſſionum, tres proceſſiones neceſſariò admittendæ erunt iuxtà tria principia diuerſa.

Reſp. diſt. ant. Natura Diuina eſt principium productiuum ſeorſim ſumpta, nego ant. coniunctim cum intellectu, & voluntate Diuina, conc. ant.

Arg. 3. Potentiæ diſtinguuntur per actus, ergo cum ex dupiici potentia eſſentiali in Deo ſint duo actus eſſentiales, ſcilicet intelligere, & velle, non poſſunt illis aſſignari duo alij actus notionales, nempè generatio, & ſpiratio, & conſequenter ex illis duabus potentijs Diuinis non rectè infertur dualitas proceſſionum diuinarum, pat. ſeq. nàm ab eodem diſtinctiuo nequeunt diſtinctiones diuerſarum rationum promanare.

Reſp. ex Scot. ubi ſupra neg. ſequelam, & pariter conſ. eſtò enim una potentia non poſſit habere plures actus adæquatos diſtinctæ rationis eodem modo ſe habendo circa illos actus, itaut quemlibet habeat productum, & quemlibet improductum; tamen habere poteſt plures actus diuerſæ rationis diuerſimodè circa illos ſe habendo, nempè ad unum per modum principij operatiui, ſeù emanatiui, ad alterum per modum principij productiui, & ità ſe habent principia in Diuinis.

Arg. cont. 2. partem concluſionis. Potentia intellectiua Diuina per generationem Filij remanet infinita, ac proinde potens ad productionem alterius Verbi: ergo poſſunt dari plures proceſſiones eiuſdem rationis.

Reſp. neg. 2. part. ant. & ratio eſt quia Filius productus eſt terminus adæquatus potentiæ intellectiuę.

Contra. Iſta adæquatio, vel intelligitur de actu adæ-

quato extenſiuè, vel de adæquato intenſiuè : ſi primum petitur principium, quia hoc eſt idem dicere, quod habeat actum, ultra quem alius haberi non poſſit, cuius veritas, & probatio non patet. Si ſecundum illud videtur apertè falſum. Nàm natura Chriſti, v. g. habet creatam Verbi viſionem ſibi adæquatam intenſiuè, & tamen præter illas habet alias viſiones : Similiter Diuinus intellectus habet viſionem Diuinæ eſſentiæ ſibi intenſiuè adæquatam, & tamen habet etiam viſionem aliarum rerum à ſe : ergo &c.

Reſp. adæquationem intelligi tàm de intenſiua, quàm de extenſiua. Nàm Verbum Diuinum à Patre productum adæquat omnem perfectionem ſui principij productiui, tam in eſſendo, quia eſt Patri conſubſtantialis, quàm in operando, quia exhaurit omnem fæcunditatem Diuini intellectus, cum ſit infinitum ab æterno productum, & ab æterno ſemper producatur.

Cæterùm exempla allata non ſunt ad propoſitum, cum Diuinus intellectus habeat unicam viſionem adæquatam, videndo omnia in ſua infinita eſſentia, & Anima Chriſti habeat adæquatas plures viſiones, non tamen in ratione ſuæ fæcunditatis intelligendi; habet enim viſionem in Verbo, quatenùs informatur lumine gloriæ, habet verò viſiones in proprio genere proportionatas, & fortè adæquatas, quatenùs eſt informatus eius intellectus alijs comprincipijs intelligendi, ſed de hoc argumento latè agetur inferiùs in quæſtione de pluralitate Perſonarum.

QVÆSTIO III.

Vtrum Proceſſiones Diuinæ ſint veræ, & propriæ actiones vitales: vel potiùs emanationes.

NOt. 1. Quod omnes ferè Theologi, excepto Durando, & aliquibus alijs, conueniunt in docendo, Diuinas proceſsiones eſſe operationes intellectus, & voluntatis, quæ autem, & quales ſint iſtæ operationes non parum diſſident. Nonnulli affirmant, proceſsiones eſſe reſultantias quaſdam, ſeù emanationes intellectus, & voluntatis, ac conſequenter, Perſonas Diuinas productas procedere

ab

ab alia eo ferè modo, quo proprietates ab eſsentia emanat, ità videtur opinari Suarez lib.1. de Trinitate cap.8. & lib. 6. c.1. tradens ſolùm relationem Perſonæ producentis eſſe totam proceſsionem actiuam, ſeù actionem productiuam. Aliqui Thomiſtæ docent, duplicem eſſe diſtinguendam intellectionem; Vnam eſſentialem communem tribus D. Perſonis, aliam notionalem Patri propriam, & Verbi productiuam. Alij verò hanc diſtinctionem, ut doctrinæ Angelici contrariam reſpuunt, aſſerendo in Deo unicam intellectionem eſsentialem, quæ eſt Verbi Diuini productiua, quatenùs modificata eſt Paternitatis relatione, & habet rationem dictionis, ac veræ actionis productiuæ.

Cęteri verò cum Scoto in 1. d. 24. q. 7. & d. 29. q. un. & quol. 14. concedunt, nedum Diuinas proceſſiones eſse veras actiones, ſed etiam eſse totaliter diſtinctas ab intellectione eſsentiali, & ab Amore eſsentiali, ità quod dictio non includat formaliter intellectionem, nec ſpiratio actiua volitionem eſſentialem, ad cuius maiorem claritatem

Not. 2. ex Scoto ubi ſupra, quod duo actus D. intellectus aſſignantur, ſcilicet intelligere, & dicere, & totidem Diuinæ voluntatis, ſcilicet amare, & ſpirare, quorum primus eſt operatiuus, & alter productiuus, qui quidem duo actus formaliter diſtinguuntur ab inuicem. Implicat enim unum, & eundem actum eſse ex ſui natura productiuum termini realiter diſtincti à principio productiuo, & productiuum non eſse. Inſuper actus productiuus neceſſariò ſupponit operatiuum, operans namque, & producens per idem principium; priùs eſt operans, quàm producens; ait Doctor: tum quia operatiuus actus eſt eſſentialis, & productiuus notionalis. Eſſentialia autem in ſententia omnium Theologorum præcedunt notionalia: hinc fit, quod Pater Diuinus priùs concipiatur intelligens, & cognoſcens ſe ipſum, & ſuam eſſentiam, quàm producens, & dicens Verbum.

Cæterùm actus vitalis eſt ille, qui producitur à principio intrinſeco vitali. Vndè cum Deus ſit ſubſtantia infinita viuens vita intellectuali perfectiſſima, hinc fit ut habeat potentias perfectiſſimas vitales, quales ſunt intellectus, & voluntas, à quibus producuntur actus vitales.

Conc.

Conc. Proceſſiones Diuinæ non ſunt puræ, & ſimplices emanationes, ſed ſunt veræ, & propriæ actiones vitales. Eſt Scoti, & D. Thomæ, qui p. 1. q. 4. art. 2. docet quod origo actiuè ſignificata, ſignificatur ut Perſona progrediens à Perſona ſubſiſtente. Vndè præſupponit eam: origo autem paſſiuè ſignificata, ut natiuitas, ſignificatur ut via ad Perſonam ſubſiſtentem, & nondum eam conſtituens, & quæſt. 41. art. 2. ad ſecundam inquit. Remoto motu, actio nihil importat, quam ordo originis, ſecundum quod a cauſa aliqua, vel principio procedit in id, quod eſt à principio: Quibus verbis diſertè pronunciat, originem, ſeù proceſſionem Diuinæ eſsentiæ eſſe modum aliquem, veluti medium inter Perſonam producentem, & productam, ac proindè non eſſe ſimplicem emanationem, ſeù reſultantiam. Et Scot. in 1. diſt. 18. q. 3. docet, quod origo, ut origo non eſt propria forma, nec Perſonæ, in qua eſt, nec Perſonæ ad quam eſt, ſed eſt quaſi via; & tunc neque primæ Perſonæ eſt forma, ſed quaſi præſupponit eam, quæ verba ſic explicantur à Fraſſen. Quaſi Scotus diceret, originem formaliter conſideratam viam eſſe inter Perſonam producentem, & productam adeòquè non eſſe formam propriam conſtitutiuam illius ex ipſis, ſed præſupponere Perſonam producentem ſua propria forma iam conſtitutam, & eſſe rationem, quà Perſona producta recipit ſuum eſſe, ſed hoc eſt habere veram rationem actionis; ergo &c. poſſet hæc conſequentia probari etiam SS. Patrum ſententijs quibus probatur Verbum D. à Patre procedere per veram, & propriè dictam generationem, ſicut, & Spiritus S. per veram actiuam ſpirationem.

Prob. conc. ratione theologica. Eſſentia D. aliter determinatur ad Filium, & ad Spiritum S. quàm ad Patrem, ſed ad Patrem terminatur per ſimplicem reſultantiam; ergo ad Filium, & Spiritum S. determinatè debet, non per ſimplicem reſultantiam, ſed per realem, & propriè dictam actionem: maior patet. Etenim eſſentia D. non determinatur ad Filium, & Spiritum S. niſi quatenus dicuntur produci; Pater autem à nullo producitur: ergo aliter eſſentia D. determinatur ad Patrem, quàm ad Filium, & Spiritum S. Perſonas productas; minor etiam eſt euidens; nam ratio conſtitutiua primi ſuppoſiti non ab alio producitur,

citur, ſed ab ipſomet Pelago D. naturæ, & quaſi proprietas effluit; ergo proceſſiones D. ſunt propriæ actiones vitales, & non emanationes.

Arg. contra conc. In rebus creatis relationes non fiunt per veram, & propriam actionem, ſed reſultant ex poſitione fundamenti, ideoque Ariſt. cap. de relatione tradit ad relationem non dari per ſe motum; ergo relationes pariter perſonarum diuinarum conſtitutiuæ non producuntur per veram actionem, ſed per reſultantiam: conſeq. patet quia in ratione relationis videtur eſſe eadem ratio in creatis, & in diuinis.

Reſp. neg. conſ. Et paritatem, ratio diſparitatis eſt, quia cum relationes creatæ ſint accidentia minimæ entitatis, inquit Scotus, non poſſunt eſſe terminus veræ actionis productiuæ, ac proindè non habent eſſe, niſi per reſultantiam, at relationes diuinæ, cum ſint ſubſtantiales, & perſonarum conſtitutiuæ habent eſſe perfectum ſubſtantiæ, & rei ſubſiſtentis, quæ propriè dicuntur fieri, & ſunt termini veræ actionis productiuæ.

Arg. 2. Actio propriè dicta includit plures imperfectiones, nempè quod ſit motus, egreſſio ab agente, & receptio in paſſo, & quod ſit terminus realiter productus, & diſtinctus ac dependens à producente, ſed hæc omnia dicunt imperfectionem in Deo: ergo &c.

Reſp. neg. mai. Nam actio ſecundum conceptum communem actionis ſolùm eſt vltima actualitas agentis ab eo egrediens egreſſu quidem vniuerſali, in quo nulla imperfectio includitur, nec ſequitur, quod terminus productus ſit effectus, aut actus, ſed tantum, quod ſit verè, & realiter productus; ſicut nec ſequitur ex eo, quod Pater ſit principium Verbi, quod Verbum dicatur principiatum, quia principiatum importat inferioritatem, & quamdam imperfectionem. quæ in diuinis repugnatiam dicit.

Arg. 3. Ariſt. 9. meta. cap. 1. In hoc diſtinguit operationem immanentem à tranſeunte, quod per hanc aliquid producatur, & per illam nihil: ergo ex mente eius intellectus nihil reuerà producit, ſed perſonæ diuinæ procedunt per operationes immanentes: ergo proceſſiones non ſunt verè productiuæ Perſonarum.

Reſp. ex Scot. in 1. d. 4. q. 7. circa finem, Ariſt. eſſe intelli-

telligendum de actionibus operatiuis, quæ ſcilicet occupantur circa obiectum non quod producant, ſed quod percipiant, quales ſunt intellectio, & volitio, ſenſatio, & appetitus, quæ idcirco propriùs dici debent actus, quàm actiones immanentes; non autem loquitur de actionibus productiuis immanentet, quales ſunt dictio, & ſpiratio actiua, quas Ariſtotiles non agnouit. Vndè ſi reuerà per actiones immanentes abſolutè nil fieret, ſequeretur, nec intellectum creatum, nec diuinum eſſe productiuum verbi, quod, & rationi, & fidei repugnat.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Verbum D. producatur per actum eſſentialem intelligendi, & Spiritus S. per actum eſſentialem volendi; vel per dictionem, & ſpirationem.

NOt. 1. Quod cum hæc quæſtio ſit perdifficilis,& controuerſa à theologis oportet priùs diſtinctè ſcire, quid ſit Verbum noſtrum mentale, à cuius cognitione ſurgit D. Aug. ad aliqualem cognitionem Verbi D. Itaque obſeruandum, quod in nobis non eſt idem intelligere, & dicere; nam dicere formaliter importat actionem verbi productiuam; intelligere autem formaliter eſt tendentia vitalis intellectus in obiectum; hæc enim omnia in intellectione repetiuntur. 1. Intellectus unitur cum obiecto, ſeù cum ſpecie obiecti. 2. Intellectus ſimul cum obiecto, vel eius ſpecie per quamdam actionem de genere actionis producit Verbum de genere qualitatis, & ſic completur formaliter ratio dictionis. 3. Verbum productum recipitur in potentia intellectiua. 4. Intellectus informatus verbo tendit vitaliter in obiectum, & illud attingit, & in hoc completur ratio intellectionis, ex quo infertur, quod intelligere, & dicere non diſtinguuntur realiter, quia cum intellectus ſit eſſentialiter potentia intellectiua, omnis eius actio eſt intellectio; ſicut omnis actus potentiæ viſiuæ eſt viſio, vel formaliter, vel cauſaliter.

Not. 2. Quod intelligere, licet præſeferat actionem, tamen formaliter non ſignificat actionem, ſed intellectionem in concreto, nàm intelligere, & intellectio differunt,

ut concretum, & abſtractum. Vnde cum intellectio non ſit actio tranſiens, ſed tantum immanens, ideſt qualitas de prima ſpecie, conſequenter intelligere eſt qualitas pariter de prima ſpecie ſignificata in concreto. Vndè Ariſt. lib. 3. de Anima dicit, quod intelligere eſt quoddam pati; quod intelligi debet, nedum quia intellectus patitur ab obiecto, ſed formaliter, quia intelligere formaliter non eſt producere intellectionem, ſed illam recipere. Itaque intelligere, & velle in nobis nòn ſunt actus productiui, ſed qualitates, quibus intellectus, & voluntas accidentaliter perficiuntur.

Not. 3. Quod Scotus in 1. d. 27. q. 1. & alibi Verbum D. declarat per noſtrum Verbum creatum iuxtà doctrinam D. Aug. Verbum autem creatum ſic diffinitur. Eſt actus intelligentiæ productus à memoria perfecta non habens eſſe ſine intellectione actuali repreſentans D. Verbum. Ex qua diffinitione quatuor conditiones, ſeù proprietates Verbi creati colliguntur. 1. Quod Verbum ſit actus intelligentiæ, ideſt intellectus intelligentis, ut docet etiam D. Aug. lib. 9 de Trinitate cap. ultimo. 2. Quod Verbum ſit genitum à memoria; hanc conditionem non admittunt Thomiſtæ dicentes, Verbum produci intellectione, ſeu intelligentia, & citant proſe D. Aug. lib. 18. Trinitatis cap. 26. ubi habet ſic. *Verbum noſtrum de noſtra ſcientia eſt*, ſed reuerà D. Aug. ſe ipſum explicat de quali ſcientia loquatur, dicit namque de noſtra ſcientia memorabili; ac ſi diceret de noſtra memoria accipitur: ac proinde ibi ſcientia ſumitur pro actu primo, ideſt pro ipſa memoria, non verò pro actu ſecundo, ut volunt Thomiſtæ. 3. Quod Verbum non ſit ſine actuali intellectione, ita D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 25. quia dum tranſit actus intellectus, tranſit & ipſum Verbum. 4. Quod Verbum eſt repreſentatiuum Verbi D. quod patet ex D. Aug. qui lib. 9. de Trinitate ex ſimilitudine Verbi creati inueſtigat naturam Verbi D. & originis ſuæ modum, ſecluſis tamen omnibus imperfectionibus, ſicut enim memoria noſtra, ideſt intellectus noſter fæcundus repræſentat Paternum intellectum fæcundum, ita Verbum noſtrum repræſentat Verbum D. Addi etiam poteſt, quod Verbum ſit ſimile ex natura rei, & ex vi ſuæ productionis producenti,

centi, quia intellectus ſpecie impreſſa informatus, producit ſpeciem expreſſam, quæ eſt Verbum ſimile ſpeciei impreſsæ.

Not.4. Quod maximum diſcrimen eſt inter Verbum D. & Verbum creatum. Primò differunt, quia Verbum creatum producitur ex memoria per actum dicendi ob ſolam indigentiam actus operandi, ideòque per ſe primò, vel intrinſecè ordinatur ad conſtituendam formaliter intelligentiam: at Verbum Diuinum producitur quidem ex paterna memoria per conſimilem actum dicendi, non tamen ob indigentiam, ſed ob ſuæ perfectionis plenitudinem: Vnde ſicut actus eius dicendi non ordinatur ad conſtituendam intelligentiam, ità Verbum eius adæquatus terminus non eſt actus formalis intelligentiæ, quæ potiùs ordine naturalis præſuppoſitionis reperitur in Patre, ſed eſt aliquid in ſe ſubſiſtens in eadem natura cum ſuo producente. 2. differunt, quia Verbum creatum eſt in ſe propriè actualis intellectio genita, ordinata ad declarandum obiectum in memoria, quodammodò exiſtens: Verbum autem Diuinum non eſt actualis intellectio, immò illam tanquàm notitiam eſſentialem, & communem tribus Perſonis præſupponit; ſed eſt in ſe propriè, & formaliter ſubſiſtens, cui appropriatè competit declarare actualem notitiam eſſentialem, quatenus eius proceſſio eſt per intellectum. 3. Differunt, quia ſi non eſt de eſſentia Verbi creati declarare obiectum latens in memoria, reſpectus tamen ille declarantis ad obiectum declaratum ſaltem eſt illi cōueniens in ſecundo modo dicendi per ſe, quatenus propriè actualis intellectio eſt: at Verbum D. ſicut non eſt formaliter actualis intellectio, ita non eſt ſibi proprius reſpectus ille declarantis ad obiecta declarata latentia in memoria Patris, ſed appropriatur ipſi Verbo.

Not.5. Quod circa præſentem quæſt. tres opiniones verſantur. Prima eſt Henrici de Gandauo quol. 6. q. 1. opinantis, Verbum D. procedere per actum intellectus, & Spiritum S. per actum voluntatis. In intellectu autem diſtinguit duplicem actum, quos explicat in intellectu creato: Alterum per modum ſimplicis intelligentiæ, alterum per modum diſcurſus, & ſic pariter diſtinguit duos actus in voluntate, & hoc modo vult in Deo ſecundum

ratio-

rationem eſſe duos actus intelligendi; vnum eſſentialem; qui retinet rationem ſimplicis notitiæ intellectus creati, alium notionalem, qui retinet rationem per modum diſcurſus in intellectu creato, & per hunc ſecundum putat produci Verbum D. & ſic pariter Spiritum S. &c. Hic tamen modus dicendi reijcitur communiter à Theologis, quia ſi ſermo ſit de intellectione creata, etiam ſi diſtinguatur ſimplex apprehenſio à diſcurſu, tamen omnis intellectio producit Verbum, quod in diuinis non eſt admittendum.

Confirmatur, quia aſſerere cognitionem eſſentialem in Deo eſſe ſimplicem quamdam notitiam, quæ ad iudicium ferendum de rebus non perueniat, eſt penitùs contra omnium Theologorum ſententiam, qui ſimplicem rerum apprehenſionem in Deo negant, & perfectiſſimum iudicium concedunt. Secunda opinio eſt D.Thomę p.1. q.27.art.5. ubi videtur docere, quod proceſſio D. Verbi eſt per actum intelligendi eſſentialem (qui communis eſt tribus Perſonis) quatenùs eſt in Patre, ſeù quatenùs connotat relationem Paternitatis, & pariter proceſſio Spiritus Sancti eſt per actum volendi eſſentialem, quatenùs eſt in Patre, & Filio; quæ opinio inferiùs impugnabitur, & reijcietur. Tertia opinio eſt Scoti ubi ſupra: unde ſit

Conc. Proceſſiones non habent eſſe per actus eſſentiales intelligendi, & volendi, ſed Verbum Diuinum producitur per dictionem, & Spiritus Sanctus per ſpirationem. Hæc videtur eſſe aperta Sanctorum Patrum ſententia, ut aduertit Fraſſen Doctor Pariſienſis p.1. tract. 3. diſp.1. art. 2. q. 3. conc. 3. & 4. Prob. à Scoto ſic. Prima intellectio, & volitio eſſentialis ſunt communes tribus Perſonis: ſed actus notionalis, ſeù proceſſiones non ſunt eis communes: ut patet: ergo &c.

Prob. 2. Si actus intelligendi, & volendi eſſent ex ſe productiui Perſonarum, ſequeretur, quod Diuinæ Perſonæ ſingulæ à ſingulis procederent, immò etiam à ſe ipſis: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Nec valet reſpondere, proceſſiones Diuinas actiuè ſumptas eſſe ipſoſmet actus intelligendi, non quidem abſolutè, ſed cum hac modificatione, quatenùs eſt in Patre, & ſic pariter de Spiritu Sancto. Non valet inquam. Etenim, vel illa modificatio addit aliquid

reale intellectui, & amori eſſentiali, vel nihil. Si nihil, ergo non eſt ratio, cur in una Perſona producat terminum, non verò in alia. Idem enim manens omninò idem ſemper natum eſt facere idem, ut tradunt Phyloſophi: Si addit aliquid, vel eſt aliquid eſſentiale, vel notionale; non primum, quia recurrit eadem difficultas, nam eſſentialia communia ſunt tribus Perſonis; neque ſecundum, quia nihil notionale eſt præter relationes conſtitutiuas Perſonarum.

Adde. Si illa modificatio addit aliquid eſſentiale intellectui, quod ſit ab ea, vel modaliter, vel formaliter diſtinctum, ut placet multis Thomiſtis, teſte Macedo in 1. ſent. coll. 5. diff. 1. iam intellectio non erit productiua termini, ut intellectio eſſentialis eſt, ſed tantum ut eſt intellectio notionalis, at falſum eſt diſtinguendas eſſe duas intellectiones, quarum una ſit eſſentialis, alia verò notionalis: ergo &c. Reſp. alij. Intellectionem, & volitionem eſſe productiones Perſonarum, non ut actus, ſed ut actiones dicendi, & ſpirandi.

Contra. Intellectio eſt quid formaliter diſtinctum à dictione, ergo non ſunt unum, & idem, ergo confunduntur ab Aduerſarijs; Vel ſaltem per aduerſarios diſtinguuntur ratione, ſeu virtualiter; & hoc nobis ſufficit ad conuincendos Thomiſtas, intellectionem eſſentialem, & amorem eſſentialem non eſſe, nec quidem ut in Patre, & Filio rationem formalem producendi, ſed per aliquid diſtinctum ab ipſis. Reſp. aliqui. Dictionem non eſſe formaliter intellectionem, ſed tantum realiter, ſed hæc reſponſio tranſit in ſententiam noſtram, ergo &c. Reſp. alij, quod dicere eſt quidem aliud ab intelligere tantum, ut includens, & incluſum; ſicut enim homo eſt àliud ab animali, quia includit aliquid aliud, nempè rationale, ità à pari actus notionalis præter ordinem, quem actus eſſentialis dicit ad obiectum cognitum, addit ordinem ad terminum productum per ipſum: Intellectus namque Diuinus per illos intelligit obiectum producendo terminum, & producit terminum intelligendo obiectum.

Verùm falſa videtur hæc reſponſio: quia dictio in ſuo conceptu formali non includit intellectionem eſſentialem, ſicut homo in ſuo conceptu formali includit animalitatem,

litatem, & rationalitatem; immò ſi ſe haberet tanquam includens, & incluſum ſequitur, quod aliud ſit intellectio, & aliud dictio, ac proindè etiam iſta reſponſio ſtat pro noſtra ſententia.

Prob. 2. noſtra conc. Si Verbum eſſet terminus D. intellectionis, ut intellectio eſt, ſequeretur Patrem eſſe formaliter intelligentem Verbo, ac proindè formaliter ſapientem ſapientia genita, ſed conſequens eſt contra Ss. Patres; ergo &c. Patet ſequela mai. Nam Pater eſt intelligens formaliter, at intelligens formaliter, intelligit intrinſeco termino ſuæ intellectionis, quia talem terminum ſibi vindicat, ut euenit in nobis etiam ſecundum Thomiſtas: min. prob. pro nunc auctoritate D. Auguſt. lib. 25. de Trinitate. *In illa Trinitate* (inquit) *quis audeat dicere, Patrem, nec ſe ipſum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere niſi Filium?*

Arg. contra noſtram conc. Et primò auctoritate D. Auguſtini, & Sac. Script. ſimul, qui lib. 25. de Trinit. cap. 10. docet, cogitare idem eſſe, ac dicere; Sic enim allato text. Sac. Script. ex illo Sapientiæ cap. 2. *Dixerunt apud ſe cogitantes*, & Matth. cap. 9. *Dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat*; Expendens reſponſionem Chriſti. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* ait D. Aug. *Quid eſt dixerunt intra ſe, niſi cogitando?* & rurſum. *Quædam enim cogitationes, locutiones ſunt cordis*; & idem Auguſt. lib. de cognitione veræ vitę cap. 24. ità tradit. *Ipſe dixit, & facta ſunt. Nihil enim aliud eſt Filius, vel Verbum Dei, quàm cogitatio, vel ars, vel ſapientia eius, nempè cum nos rem aliquam cogitamus ipſius rei imaginem in cogitatione noſtra formamus. Sic Deus, cum ſe ipſum cogitauit ſimilem ſibi per omnia, imaginem formauit. Ideò hoc verbum, imago, vel ſimilitudo Dei dicitur.* En, dicunt Thomiſtæ, cogitauit, formauit, cogitando, non dicendo, intellectione, non dictione; & hoc eſt principale fundamentum eorum ſententiæ.

Reſp. cum Macedo in 1. collat. 5. differ. 1. quod liber de cognitione veræ vitæ non eſt Aug. idcircò à Louanienſibus inter opera reiecta ad finem tom. 22. ponitur; & quidem iure poſitum fuit; apparet namque manifeſtè, non eſſe opus D. Aug. cum contra ſentiat apertè 15. de Trinitate cap. 76. ubi ſic docet. *Ità dicitur illud Verbum vt Dei cogitatio non dicatur*: quomodo ergo poteſt ſtare alius locus ſuperiùs productus cont. noſtram conc. & poſtquam re-

mouit cogitationes noſtras à mente Dei, ſic concludit. *Non ergo ille Dei Filius cogitatio Dei; ſed Verbum Dei dicitur. Cogitatio enim noſtra perueniens ad id, quod ſcimus, atque inde formata, Verbum eſt noſtrum, & eſſe Verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi vt forma ipſa intelligatur ſimplex.* Hæc ille. Vnde hoc loco refellitur alius adductus ex lib.15.de Trin. ubi D. Aug. ſolum docet cogitationes eſſe quędam mentis verba, in qua mente formantur ad inſtar Verbi, quod ore profertur.

Adducuntur etiam aliæ auctoritates PP. & præſertim S. Fulgentij, & S. Anſelmi, qui videntur docere, intellectionem eſſe productiuam Verbi; quibus reſp. nil aliud velle. SS. PP. in ſimilibus loquendi modis quàm quod dicamus, vel loquamur mẽtaliter, quando aliud cogitamus, ſiue illa cogitatio ſit illa actio, qua producitur Verbum mentis, ſiue illius Verbi in intellectu receptio formalis, & hoc, quia non ità exactè hanc materiam expenderunt, ſicut D. Aug. Immò pluries videntur confundere intellectionem eſſentialem cum dictione, & è contra, vt patet de D. Anſelmo in Monolog. cap. 58. ubi ſic ait. *Sicut Pater eſt intelligens & Filius eſt intelligens, & Spiritus S. eſt intelligens, ità Pater eſt dicens. Filius eſt dicens, Spiritus S. eſt dicens.*

Arg. ratione. Illa dictio, quam ponit Scot. vel eſt actus intellectus, vel non; ſi non, quomodò per illam producitur Verbum? & quomodò exit ab intellectu? & cùm intellectus D. non ſit principium, niſi intellectiuum, & conſequenter principium intellectionis, ſi eſt actus intellectus, quomodò ex natura rei diſtincta ab intellectione? ergo ſi Verbum D. per illam dictionem procederet non intelligendo, nec eſſet Filius, nec imago Patris, quia hæc non habetur, niſi per intellectionem. Inſuper, quia ſi Verbum produceretur dicendo, non intelligendo, non eſſet productio Verbi formaliter generatio, ſed tantum concomitanter, & materialiter, quod eſt maximum abſurdum; ſi admittatur ſententia Scoti diſtinguentis dictionem ab intellectione diſtinctione formali; undè formaliter non eſt intellectio, ac proinde nec formaliter generatio, ità format argumentum Macedo ubi ſupra deſumptum ab aduerſariorum rationibus.

Reſp. igitur cum ipſomet Macedo. Illa dictio eſt via, & quaſi actio Patris, per quam communicat Filio Verbo

ſuam intellectionem eſſentialem, & abſolutam; idcircò non eſt formalis intellectio, ſed radicaliter tantum, eſt tamen formaliter dictio, & productio, & via communicandi. Declaratur exemplo. In calefactione eſt calor, fluxus caloris, & via ad calefaciendum ſubiectum. Calor eſt forma, calefactio calor in fluxu, at via eſt productio, quæ fit ab agente in paſſum de prædicamento actionis. Vndè neque calor permanens, qui eſt forma, neque fluxus, vti eſt calidus eſt productio, ſed actio, & via præcisè, uti eſt ab agente, quo exemplo optimè declaratur ſententia Scoti: Eſſentia intellecta eſt noſtro modo concipiendi, quaſi forma, intellectio, quaſi formę fluxus fluxu, dictio, via, & actio, ſiuè productio correſpondens actioni, quæ non eſt eſſentia permanens, neque fluens, ſed ipſa via, & actio, quę non includit formam, vel quaſi formam, ſiuè permanentem, ſiuè communicatam, ſed retinet ſuam rationem diſtinctam productionis. Vndè ſicuti per actionem calefactiuam communicatur tota ratio caloris, quæ in paſſum recipitur, non tamen actio, quæ eſt agentis; ità & in productione Verbi D. communicatur eſſentia, & intellectus, & intellectio abſoluta per dictionem; non tamen communicatur dictio, quæ eſt notio Patris. Igitur non rectè colligitur argumentum, materialiter tantum, & non formaliter reddi Verbum ſapientia, quia non producitur per intellectionem; qua talis eſt, nam dictio non eſt forma, nec perfectio formaliter intellectiua, ſed actio communicatiua illius, & ad id ordinata, ut Verbum gigniatur ſapientia, & Verbum formaliſſimè ſapiens per intellectum eſſentialem ei communicatam. Quemadmodum malè argumentaretur ille, qui negaret paſſum fieri, & eſſe formaliter calidum, quia actio, & via communicandi calorem non eſſent formaliter calor, neque forma fluens calida, cùm per actionem præcisè, & ut actio eſt, paſſum formaliter non fiat calidum, eaque ſit actus agentis, ut agens, non forma paſſi calidi, quod non fieret calidum, niſi foret actio, ſed non fit calidum formaliter per actionem. Hæc eleganter Macedo; Addo, quod omnis actus intellectus eſt intellectio, vel formaliter, vel cauſaliter, ſicut in alijs potentijs immanenter operantibus; actio enim potentiæ viſiuæ, vel eſt viſio, vel productio viſionis.

 Arg.

Arg. 2. Illa dictio, vel eſt prior intellectione, vel eſt poſterior, vel concomitans: ſed nullum eſt: ergo non eſt niſi intellectio: min. prob. non eſt prior, quia dicere eſt notionale per Scotum; notionalia autem poſteriora ſunt origine abſolutis: non eſt poſterior, quia tunc iam ſupponeret intellectionem productam, & proindè Filium, & Verbum productum; non concomitans, quia tunc æqualiter concurrerent ad producendum Verbum, tanquam duæ rationes reſpectu illius, quod non eſt admittendum in Diuinis: ergo &c.

Reſp. Dictionem eſſe poſteriorem intellectione eſſentiali, quia in Patre priùs eſt intelligere, quàm dicere, & Scot. 1. d.2. q.7. §. ad ſecundum docet immediatiùs eſſe ad memoriam fæcundam Patris intelligere, quàm dicere, & declarat exemplo luminis, in quo lucere priùs eſt, quàm illuminare, & quol. 2. docet, dicere in nobis non diſtingui ab intelligere, ſed eſſe penitùs idem. In Diuinis non ità; ſed diſtingui formaliter, cum intelligere ſit communicabile, ſecùs autem dicere.

Dices. Si admittantur illi duo actus intelligendi, & dicendi ex natura rei diſtincti, quæritur: An illa intellectio operetur, & producat aliquid, vel non: Si nihil, quo modo eſt actio, vel per modum actionis: Si operatur quid aliud operatur quàm productionem Verbi? ergo ſententia Scoti de dictione non eſt admittenda. Reſp. Quod illa intellectio eſt actus intelligendi abſolutus, & à memoria perfecta emanatus, quo Pater in actu conſtituitur principium productiuum per dictionem, quæ ſupponit intellectionem, ſicut illuminatio actum lucentem, ac proinde in Deo ſunt rationes diſtinctæ, intellectio, & dictio. Neque iſta difficultas urget tantùm Scotiſtas, ſed ipſos etiam Thomiſtas, qui neceſſariò debent ponere intellectionem communem, & abſolutam, quæ non eſt productio notionalis Verbi, diſtinctam, ſi non formaliter, ſaltem ratione, & virtualiter. Itaque tenentur & ipſi ſoluere hanc difficultatem, quam in noſtra ſententia iam ſoluimus.

Arg. 3. Ideò Doctor ſubtilis diſtinguit dictionem ab intellectione eſſentiali, ne ſcilicet Verbum dicatur procedere per operationem eſſentialem intelligendi tribus Perſonis communem; ſed recurrit eadem difficultas admittendo

tendo actus in intellectu Diuino distinctum ab intellectione eſſentiali: ergo Scotus incidit in Syllam, cupiens vitare Caribdim. Prob. min. Illa actio formaliter ex natura rei ab eſſentiali intellectione distincta eſt in ratione actionis actus abſolutus, ut eſt intellectio ipſa; ergo in ratione actionis eſt communis, & eſſentialis, ſicut eſt intellectio ipſa: ergo &c. conſeq. patet: ant. prob. Actio illa in ratione actionis ab intellectu dimanantis non eſt formaliter relatio, quia hæc nec productiua eſt, nec per modum actionis egreditur ab intellectu, cum ſit terminus D. naturæ conſtituens ipſam in ratione Perſonæ: ergo talis actio ſub conceptu actionis eſt quid abſolutum, ſicut intellectio. In Deo namque quicquid non eſt relatiuum, eſt abſolutum, & pertinet ad eſſentialia; ac proindè ſequitur ex ſententia Scoti, quod Pater per actum abſolutum tribus Perſonis communem producat Verbum: ergo potiùs hoc tribuendum eſt eſſentiali intellectioni, ne fruſtrà multiplicentur in Deo actiones.

Reſp. neg. min. & prob. ant. Dictio enim Diuina eſt reuerà illa formalitas conſtitutiua primi ſuppoſiti, ideſt Patris, ac proindè dictio eſt ipſamet relatio Paternitatis, non quidem quatenus conſideratur ſub præciſa ratione relationis referentis unum ad aliud, ſed prout eſt illa ipſa operatio Diuina, qua primum ſuppoſitum ſuam eſſentiam, & eſſentialia ſua communicat ſecundo ſuppoſito, ad quod proptereà refertur, tanquàm generans ad genitum. Vnde actio generatiua in Diuinis dici poteſt formaliter relatio ſecundùm inadæquatam entitatem, & diuerſam connotationem: eadem namque formalitas conſtitutiua primi ſuppoſiti varias ſortitur appellationes ob diuerſam connotationem terminorum; & varia munia, primò enim conſtituit primam Perſonam. Secundo conſtituit principium ut quod potens producere. Tertio tribuit actiuam generationem, ac denique Patrem conſtituit actualiter, & quaſi prædicamentaliter relatum ad Filium. Ità Fraſſen in 1. part. Theol. Scoti.

QVÆSTIO V.

Vtrum ſola productio Verbi dicatur generatio, vel etiam proceſſio Spiritus S.

NOt. 1. Quod de fide eſt dari in diuinis generationem, ut definitur in pluribus Concilijs, Niſæno, Epheſino, Toletano &c. in illis confeſſionibus fidei, quibus dicitur: Filius genitus, & à Patre natus, non autem factus, néc creatus, & habetur expreſſè in S. Scrip. in Pſal. 2. ***Filius meus es tu ego hodie genuite***; quem quidem textum D. Paul. in epiſt. ad Hebr. explicat de æterna Chriſti generatione, & in Pſal. 109. ***In ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genitum***; Quæ verba non intelliguntur de generatione temporali, ſed de æterna, ut docent SS. Patri.

Not. 2. Quod generatio viuentium tripliciter ſumitur. Primò pro productione cuiuslibet viuentis, ſiue ſit à viuente, ſiue non; ſic generatio Animalium ex putri, ſic formatio Adami ex limo terræ, & Euæ ex coſta eiuſdem Adami. 2. Strictè pro productione viuentis à viuente medio principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ, quæ deſcriptio quatuor particulas includit. Prima quod ſit origo viuentis, quia natiuitas pertinet tantum ad viuentia: 2. à principio viuente, per quam excluduntur productiones viuentium ab igne, à ſole, & ab alijs cauſis vitam non poſſidentibus: 3. à principio vitæ coniuncto, ideſt ut id, per quod genitum producitur, fuerit aliquando generanti coniunctum; genitum enim fit per ſemen à generante deciſum: 4. in ſimilitudinem naturæ, non quidem indiuiduæ, ſed vel genericæ ſcilicet animalis ab animali, qualis eſt generatio Muli ex Equo, & Aſina, vel ſpecificæ, qualis eſt generatio hominis ab homine: 3. ſtrictiùs pro generatione ſpirituali, quæ ſic poteſt deſcribi. Eſt origo viuentis intelligentis à viuente vita intellectuali mediante principio vitæ intelligentiæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ diuinæ ex vi proceſſionis, & hanc deſcriptionem congruere productióni Verbi probat Scotus in 1. d. 5. q. 2. Vnde aduertendum, quod aliquid produci ſimile ex vi proceſſionis, eſt, quando proceſſio fit per potentiam, quæ ex ſua ratione formali nata eſt ſibi aſſimilare

termi-

terminum; produci autem ſimile non ex vi proceſſionis, eſt, quando non ex ſua ratione formali, ſed per aliam rationem adiunctam, & extrinſecam potentia producit terminum ſibi ſimilem: ſic Æthiops ex vi ſuæ proceſſionis habet, quod ſit animal, & rationale; non tamen, quod ſit niger, licet iſta conſequantur mutuò; ſic quando voluntas producit, non intendit producere aliud veluti ſe ipſam, ſed affectum, ſeu amorem, quo alteri vniatur. Verùm voluntas D. quatenus diuina eſt, habet, ut producat terminum, qui ſit Deus, ſed non ut voluntas, Vndè licet terminus voluntatis D. ſit ſimilis ſibi; non tamen eſt ſimilis ex vi proceſſionis: ſecùs autem intellectus, qui ut intellectus eſt habet producere terminum ſibi ſimilem, & ut imago,& ſimilitudo repreſentare ſuum obiectum,quod eſt eiuſdem actus principium ſimul cum ipſo intellectu.

Not. 3. Quod aliqua poſſunt diſtingui ab alio tripliciter. Primo modo formaliter, ut homo formaliter diſtinguitur per rationalitatem à Bruto: 2. originatiuè, ſiue principiatiuè, ſicut homo, & Brutum diſtinguuntur per ſua principia productiua, a quibus habent eſſe diſtinctum. 3. manifeſtatiuè, ſiuè declaratiuè, ſicut diceretur, hominem, & Brutum diſtingui per accidentia extrinſeca, & per ſuas operationes. Vndè in propoſito generatio, & ſpiratio diſtinguuntur formaliter, originatiuè,& manifeſtatiuè per ſuppoſita producta, quia per ipſa apparet diſtinctio illarum productionum.

I. Conc. Sola Filij productio eſt generatio, non autem productio Spiritus S Hæc eſt de fide definita in Concilio Tolet. 1. & 2. & in Nicæno, ubi habetur. *Vnus vnigenitus Deus, & Pater vnus ex eo genitus, Filius, Deus, Verbum*. Itá pariter habetur in Symbolis Apoſtolorum. *Filius Dei vnigenitus*; in Nicæno: *In Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum*, & D. Athan. *Spiritus S. à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*; ergo &c. Eandem veritatem tradunt SS. PP. quos legere poteſtis apud diuerſos auctores Sac. Theologiæ.

Prob. ratione vtraque pars conc. Generatio eſt productio per modum naturæ, ſed Filius producitur per modum naturæ: ergo &c. Minor patet, quia producitur per intellectum, qui eſt potentia naturalis in eſſendo, & in ope-

rando: ſubſumo minorem, ſed Spiritus S. producitur per voluntatem, quæ ex ſua ratione habet, quod producat liberè (eſtò in eſſendo dici poſſit potentia naturalis) non libertate contrarietatis, aut contradictionis, ſed eſſentiali, quæ conſiſtit in hoc, quod principium producens ob eſſentiale dominium ſe ſe eligibiliter, & delectabiliter determinet ad actum.

Confirmatur. Quod proceſſio Filij ſit generatio, non autem Spiritus S. Nam per illam producitur terminus ex vi proceſſionis; & non per iſtam; quia actus voluntatis non habet rationem imaginis, & ſimilitudinis repræſentantis ſuum obiectum, ſed habet inclinationis rationem, & propenſionis in obiectum, ut docent Scotus d. 10. n. 13. & d. 13. n. 20. & alibi D. Bonau. d. 27. p. 1. & in Compendio Theologicæ veritatis lib. 1. cap. 7. & D. Thom. p. 1. q. 27. art. 4. quam quidem propenſionem explicat ſimilitudine vnionis, ſeu vinculi, quo amans dicitur coniunctus amato, vel eſſe in illo, & quaſi pondere quodam in illud ferri.

II. Conc. Ratio proxima, & immediata, cur proceſſio Verbi D. ſit generatio, non verò proceſſio Spiritus S. eſt, quia Verbum procedit, & producitur naturaliter, & non voluntariè, Spiritus S. autem producitur voluntariè, & non naturaliter. Ex qua concluſione ſequitur, quod generatio, & proceſſio ſeu ſpiratio diſtinguuntur ſe ipſis formaliter. Prob. quia tota ratio formalis unius eſt non eadem toti rationi formali alterius; ac proindè ex ſuis rationibus formalibus impoſſibile eſt unam eſſe aliam: & hanc rationem aſſignat Scotus in 1. d. 13. q. vn. §. ad quæſt. his verbis: Reſpondeo quod productiones ſe ipſis formaliter diſtinguuntur; generatio enim formaliter in ſe ipſa eſt generatio, & ſpiratio eſt formaliter ſpiratio. Et ex rationibus formalibus earum impoſſibile eſt generationem eſſe ſpirationem quocunque alio per impoſſibile circumſcripto. Quam rationem firmat Doctor auctoritate D. Aug. & meritò, inquit, Macedo in tom. 1. coll. 7. diff. 2. Nam cognito, & perſpecto conceptu generationis, & ſpirationis, apparebit diſtinctio, ſicut penetratis rationibus rationalis, & irrationalis, patebit earum differentiarum diuerſitas.

Prob.

Prob. ulteriùs. Non inuenitur, præciſis iſtis originibus, & proceſſionibus, alia cauſa diſtinctionis in diuinis; ergo ipſæ ſunt cauſæ diſtinctionis: patet ant. nam quicquid eſt ante illas eſt eſſentiale, & abſolutum in Deo, & principium quo illarum; ſed hoc eſt omninò idem, & commune tribus Perſonis, & quicquid eſt poſt illas diſtinguitur, & conſtituitur per illas, uti eſt Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens; ergo ab ijs eſt omnis diſtinctio, quocunque alio præciſo, ſeu circumſcripto.

Arg. contra 1. conc. Spiritus Sanctus eſt æquè ſimilis Patri in Diuinitate, ac Filius: ergo proceſſio Spiritus Sancti eſt æquè generatio, ac proceſſio Filij: ant. patet, quia Spiritus Sanctus eſt Deus, ſicuti Pater, ac proinde eſt ſimilis producenti.

Reſp. diſt. ant. Spiritus Sanctus eſt æquè ſimilis Patri, ac Filius, ratione Deitatis, & ratione infinitatis voluntatis Diuinæ, concedo; ex vi ſuæ proceſſionis, nego: procedit namque per voluntatem, quæ ut voluntas eſt, non eſt nata producere terminum ſibi ſimilem, ſed hoc habet à ſua Diuinitate, & infinitate.

Arg. 2. Filius Dei plerumque in Sac. Scrip. dicitur Primogenitus: ergo alium habet poſteriorem genitum, ideſt Spiritum Sanctum: ergo proceſſio Spiritus Sancti pariter eſt dicenda generatio.

Reſp. Filium Dei dici Primogenitum negatiuè, quatenus negatur, quod habuerit fratres præcedentes, ſiuè ſequentes habuerit, ſiuè non: at non dicitur Primogenitus poſitiuè, quia ſic negaret anteriores, & affirmaret poſteriores.

Arg. 3. dilemmate Hæreticorum Eunominianorum, & Macedoniorum ingugnantium Spiritus Sancti Diuinitatem ſic. Aut Spiritus Sanctus eſt Deus genitus, aut ingenitus; ſi eſt ingenitus erunt duo Dij originis expertes, & ingeniti: ſi verò eſt Deus genitus; vel genitus à ſolo Patre, ſicut Verbum, & tunc erunt duo gemelli fratres, vel Spiritus Sanctus erit filius poſterior natu, quàm Verbum, vel Spiritus Sanctus eſt genitus à ſolo Filio, & ſic erit Nepos Patris, & Pater erit Auus: vel denique eſt genitus à Patre, & Filio; ſicque fiet, alterum parentem eſſe maſculum, & Patrem: alterum verò fœminam, & Matrem, quod repugnat;

gnat: ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus: hanc argumentationem referunt, & refellunt Nazianzenus oratione de Theologia, & Athanaſius Epiſt. ad Serapionem.

Reſp. Ingenitum apud Patrem uſurpari duobus modis. Primò quatenus idem ſignificat, quod à nullo principio producatur, quo ſenſu ſolus Pater eſt ingenitus: ſecundò pro quacunque re, quæ non procedit per generationem propriè dictam, quo ſenſu Spiritus Sanctus appellatur ingenitus ab aliquibus PP. ſed impropriè, ut docet D. Aug. ſerm. 3. infrà octauam Epiphaniæ, & Concil. Tolet. 2. & ſic ruit tota argumentatio Hæreticorum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum proceſſiones D. ſint per eſſentiam, ac intellectum, & voluntatem; Vbi etiam de potentia notionali.

NOt. 1. Quod in productionibus duplex principium concurrit; ideſt principium quod, & principium quo. Primum eſt quod operatur, ſeu producit, & eſt ipſum ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtens, cui ultimatè competit actio. Secundum eſt virtus aliqua per quam ſuppoſitum poteſt operari, & ſic calor eſt principium quo ignis calefacit: potentia intellectiua eſt qua homo intelligit, at hæc virtus, ſeù principium, quo una Perſona in Diuinis producit aliam, vocari ſolet potentia notionalis, ſeù potentia productiua ad intra.

Not. 2. Quod in hac præſenti quæſtione ſunt tres opiniones. Prima eſt Durandi in 1. d. 6. q. 2. affirmantis naturam Diuinam præciſam, & formaliter, aut virtualiter diſtinctam ab intellectu, & voluntate eſse, non ſolùm radicale, & remotum, ſed etiam proximum, & immediatum principium quo Diuinarum proceſſionum; quæ quidem opinio improbabilis exiſtimatur. Secunda eſt D. Thomæ in 1. d. 12. q. 1. art. 3. ubi docet emanationes oriri immediatè ab ipſis relationibus. Verùm cum alibi aſſerat, eſſentiam, & Paternitatem diſtingui virtualiter; conſeq. eſt, ut teneat generationem immediatè à Paternitate virtualiter diſtincta oriri: nihilominus iam communis eſt Thomiſtarum ſententia, emanationes Diuinas oriri immedia-

mediatè non ab eſsentia, nec à relationibus, ſed ab intellectu, & voluntate ad Perſonam Patris, & Filij per relationes paternitatis, & filiationis determinatis. Tertia eſt Scoti in 1. d.7. q. un. ubi principium formale actuum notionalium vocat potentiam generandi, & arguit contra D.Thomam, qui 1. p. q.42. art. 5. docet, eſſentiam Diuinam, ut præciſam a relatione eſſe potentiam generandi. Affero textum D.Thom. ſic igitur dicendum eſt, quod potentia generandi principaliter ſignificet D. eſſentiam ut d.1. q.7. non autem tantum relationem, nec etiam eſſentiam, inquantum eſt idem relationi ut ſignificet, ex æquo utrumque, hæc S. Doctor. Vnde aduertit Macedo in 1. coll. 5. diff. 2. ſect. 1. quod Scotus, & D.Thomas concordant in eo, quod dicunt potentiam generandi in ſe, & per ſe ſumptam, ut eſt prnicipium quo, eſſe abſolutum quid, non relatiuum; differunt autem, quia D.Thomas ſentit, naturam Diuinam completè, & adæquatè eſſe potentiam generandi, ſecluſis relationibus. Verùm Scotus iudicat illam potentiam generandi compleri per relationem, non tanquam per comprincipium, ſed tanquam per conditionem quamdam requiſitam. Ex quo patet, quod opinio D.Thomæ diuerſimodè adducitur; at ego credo doctiſſimo Macedo. His poſitis.

I. Conc. Diuinæ proceſſiones ſunt per eſſentiam Diuinam, tanquam potentiam notionalem, ſeu principium quo. Ità Alenſis, D.Thomas, & Scotus. Eandem docent SS. PP. & ſignanter D. Anſelmus in Monologio cap. 52. ubi ſic loquitur: *Non ex eo procedit Spiritus Sanctus, in quo plures ſunt, ſcilicet Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo vnum eſt. Nam non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt, ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum*: ergo proceſſiones ſunt &c.

Prob. ratione. Perſonæ Diuinæ productę aſſimilantur Perſonæ producenti ſecundum Diuinam naturam: ergo ipſa Diuina natura eſt principium, quo Perſona producens agit. Prob. 2. Pater ratione Diuinæ eſſentiæ fit fæcundus, ac proindè potens generare: ergo ipſa eſſentia eſt principium quo Diuinarum Perſonarum.

II. Conc. Potentia notionalis, ſeù principium quo ex adiuncto dicit relationem, tanquam conditionem ſine

qua

qua non eſt eſſentia principium. Eſt Scoti ubi ſupra, Scotiſtarum, & plurimorum extra noſtram ſcholam.

Prob. Eſſentia D. de ſe ſumpta ſine relatione producentis eſt indifferens, ut exeat in actum notionalem, vel non; aut in hunc, vel in alium actum notionalem; ergo potentia notionalis ex adiuncto dicit relationem tanquam conditionem ſine qua non: ant. patet quia ſi ex ſe foret ſufficienter determinata in ratione principij productiui, eſſet ſic determinata ubicunque, ſeu in quacunque Perſona; eò, quia id, quod conuenit eſſentiæ ex ſe, conuenit ei, ut eſt in quocunque ſuppoſito; ac proindè eſſet in tribus ſuppoſitis generatiua, & ſpiratiua virtus; quod eſt falſum. Prob. 2. Ad principiandum, ſeu producendum requiritur ſuppoſitum realiter diſtinctum à Perſona productiua; ſed ad rationem ſuppoſiti requiritur relatio; ergo relatio eſt neceſſaria tanquam conditio ſine qua non ad hoc, ut eſſentia poſſit eſſe principium quò.

III. Concl. Eſſentia cum relatione non eſt adæquatum principium quo, ſeu potentia notionalis, niſi quatenus intelligitur ſimul cum eſſentia intellectus ipſe, qui eſt principium proximum generationis Filij, & voluntas proximum principium ſpirationis Spiritus S. Hæc eſt Scoti ubi ſupra, & eſt communis. Ratio eſt clariſſima; quia Pater generat per intellectum, Pater, & Filius ſpirant per voluntatem; ergo ipſe intellectus, & voluntas ſunt principia proxima. Tum quia iuxta PP. & Doctores Filius procedit ex memoria fæcunda; Spiritus S. ex fæcunda voluntate Patris, & Filij, quod deſignat intellectum, & voluntatem eſſe principia; ergo &c. Tum quia Filius eſt Verbum mentis paternæ, Spiritus S. amor Patris, & Filij: ſed Verbum producitur ab intellectu, & amor à voluntate: ergo intellectus, & voluntas ſunt principia, non quidem ut quod; hoc enim competit ſuppoſito, ſed ut quo proxima, & immediata, cum amor, & Verbum non ſpectent proximè ad eſſentiam, ſed ad intellectum, & voluntatem.

IV. Concl. Actualis intellectio, & actualis volitio eſſentialis non ſunt actus notionales, ſeù ipſæ origines actiuæ, ſeù productiones Perſonarum: ſed intellectus, & voluntas in actu primo ſunt principia quo diuinarum Proceſſionum. Eſt Scoti d. 2. q. 1. & d. 12. q. 1. & Scotiſtarum,

& alio-

& aliorum contra Suarez, & alios opinantes ipſam intellectionem, & volitionem eſsentialem eſse principia quo.
Prob. conc. quoad 1. partem. Intellectio noſtra, ſeu actus intellectus noſtri non eſt actio productiua Verbi; ſed intellectus cum obiecto producit Verbum alia actione prolatiua Verbi; ergo ſimiliter intellectio djuina non eſt productiua Verbi, ſed dictio; patet conſeq. quia intellectio, & volitio eſsentialis ſunt actus abſoluti, & communes tribus Perſonis; productio autem perſonalis, ſeù notionalis eſt quid relatiuum, non competens tribus Perſonis. Prob. 2. Ipſa generatio actiua, quæ coincidit cum relatione Paternitatis eſt productio Filij, ſimiliter ſpiratio actiua, quæ omninò eſt eadem cum relatione ſpirationis, eſt productio Spiritus S. ac proindè productiones Perſonarum ſunt relatiuæ, non communes tribus; ergo intellectio, & volitio eſsentialis non ſunt actus notionales, ſeu productiones ipſæ Perſonarum.
Prob, conc. quoad 2. partem. Filius eſt Verbum mentis paternæ: at Verbum eſt actus ipſius mentis, ſeu intellectus, & non actus alterius actus; ergo &c. idem cum proportione de Spiritus Sancti productione, qui eſt amor ſpiratus dicendum eſt; ergo &c.
Prob. 2. Intellectus Diuinus non eſt minus potens dicere Verbum ſuum, quàm intellectus creatus ſe ſolo cum obiecto, ſeu ſpecie producit Verbum: ergo & intellectus Diuinus cum eſſentia eſt adęquatum principium quo Verbi. Confirmatur. Etenim ex nullo capite oſtendi poteſt eſſentiam cum intellectu, & voluntate non ſufficere ſine actibus, ergo &c. Confirmatur 2. Quia ſi per impoſſibile intellectio, ſeu ſcientia actualis Diuina diſtingueretur realiter ab eſſentia, eſſet verum Verbum, & tamen produceretur à ſolo intellectu, & obiecto abſque concurſu alterius intellectionis, ſeu actus intelligendi. Tum quia iuxta Patres Filius procedit ex memoria fœcunda Patris; at memoria fœcunda non eſt intellectio, ſed ipſe intellectus cum obiecto, ſeu ſpecie: ergo Filius procedit non ex intellectione, ſed ex ipſo intellectu in actu primo, & ex eſſentia.
Arg. contra 2. conc. Si relatio non ſpectat ad ipſam potentiam ut comprincipium, ergo in Filio eſt potentia generan-

nerandi, & in Spiritu Sancto potentia ſpirandi, cum in ijs ſit, ſecluſa relatione, quicquid potentia notionalis per vos adæquatè ſumpta includit.

Reſp. neg. conſ. Nàm potentia generandi, & idem de potentia ſpirandi, propriè uſurpando verbum generandi in virtute gerundiui, idem eſt ac potentia ad generandum, quod deſignat actum generandi, ut egredientem ab eodem ſuppoſito, cui tribuitur potentia generandi, ac proinde importat potentiam ſimul cum relatione requiſita, nempè Paternitate, ſine qua potentia generatiua non ordinatur in ſuppoſito Diuino ad generandum, ſi tamen latè, & impropriè ſumatur, ut potentia generandi nihil aliud ſit niſi id, quo Pater generat; ſic verè eſt in Filio potentia generandi, quia in Filio eſt principium quo Pater generat; Ità Scotus, qui in 1. d.7. q.1. docet, quod hic terminus generandi poteſt ſumi tripliciter. 1. ut eſt gerumdiuum huius verbi genero generas; & ſic non dicitur de Filio ob rationem aſſignatam. 2. ut eſt gerumdiuum verbi paſſiui, & ſic iuxta Magiſtrum ſent. conceditur, quod Filius habet potentiam generandi. 3. prout eſt genitiuus huius participij: generandus, da, dum; & ſic dicit quaſi imperſonalem actum ex potentia tali, aut ad gignitionem actiuam, aut paſſiuam.

QVÆSTIO VII.

Vtrum eſſentia Diuina ſit terminus proceſſionum.

NOt. 1. Quod quæſtio ſupponit tanquam fidei dogma, Perſonas Diuinas oriri de eſſentia Diuina; ſic enim diffinitum habetur in pluribus Concilijs, & præſertim in Concilio Tolet. Filius non ex nihilo, aut ex alia ſubſtantia, ſed ex utero Patris, ideſt ex ſubſtantia genitus, credendum eſt; & in Concilio Florent. ſeſs.19. ita docente: hanc nobis doctrinam Doctores omnes tradiderant, orationes iſtas exponentes: Filius ex ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus ex Patris, Filijque ſubſtantia, quæ quidem veritas catholica conſtat etiam ex Symbolis.

Not. 2. Quod in creatis duplex eſt terminus productus, nempe à quo, & ad quem, ut traditur in Phyſica; in Diuinis verò non datur propriè, neque terminus à quo,

qui

qui eſt priuatio illius formæ, vel rei, quæ producitur, quę deſinit in eo inſtanti, quo forma producitur; neque terminus ad quem propriè, ut in creatis. Nihilominus terminus à quo impropriè, ideſt unde aliquid oritur, & producitur, nec non terminus ad quem ſimiliter impropriè, ut contradiſtinguitur à termino ad quem in creatis, non apparet implicantia, quin poni poſſint in Diuinis. Terminus autem ad quem diuiditur in formalem, & totalem, primus eſt ille, qui eſt forma conferens illud eſſe quod primò, & per ſe intenditur in productione, & ſic eſſentia Diuina dicitur terminus formalis; ſecundus eſt illud totum productum, & ſic Perſona Diuina producta, tam ſecundum eſse eſsentiale, quam perſonale dicitur terminus totalis.

Not. 3. Quod etiam ſi omnes Catholici Doctores conſentiant, Filium oriri de ſubſtantia Patris, & Spiritus S. de ſubſtantia Patris, & Filij, non tamen conueniunt in modo, quo Perſona producta eſt de ſubſtantia Perſonæ, à qua procedit Durand. in 1. d.5. q.2. & Henricus ibidem exiſtimant, Filium dici etiam de ſubſtantia Patris, tanquam de materia, ſecluſis tamen omnibus imperfectionibus; perfectiones autem materiæ conuenientes D. eſsentiæ ſunt tres ex eodem Durando, nempe quod materia præexiſtat producendo, & inexiſtat producto: quod, cum forma conſtituat totum: & quod in ſe recipiat formam, & ſit generationis ſubiectum, & inde concludit Durandus, eſſentiam Diuinam habere rationem quaſi materiæ reſpectu Filij, & Spiritus Sancti. Verùm contra hanc ſententiam omnes ferè Doctores Catholici reclamant.

I. Conc. Perſonæ Diuinæ, quæ procedunt ab alio ſunt de ſubſtantia Perſonarum producentium, non per modum materiæ, ſed per modum formæ. Prob. 1. noſtra Concluſio auctoritate SS. PP. qui unanimi conſenſu docent, cauſam materialem eſse remouendam à proceſſionibus Diuinis; ita S. Hylarius lib. 12. de Trinit. ubi inquit: *Ingenitus ante omne tempus ex ſe Filium genuit, non ex aliqua ſubiacente materia, quia per Filium omnia: non ex nihilo* (loquitur contra Arianos aſserentes Filium eſse de nihilo) *quia ex ſe Filium*: & D. Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 14. *Vos autem nec vultis Filium de ſubſtantia Patris, & tamen cum nec ex nihilo, nec ex ali-*

aliqua materia ſed ex Patre eſſe contenditis, nec videtis quàm neceſſe ſit, vt qui non ex nihilo, nec aliqua re, ſed ex Deo, niſi ex Dei ſubſtantia eſſe non poſſit Vndè meritò dicit Scotus in 1. d.5. q.2. quod omnes Doctores antiqui uſque ad iſtum, nempè Henricum non ſunt auſi in Diuinis nominare materiam, nec quaſi materiam.

Probat Scotus concluſionem 1. quia eſsentia Diuina eſt terminus formalis generationis Filij; ergo non eſt quaſi materia eiuſdem: conſ. patet, quia quod eſt materia, ſeu quaſi materia in generatione, eſt in potentia, vel quaſi in potentia ad terminum formalem, idem autem non poteſt eſse terminus formalis generationis, & quaſi materia generationis. Prob. 2. Terminus formalis eſt id, quod eſt perfectius in generatione; at eſsentia eſt perfectior productis; ergo eſsentia eſt terminus formalis. Prob. 3. ad hominem. Spiritus Sanctus eſt de eſsentia æquè ac Filius, & tamen in ſententia Henrici non eſt de eſsentia, tanquam de materia, aliàs eius productio eſset materialis; ergo neque Filius debet eſse ex ea tanquam de materia, vel quaſi materia.

II. Conc. Terminus formalis proceſſionum eſt ipſa natura Diuina communicata Perſonis productis; terminus verò totalis ad quem eſt tota Perſona producta. Concluſio habet duas partes. Prima pars traditur à Scoto, & prob. in 1. diſt.5. quæſt.2. & d.13. Illud eſt terminus formalis generationis, quod generans dat genito, & in quo idem genitum aſſimilatur generanti, ſed talis eſt Diuina natura: ergo &c. Hoc ſenſu Chriſtus Io. cap. 10. dixit, ut notat Herincx. *Pater meus, quod dedit mihi (ſcilicet per æternam generationem, & in quo ei ſum ſimilis) maius omnibus eſt, nempe Diuina eſſentia.* Vnde D. Aug. 15. de Trinit. cap.26. ait. *Cum ſicut Filio præſtat eſſentiam de Patre generatio, ita Spiritui Sancto præſtat eſſentiam de vtroque proceſſio*; ergo terminus formalis proceſſionis eſt eſsentia.

Confirmatur. Generationes, ſeu proceſſiones in Diuinis ſunt uniuocæ, ſed generatio, & proceſſio ſcilicet uniuoca poſtulat ſimilitudinem geniti, & generantis, producti, & producentis ſecundum terminum formalem, ergo terminus formalis eſt eſsentia: patet min. quia Filius non eſt ſimilis Patri, nec Spiritus Sanctus pariter ſecundum

relatio-

relationes Perſonales, ſed ſecundum eſsentiam Diuinam: ergo Diuina eſsentia eſt terminus formalis.

Confirmatur 2. In creatis terminus generationis eſt natura, non proprietas indiuidualis, aut hypoſtatica; ergo ſimiliter natura Diuina eſt terminus formalis generationis. Idem dicendum de proceſſione Spiritus S. 2. pars patet ex dictis.

Arg. 1. cont. 2 conc. quoad 1. p. Terminus formalis productionis debet eſſe productus: ſed eſſentia non eſt producta; ergo &c. Reſp. neg. mai. Nam anima rationalis in generatione hominis eſt terminus formalis dans eſſe formale homini genito, & tamen non producitur ab homine, ſed ſufficit, quod communicetur ex naturali exigentia corporis ab homine geniti: & in hoc ſenſu Beata Virgo dicitur Dei genetrix, ut latè probat Scotus in 3. ſent. Vnde à ſimili ſufficit ad hoc, ut natura Diuina ſit terminus formalis, quod ex neceſſaria exigentia diuinæ fæcunditatis communicetur Diuina natura Perſonis productis, & det eis eſſe diuinum.

Contra. Terminus totalis, qui producitur accipit ſuam realitatem formaliter ex vi termini formalis: at Filius non accipit formaliter ſuam realitatem ex vi eſſentiæ, ſed ex vi Filiationis, quæ eſt ſua perſonalis proprietas: ergo eſſentia non eſt terminus formalis.

Reſp. diſting. min. Non accipit ſuam realitatem perſonalem ex vi eſsentiæ, concedo: eſſentialem, & diuinam, nego. Per eſsentiam namque ſibi communicatam accipit Filius eſſe Diuinum, in quo imbibitur Diuina Filiatio, & ſine quo illa nihil eſſet. Itaque Filiatio eſt quaſi forma constituens eum in eſſe Filij, ac Perſonæ, quæ quidem forma pertinet ad terminum totalem, qui producitur ut quod; & terminus ut quo eſt eſſentia ipſa; & quàmuis etiam eſſentia D. habeat rationem quaſi formæ, tamen diuerſimodè ſe habet; nam Diuina natura habet rationem formæ conſtitutiuæ in ratione ſubſtantiali, relatio autem in ratione perſonali.

Contra. Eſſentia eſt terminus formalis quo, ut dictum eſt in reſponſione ſaltem impropriè dictus, ergo non poteſt eſſe formaliter terminus ad quam; conſ. patet, quia terminus à quo, & terminus ad quem opponuntur.

 Reſp.

Reſp. neg. conſ. Sicut enim non repugnat eandem eſſentiam, quæ eſt in Patre, communicari Filio per generationem; ità etiam non repugnat eandem eſſentiam eſſe principium formale quo; & terminum ad quem, quatenùs conſideratur in diuerſis ſuppoſitis, & Perſonis.

Quæres 1. An eodem modo, & indifferenter uti liceat propoſitione, ex, & de ad ſignificandam conſubſtantialitatem Perſonæ procedentis cum principio producente.

Reſp. affirmatiuè, quia hæ duæ propoſitiones, ex, & de, vix apud linguarum græcæ, & latinæ peritos diſcrimen habent. Vndè indifferenter ijſdem uti poſſumus ex Doctrina SS. PP. apud Fraſſen 1. p. ſum. Theolog.

Quæres 2. An intellectus, vel eſſentia concurrat principaliùs ad productionem Verbi, & Spiritus Sancti.

Reſp. Eſſentiam D. concurrere principaliter, & ratio eſt: quia eſſentia eſt illimitatior, cum etiam concurrat ad productionem Spiritus S. non autem intellectus; tùm quia eſſentia D. eſt principalior in eſſendo; ac proinde etiam in principiando: licet enim eſſentia, & intellectus ſint æqualis perfectionis; tamen infinitas fæcunditatis primò conuenit eſſentiæ: ergo &c.

DISPVTATIO II.

De relationibus Diuinis.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Diuinis ſint relationes reales.

NOt. 1. Quod pro pleniori intelligentia huius diſputationis, opus eſt reuocare ad mentem ea, quæ de relationibus in logicâ dicta ſunt. Vndè ſolùm breuiter aduerto, quod nomine relationis intelligimus illam formam, qua una res aliam reſpicit, & cum ea comparatur. Ex quo fit, ut in qualibet relatione duplex diſtinguatur eſſe, nimirum, eſſe in, & eſſe ad. Cum enim relatio ſit habitudo unius ad alterum, neceſſariò eſt in fundamento, quod refert, & ad terminum, quem reſpicit. An autem relatio ſecundum illud duplex eſſe ſit realis, non conueniunt Doctores.

ctores. Quidam enim cum Gullielmo Pariſienſi relato à Carthuſiano in 1. d. 26. q. 2. affirmant tam in Deo, quàm in creaturis omnibus, relationes non eſſe reales entitates, ſed tantum entia rationis, vel ſaltem ſolum denominationes extrinſecas, ut docuit noſter Ocham Scoti diſcipulus in 1. d. 30. q. 4. Non nulli contendunt, relationes non eſſe reales, quatenus ſunt ad aliquid, ſed ſolum prout ſunt in aliquo; ita plerique Thomiſtæ cum D. Thoma de potentia q. 4. art. 5. & in 1. d. 26. art. 2. Cæteri verò cum Doctore Subtili conueniunt, relationes Diuinas ad intra eſſe reales ſecundum illud duplex eſſe, nempè in aliquo, & ad aliquid.

Not. 2. Quod relationes Diuinæ in tribus maximè differunt à creatis. Primò relatio creata eſt ferè nullius entitatis, & exiſtentiæ, nullius actiuitatis, & efficaciæ, dum eodem penè momento, quo naſcitur, euaneſcit: at Diuina relatio tantæ eſt, tamquè ſublimis entitatis, ut Diuinas Perſonas in eſſe Perſonali conſtituat. 2. relatio creata eſt accidentalis, ac proindè indiget ſubiecto ad hoc ut exiſtat, & conſeruetur: Diuinæ verò relationes ſunt ſubſtantiales, & per ſe ſubſiſtentes; ſunt etiam in eſſentia D. non ut in ſubiecto, ſed ut in fundamento: cui realiter identificantur. 3. Relationes intrinſecùs aduenientes in creaturis ſupponunt ſua extrema realiter exiſtentia, & diſtincta, quia oriuntur tantum ex poſitione fundamenti, & termini. Verùm Diuinæ relationes non ſupponunt, ſed conſtituunt Diuinas Perſonas, eaſque reddunt realiter diſtinctas.

Not. 3. Quod relationes Diuinæ verſantur circà certas tantum Perſonas, vel circà omnes Perſonas: ſi circà omnes dicuntur relationes communes, ut ſunt identitas, ſimilitudo, & æqualitas, de quibus erit queſtio particularis: ſi verſantur circa quaſdam Perſonas dicuntur propriæ, ſiue originis, ut Paternitas, Filiatio, ſpiratio actiua, & paſſiua: præſens quæſtio mouetur tantum de relationibus proprijs.

I. Concl. Relationes propriæ in Diuinis ſunt reales. Eſt Scoti in 1. d. 2. q. 3. Prob. 1. auctoritate Conciliorum, maximè Tolet. 11. cap. 1. dicentis. ***In relationis Perſonarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus***

 ad

ad vtroſque refertur. Quæ cum relatiuè tres Perſonæ dicantur, vnam tamen naturam per ſubſtantiam credimus. Item patet ex Concil. Florent. ſeſs 18. ubi Ioannes Theologus ex communi ſententia grecorum PP. & latinorum ait. *Sola relatio apud omnes græcos, & latinos DD. Diuina proceſſione Perſonas multiplicat*; ità ut non alia ratione, quàm vi relationis vna perſona ab alia differat.

Prob. rat. Relationes Diuinæ habent conditiones requiſitas ad relationes reales; ergo ſunt reales. Prima conditio eſt, quod fundamentum ſit reale: ſecunda quod ſint inter extrema realia: tertia quod inſit non per operationem intellectus, ſed ex natura rei: at relationes Diuinæ ità ſe habent: habent primam, quia origo actiua, & paſſiua, in quibus fundantur relationes producentis, & producti, eſt reuerà fundamentum reale: habent ſecundam, quia ſunt inter extrema realia, quæ ſunt Perſonæ; producens enim, & productum diſtinguuntur realiter; habent tertiam, quia habitudines unius Perſonæ ad aliam competunt eis ex natura rei: ergo &c.

Confirmatur auctoritate. In cap. firmiter de ſum. Trinit. *Sancitur, quod Sancta Trinitas ſecundum proprietates perſonales eſt diſtincta*, ſed ſi in Deo eſſent tantum relationes rationis, Perſonæ Diuinæ diſtinguerentur ſolum ratione, & non realiter, quod eſt hæreſis Sabelij: ergo videtur de fide eſse in Diuinis relationes reales.

II. Conc. Relationes originis conſtitutiuæ Perſonarum Diuinarum ſunt reales ſecundum eſse ad aliquid. Prob. Paternitas ſecundum formaliſſimam rationem Paternitatis eſt relatio ad Filium, ergo relatio ſecundùm rationem formalem relationis, ſeù ſecundùm eſse ad aliud eſt entitas realis: mai. patet. Quia ſi Paternitas ſecundùm ſuam rationem formalem non eſset entitas realis, Deus non eſſet verè, & propriè Pater, ſed ſolum per quamdam comparationem intellectus humani: min. conſtat auctoritate SS. Patrum dicentium, rationem propriam Paternitatis totam eſse ad Filium, ſicut tota ratio Filij eſt eſse ad Patrem.

Confirmatur auctoritate Concil. Tolet. 11. dicentis. *In relatiuis Perſonarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus S. ad vtreſque refertur &c.* & ſubdit, *quod Pater eſt non ad ſe, ſed ad Filium, & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt*, ergo &c.

Arg.

Arg. contra 1. conc. Ideò aſſeritur eſse in Deo relationes, quià Perſonæ Diuinæ denominantur nominibus relatiuis: ſed ex hoc non licet colligere eſse in eis aliquas relationes reales, ergo &c. mai.patet, min. prob. Sicut Deus realiter dicitur Creator, Dominus &c. ita prima Perſona dicitur Pater, ſed ex eo quod Deus appelletur nomine relatiuo Creatoris, non ſequitur eſſe in Deo relationem realem: ergo ex eo quod prima Perſona appelletur Pater, non ſufficit ad concludendum eſse eandem relationem realem, quæ eſt inter Patrem, & Filium in creatis.

Reſp. neg. mai., & paritatem, quæ aſsumitur in probatione. Relatio namque Creatoris aduenit Deo ab extrinſeco; relatio verò Paternitatis ad Filium eſt ad intra, ac proindè intrinſecè, quæ ſimul cum eſsentia Diuina concurrit ad conſtitutionem Perſonæ Diuinæ.

Arg. contra 2. conc. Eſse ad aliquid formaliter tantum reſpicit terminum; ſed reſpicere formaliter terminum non eſt quid reale; ergo eſse ad aliquid non eſt reale; mai. patet, min. prob. Illud per ſe non eſt reale, quod commune eſt enti reali, & rationis: ſed reſpicere terminum eſt quid commune enti reali, & rationis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & pariter minorem probationis; nam relatio rationis reuera non reſpicit terminum, ſed concipitur ad modum illius relationis, quæ terminum reſpicit, quia, ſicut ens rationis habet eſse; ità habet conſequenter relationem rationis.

Contra. Tota realitas cuiuslibet entis in ſe ipſo eſt, ergo relatio tantùm poteſt eſse realis ſecundùm eſse In, non verò ſecundùm eſse ad aliud. Reſp.diſt.ant. Tota entitas, ſeu realitas entis abſoluti eſt ad ſe, concedo: entis relatiui, nego: diffiniuntur enim relatiua per eſſe ad aliud, ut tradit Ariſt. dicens ſic. Sunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſse eſt ad aliquid ſe habere. Alia argumenta videri poſſunt in logica.

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *

Vtrum detur quarta relatio; ideſt ſpiratio actiua in Patre, & in Filio.

NOt. Quod ſicut exurgit relatio inter Patrem, & Filium per generationem; ità ratione ſpirationis, datur inter Patrem, & Filium ſpirantes, & Spiritum S. ſpiratum relatio ſpirationis actiuæ ex parte ſpirantium; & relatio ſpirationis paſſiuæ ex parte ſpirati. Spiratio ſiquidem actiua diuerſimodè ſe habet à cæteris relationibus originis; nàm Paternitas conſtituit Patrem in eſse perſonali; ſpiratio autem actiua, cum inueniat Perſonas iam conſtitutas, non conſtituit; ac proindè non multiplicat Perſonas, nec facit quaternitatem, ut quidam malè diſcurrunt.

Concl. Datur in Deo quarta relatio realis originis, ideſt ſpirationis actiuæ. Eſt Scoti, D. Bonau. & D. Thom. & eſt communis, adeòut Smiſing. diſp.2. q.3. putet eſſe de fide; nec oppoſitum tenent Greg. in 1. d.26. & Gabriel. d.27. prout à Suarez eis imponitur, ut rectè aduertit Gulielm. Herincx p.1. tract. de Trinit.

Prob. conc. In Diuinis iuxtà fidem datur duplex proceſſio, ſed ſingulę proceſſiones exigunt duplicem relationem, ut patet ex dictis; ergo etiam proceſſio Spiritus S. poſtulat in Patre, & in Filio relationem ſpirationis actiuæ; cum tàm Pater, quàm Filius reſpiciant Spiritum Sanctum, non relatione Paternitatis, & Filiationis, ſed relatione ſpirationis, ergo &c.

Confirmatur auctoritate Patrum, Boet. lib. de Trinit. *Similis eſt inquit, in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum Sanctum*: & D. Anſelm. lib. de proceſſione Spiritus S. cap. penul. ait. *Eſt autem tribus commune ad duos habere relationem; Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refert; & Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium*, ergo &c.

Arg. aliqui Patres apud Ruiz diſp.16. ſect. 1. ſignificant relationem Spiritus Sancti ad Patrem, & Filium non eſſe reciprocam, ergo &c. Reſp. Patres ſolùm velle, quod ſicut Spiritus S. dicitur Patris, & Filij Spiritus, ſic non dicatur reciprocè, ideſt Pater eſt Spiritus Sancti Pater, aut

Filius: poteſt tamen fieri reciprocatio in alio nomine, ut docet D. Aug. 5. de Trinit. cap. 11. *Donum, inquit ergo Donatoris, & Donator doni, cum dicimus relatiuè, vtrumque ad inuicem dicimus*. Similiter ſecundum Herincx dici poteſt Pater, & Filius ſpirator Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus ſpiratus à Patre, & Filio.

Arg. 2. Si datur iſta relatio ſpirationis, vel eſt eadem cum Paternitate, vel non; ſi eſt eadem, ergo non datur quarta relatio, ſi non eſt eadem, erg. datur quaternitas, quia unaquæque relatio originis habet conſtituere naturam ſubſiſtentem, ac proindè Perſonam: quod eſt hæreticum dicere, ergo &c.

Reſp. Quod Spiratio Spiritus Sancti eſt eadem relationi Paternitatis, non formaliter, ſed realiter, & conſequenter diſtinguitur formaliter à Paternitate. Vndè malè infertur quaternitas, cum ſpiratio actiua ſit in Patre, non tanquàm ratio conſtitutiua Perſonæ, quæ iam eſt conſtituta; & ſic pariter in Filio: ſed ut relatio quodammodò ſuperueniens ipſis Perſonis conſtitutis.

Contra. Si relatio ſpirationis ſit eadem realiter Paternitati, & Filiationi: ergo malè ponitur quarta relatio.

Reſp. neg. ſeq. quia, cum relatio ſit formaliter diſtincta ex natura rei, de ea verificantur à parte rei contradictoria. Nàm in Patre eſt ſpiratio actiua, non verò Filiatio actiua; in Filio eſt ſpiratio actiua, non autem Paternitas, & ſic datur à parte rei quarta relatio formaliter diſtincta à Paternitate, & Filiatione.

QVÆSTIO III.

Vtrum relationes originis dicant perfectionem ſimpliciter.

NOt. 1. Quod in quæſtione loquimur de relationibus conſideratis ſecundùm propriam rationem præciſam ab eſſentia: an ſcilicet ſint infinitæ, & perfectæ; quod enim ſint infinitæ, & perfectæ identicè, quatenùs identificantur eſſentiæ Diuinæ, nulli dubium eſt. Vndè obſeruandum ultrà ea, quæ ſuperiùs dicta fuere de perfectione ſimpliciter, quod ex Scot. q. 5. quol. Ens reale utſic diui-

ditur

ditur primò in ens quantum, & in ens non quantum. Deinde ens quantum in ens finitum, & infinitum. Per ens quantum intelligitur ens perfectum, ſeu quantum quantitate perfectionis; per ens verò non quantum intelligitur ens non habens talem perfectionem. Triplex autem diſtingui poteſt perfectio. Prima eſt moralis, quæ in Deo eſt abſoluta, & unica nempe Diuina Sanctitas. Secunda eſt tranſcendentalis, ſeù entitatiua, quæ eſt integritas rei conſtantis omnibus, quæ requiruntur ad eius perfectionem in ratione talis entis, & hæc conuenit omni enti. Tertia eſt perfectio Virtutis, ſeù qualificatiua, quæ eſt perfectio gradualis uniuſcuiuſque naturæ, ſecundùm quam natura dicitur magis, aut minùs, vel æquè perfecta. Omnes ferè conueniunt, Diuinas relationes eſſe perfectas perfectione tranſcendentali (eſtò Maſtrius videatur relationibus negare talem perfectionem, cuius ratio adducetur inferiùs) cum relationes habeant quicquid requiritur ad complementum Diuinæ relationis hypoſtaticæ.

Not. 2. Ex eodem Scoto quol. 5. quod duplex eſt infinitum, ſcilicet intenſiuè, & extenſiuè. Infinitum extenſiuè eſt illud quod ad plura numero in infinitum ſe extendit, qualis eſt numerus infinitus Creaturarum poſſibilium. Intenſiuum eſt illud, cui nihil perfectionis deeſt eo modo, quo poteſt haberi in aliquo ente, ut explicatum fuit in quæſtione de infinitate. Vnde infinitas deſcribitur ſic. Eſt omnis entitatis, & perfectionis ſimpliciſſima poſſeſſio. Cæterùm circa hanc quæſtionem ſunt duæ opiniones extremæ; altera affirmatiua, altera negatiua. Primam tuentur Nominales cum ſuo Ocham, cui adhærent Aureolus, Rubion, Suarez, & multi Neuterici cum Schola Thomiſt. Negatiuam defendunt Scotiſtæ una cum Scoto, præſertim quol. 5. & alibi. Quam ſententiam amplectuntur plerique Thomiſtæ Capreol. 1. d. 12. q. 1. art. 2. Caiet. 1. p. q. 28. art. Ferrarienſ. 2. cont. Gentes cap. 9. Durandus, Nazarius, & alij multi extra noſtram Scholam. Extra hunc Chorum, inquit Macedo in 1. collat. 16. diff. 1. ſect. 1. maluit cantare nöſter Poncius cauſatus quæſtionem de nomine. Rationes Aduerſariorum afferentur in parte argumentatiua &c.

I. Conc. Relationes Perſonales in Diuinis important

ali-

aliquam perfectionem. Eſt Herincx, qui obſeruat in 1. p. diſp. 1. de relationibus q. 6. eſſe communem; nec contradicunt Scotiſtæ, ſubdit idem Herincx, ut videri poteſt apud Smiſing. diſp. 3. n. 58. & Felicem cap. 3. diff. 7. neque etiam ipſe Scotus, ut pat. quol. 7. ubi docet actum notionalem, ſiuè proceſſionem Diuinam habere rationem boni, ac proindè perfecti, & veri. Ratio eſt, quia bonum, & perfectum tranſcendit cum entitate; ergo ſicut relationes dicunt aliquam entitatem, ita conſequenter aliquam perfectionem nempè tranſcendentalem, quæ non eſt quantitatiua, ſeù gradualis.

II. Conc. Relationes Perſonales nullam formaliter dicunt perfectionem quantitatiuam; ideſt neque finitæ ſunt, neque infinitæ. Eſt Scoti ubi ſupra, & in 1. d. 8. q. 3. ubi habet, quod hæc prædicatio: Deitas eſt Paternitas, non poteſt eſſe vera, quia unum eorum non eſt formaliter infinitum, ſed tantum Deitas eſt formaliter infinita; & §. de 2. art. quol. 5. ait, teneo hanc concluſionem; Paternitas non eſt formaliter infinita, & ad hoc ſunt tres rationes. Prima ſumitur ex unitate entis infiniti. 2. ex eius communicabilitate. 3. ex eius ſimplicitate, & incompoſſibilitate. Itaque primam rationem ſic format. Non poſſunt eſſe plura realiter diſtincta formaliter intenſiuè infinita; ſed plures ſunt relationes originis realiter diſtinctæ: ergo non ſunt formaliter infinitæ intenſiuè: minor conſtat ex dictis; mai. probat Scotus tribus rationibus. Prima eſt talis infinitum intenſiuè realiter ſibi vendicat omnem perfectionem ſimpliciter, ſed non vendicat ſibi realiter perfectionem illam, quam habet aliud ens, à quo diſtinguitur realiter: ergo non poſſunt eſſe duo infinita ſimpliciter inuicem diſtincta. 2. ratio Scoti. Omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis; ergo omne infinitum intenſiue eſt communicabile; cum ſit perfectio ſimpliciter; ſubſumit, at nulla relatio, ſeù proprietas perſonalis eſt communicabilis, quia ipſa eſt ratio exiſtendi incommunicabiliter: ergo nulla proprietas perſonalis eſt perfectio ſimpliciter; maior probari poſset ex deſcriptione perfectionis ſimpliciter, quæ in quolibet eſt melior ipſa, quàm non ipſa, de qua ſatis in diſp. de attributis communi.

Tertia ratio Scoti. Perfectio ſimpliciter, & infinita de-

bet

bet ità realiter identificari cum omni perfectione compoſſibili ſecùm in eodem ſuppoſito, ut una poſſit prædicari de altera in abſtracto: ſed relatio originis non ita ſe habet; ergo relatio originis non eſt perfectio ſimpliciter, & infinita: minor patet, licet enim ſpiratio actiua realiter identificetur, ut oſtenſum fuit in quæſtione antecedenti, tamen hæc propoſitio non eſt vera; generatio actiua eſt ſpiratio actiua; aliàs verum eſset, quod Pater Diuinus æquè Filium produceret per ſpirare, quàm per generare, ſicque Filium tàm produceret per voluntatem, quam per intellectum, quod eſt apertè falſum; patet etiam maior, quia nihil eſt in Diuinis eſſentiale, quod non ſit idem eſſentiæ D. & cuilibet eſsentiali. Tùm quia infinitum non poteſt componi cum altero, alioquin eſſet pars eius, & excederetur à toto, quod repugnat infinito.

Confirmatur conc. ex abſurdis, quæ ſequuntur in oppoſita ſententia. Primum quia ſi relationes Diuinæ dicerent perfectionem ſimpliciter, ſequeretur quod in vna Perſona eſſet aliqua perfectio ſimpliciter, quæ non eſset in alia. 2. quia in Patre, & Filio ſunt duæ relationes, nempè ſpiratio, & altera, per quàm conſtituitur in eſſe perſonali, ac proindè duæ perfectiones ſimpliciter; ergo non eſt admittenda in relationibus originis perfectio ſimpliciter, neque infinitas.

Arg. 1. cont. 2. conc. Quod non eſt comprehenſibile ab intellectu creato, eſt infinitum, ſed relationes originis ſunt incomprehenſibiles ab intellectu creato iuxta illud Iſaiæ cap. 14. *Generationem eius quis enarrabit*? ergo relationes originis ſunt formaliter infinitæ.

Reſp. 1. neg. mai. ex Scoto, qui docet ad rationem incomprehenſibilitatis alicuius ſufficere, quod illud identificetur cum infinito, & ita ſe habent relationes originis.

Reſp. 2. diſt. mai. Eſt infinitum poſitiuè, vel negatiuè, concedo; eſt infinitum poſitiuè, nego mai. relationes enim eſtò non ſint infinitæ poſitiuè, ſunt tamen infinitæ negatiuè, quia non ſunt finitæ poſitiuè, neque infinitæ poſitiuè: tum quia ſunt obiectum Diuinum, & ſupernaturale.

Arg. 2. Omnis actio adæquata principio, & termino infinito, eſt formaliter infinita: ſed generatio Diuina eſt

actio

actio adæquata principio formali infinito, ergo generatio Diuina eſt formaliter infinita.

Reſp. Scot. quod datur 2. adæquatio, nempè proportionalis, & quantitatiua, & proportionalis diuiditur in extenſiuam, & intenſiuam. Vndè in forma ad argumentum diſting. min. conceſsa maiori; eſt adæquata ſuo principio, & termino, adæquatione proportionali extenſiua, quæ ſolùm exigit, ut origo, ſeu actio ità ſit à tali principio, & ad talem terminum, ut ab alio, & ad aliud eſse nequeat, concedo; eſt adæquata adæquatione quantitatiua, ſeù proportionali intenſiua, quæ requirit eandem perfectionem in origine, & in termino, qualis eſt in principio, negat Scotus.

Arg. 3. Ratio ſubſiſtendi per ſe eſt perfectiſſimus modus; ſed relationes originis ſunt rationes ſubſiſtendi per ſe; ergo relationes ſunt perfectiſſimæ.

Reſp. Ex Scot. diſt. mai. ratio ſubſiſtendi per ſe, hoc eſt exiſtendi per ſe, & independenter à quolibet alio, eſt perfectiſſima, concedo: ratio ſubſiſtendi per ſe, hoc eſt exiſtendi incommunicabiliter alteri tanquam ſuppoſito, neg. quia in hoc ſenſu, neque eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, neque ſecundum quid, ac proindè relationes originis, neque ſunt finitæ, neque infinitæ.

Arg. 4. Quicquid identificatur infinito eſt infinitum: ſed relationes identificantur eſſentiæ D. quæ eſt infinita; ergo relationes ſunt infinitæ.

Reſp. diſt. mai. Eſt infinitum, vel formaliter; vel identicè; conc. formaliter tantùm neg. mai. Quia tunc eſt infinitum id quod identificatur infinito, ſi eſt capax infinitatis; at relationes, eſtò identificentur infinito, quia non ſunt capaces infinitatis; idcircò non ſunt formaliter, & præciſè ab eſsentia infinitæ.

Arg. 5. Nequit dari aliquod ens reale, quod non habeat ſuam propriam perfectionem finitam, vel infinitam in toto ordine entium; ſed relationes originis in Diuinis ſunt entia realia ſubſtantialia, & increata; ergo relationes non poſsunt non habere perfectionem infinitam; cum finitum eis non competat: maior patet prob. min. relationes originis, pro ut diſtinguuntur ab eſsentia, ſunt bonæ, ergo dicunt perfectionem: conſ. patet ex dictis, quia

quan-

quantitas virtutis, ſeù entitatiua perfectio, vel eſt ipſamet bonitas paſſio realis entis, vel quidam modus eius intrinſecus, adeout unum ſine alio reperiri nequeat; quod etiam Scotus quol. 6. videtur docere.

Reſp. Plures rationes diuerſorum recitat Maſtrius in 1. diſp. 7. q. 1. art. 2. pro ſolutione huius argumenti. Prima quam ipſe vocat communiſſimam, eamque amplectitur Beccanus, eſt iſta. Omne ens eſſe bonum finitum, vel infinitum, vel ratione ſui, aut ratione identificationis cum alio, cui eſt realiter idem. Vndè dicunt, relationes eſſe bonas, & infinitas identicè, non formaliter. 2. reſponſio eſt Licheti in 1. d. 8. q. 1. & plurimorum Scotiſtarum, qui aſſerunt, bonum, & perfectum eſſe paſſiones entis quanti, non autem entis communiſſimè ſumpti ad quantum, & non quantum; relationes autem Diuinæ continentur ſub ente non quanto, cum ſecundùm eas non attendatur æqualitas, nec inæqualitas in Diuinis. 3. reſponſio pariter Scotiſtarum frequens, & trita eſt: bonitatem, & perfectionem quantitatiuam, ſeù quidditatiuam non reperiri in relationibus, ſed bonitatem, ſeu perfectionem tranſcendentalem, quæ eſt paſſio entis, & eſt rei integritas, ut ſupra notauimus.

Cæterùm Maſtrius omnes ſupradictas reſponſiones exiſtimat inſufficientes, ac proindè argumentum remanere inſolutum. Quarè propriam reſponſionem adducit, dicendo, eſſe eandem à ſe aſſignatam huius modi argumento diſp. 7. meta. q. 3. ex Scoto quol. 5. & 19. art. 2. In primo namque loco docet, quod quantitas virtualis non conuenit niſi quantitatiuæ entitati, & communicabili, ut diſtinguitur ab entitate hypoſtatica, & incommunicabili: & in ſecundo loco docet, quod perfectio, ſicut & entitas hypoſtatica equiuocè conuenit entitati quidditatiuæ, nàm propriè perfectio non videtur conuenire, niſi entitati quidditatiuæ; quia entitas hypoſtatica non eſt ſecundum quam aliquid formaliter perficitur, ſed ſecundum quam recipit perfectionem, vel ſaltem determinatur ad perfectionem receptam; cum igitur relationes originis ſint rationes hypoſtaticæ, & incommunicabiles, & ultimò diſtinctiuæ, ac conſtitutiuæ Perſonarum D. ut Scot. tradit in 1. d. 34. q. 3. & de ultimis conſtitutiuis tenet in 1. d.

3. q. 3.

3. q. 3. quod formaliter, & quidditatiuè non includunt realitatem entis, ac proindè non ſunt entia formaliter, & in recto, ſed tantum identicè, & in obliquo; hinc eſt, quod non ſunt formaliter bonæ, nec perfectæ perfectione quantitatiua, & quidditatiua, ſed identicè tantùm: & hanc reſponſionem adhibent etiam Faber, & Vulpes &c. Verùm hæc reſponſio ſuas patitur difficultates, quas adducere non eſt præſentis negotij.

Contra tamen reſponſionem ipſius Maſtrij ſic breuiter inſto. Si vera eſſet ipſius reſponſio ſequeretur, quod Scoti diſtinctio, ſeu diuiſio entis in ens quantum, & non quantum eſſet ſuperflua, ſed hoc eſt falſum, quia Scotus ponit eam pro fundamento quæſtionis ergo &c. patet ſeq. mai. Nam ſufficiebat diuiſio entis metaphiſica ex qua infertur reſp. Maſtrij de ultimis conſtitutiuis; cum igitur Doctor utramque reſponſionem afferat, fundatam, & in ratione de ultimis conſtitutiuis, & in diuiſione entis quanti, & non quanti, utraque cenſeri debet ſufficiens pro ſolutione argumenti.

Arg. ultimò. Inter finitum, & infinitum non datur medium; ergo cum relationes Diuinæ non ſint formaliter infinitæ, erunt formaliter finitæ.

Reſp. Herincx; nego conſeq. quia & ſi non detur medium inter finitum, & infinitum, quod quodlibet ſit alterutrum, ſaltem materialiter, & à parte rei, ſiuè identicè; poteſt tamen dari medium, quod ſit neutrum formaliter, ſeù ſecundùm proprium conceptum obiectiuum, ſed abſtrahat ab utroque.Ectereà afferri poſſunt auctoritates SS. PP. & etiam Conciliorum aſſerentium Perſonas Diuinas eſſe perfectas infinitè: quibus reſp. debere intelligi non de Perſona, ſeu Perſonalitate ab eſſentia præciſè conſiderata, ſed de Perſona quatenùs includit eſſentiam D. & cæteras perfectiones infinitas.

QVÆSTIO IV.

Vtrum præter relationes originis dentur in Diuinis aliæ relationes.

NOt. Quod Ariſt. lib. 5. meta. aſſignat tria genera relatiuorum, quorum primus fundatur ſuper unum, & mul-

multa. 2. ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam. 3. ſuper menſuram, & menſuratum, quæ quidem genera, quàmuis declarata ſint in logica, agendo de prædicamento relationis, nihilominus non ab re hic pro ſtudentium utilitate ea repetere cenſeo. Itaque circà primum modum eſt aduertendum quod per unum non intelligitur unio partium, ſed conuenientia in aliquo prædicato communi; per multa verò diſconuenientia extremorum. Quoniam verò tripliciter poſſunt extrema conuenire, et diſconuenire, nempè in ſubſtantia, in quantitate, & qualitate, ideo in relatione primi generis aſſignantur tres ſpecies unitatis, & diuerſitatis. Si fundantur in ſubſtantia, & ſic idem, & diuerſum dicuntur; relatio enim identitatis eſt inter duas ſubſtantias habentes unitatem ſpecificam naturæ, ut inter duos homines, relatio diuerſitatis inter duas ſubſtantias diuerſas, ut inter hominem, & equm: ſi fundantur in quantitate; dicuntur relationes æqualitatis, & inæqualitatis: æqualitatis inter duas quantitates habentes eandem ſpeciem magnitudinis, ut inter duas lineas bipalmares. Inæqualitatis è conuerſo: ſi fundantur in qualitate, dicuntur relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis. Similitudinis inter duo alba, quia conueniunt in ſpecie albedinis; diſſimilitudinis inter ea, quæ habent diuerſas qualitates, ut inter lapidem album, & parietem album.

Cæterùm relationes ſecundi, & tertij generis videri poſſunt in logica, & alibi. Itaque applicando doctrinam Philoſophi ad declarationem præſentis quæſtionis fundamentum remotum identitatis in Deo eſt D. eſſentia, proximum verò eſt unitas numerica eiuſdem eſſentiæ D. Fundamentum remotum æqualitatis eſt triplex: nempè magnitudo, quæ reſpondet quantitati continuæ, & permanenti; quam Deus habet per immenſitatem, aliud eſt ęternitas, quæ reſpondet quantitati continuæ ſucceſſiuæ. 3. eſt poteſtas, quæ eſt fundamentum æqualitatis reſpectu rerum ad extra: hæc tria refert Auguſt. lib. 1. de fide ad Petrum, ubi dicit; tres Perſonas eſſe æquales in magnitudine, æternitate, & potentia: fundamentum autem proximum eiuſdem æqualitatis eſt vnitas numerica magnitudinis, æternitatis, & potentiæ. Similitudo in Deo videtur eſſe duplex, ut aliqui obſeruant, nempè ex parte eſſentiæ,

& ex parte attributorum, quæ ſe habent ad modum qualitatis. Prima dicitur quidditatiua, altera quaſi accidentalis, ſed cum ſimilitudo attendatur penès qualitatem; ideò ratione attributorum propriè eſt admittenda in Deo relatio ſimilitudinis. Vndè fundamentum remotum ſimilitudinis ſunt attributa, ſcilicèt ſapientia, bonitas, proximum autem unitas numerica attributorum.

I. Concl. Præter relationes originis, quæ ſunt propriæ, dantur in diuinis aliquæ relationes communes, nempè identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis. Eſt communis in noſtra Schola; & eſt contra non admittentes relationes huiuſmodi, nec non contra D. Thomam, qui licet relationes admittat in creatis, tamen negat in Diuinis dari relationes communes identitatis &c. ſed ſolum dari ex parte fundamenti, ſeù fundamentaliter. Prob. conc. quàm non ſolum Scotus in 1. d. 19. & d. 3. & quol. 6. ſed etiam D. Bonauentura, & Chartuſianus tenent. Perſonæ Diuinæ verè ſimiles ſibi, & æquales dicuntur, ut eſt fide certum, ergo habent veras, & reales relationes, ſicut habentur in creatis, præciſis tamen imperfectionibus.

Si dicas. Perſonas denominari ſimiles à fundamento reali ſimilitudinis, non autem à formali relatione.

Contra. Etiam res creatæ poterunt dici ſimiles fundamentaliter, ergo per Thomiſtas non oportet ponere iſtas relationes, nec etiam in creatis. Prob. 2. In Perſonis Diuinis eſt identitas, quia conueniunt in unitate eſſentiæ, ut eſt de fide: Eſt æqualitas, ut teſtatur D. Paulus ad Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*. Vnde D. Athan. in Symbolo: *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, ſed tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Eſt denique ſimilitudo, dicitur namque una Perſona ſimilis alteri in ſapientia, bonitate &c.

II. Conc. Prædictæ relationes, nedum fundamentaliter, ſed formaliter etiam ſunt veræ, & reales. Prob. Ad relationem realem primò exigitur fundamentum reale. 2. terminus realis. 3. extrema realiter diſtincta. 4. quod ex natura extremorum ſequatur relatio abſque operatione intellectus, ſed hæc omnia ſunt in Diuinis, ergo &c.

Arg. contra 1. conc. D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 1. ait, *Deus eſt magnus ſine quantitate*: ergo inter Perſonas Di-

uinas non datur æqualitatis relatio. Reſp. D. Aug. loqui de quantitate molis, non de quantitate virtutis.

Arg. 2. Solus Pater habet potentiam generandi: ergo Spiritus Sanctus, & Filius non ſunt illi æquales, ergo in Diuinis non datur æqualitas. Reſp. diſt. ant. Solus Pater habet potentiam proximam generandi, concedo: remotam, nego ant. nàm iſta reperitur etiam in Filio, & Spiritu Sancto; neque carentia iſtius potentiæ tollit æqualitatem inter Perſonas, cum ſit notionalis, nullumque notionale dicat perfectionem, ut ſupra &c.

Arg. contra 2. conc. Ad hoc ut reſultet relatio inter extrema, requiritur multiplicatio fundamenti in ipſis extremis; aliter idem referretur ad ſe ipſum: ſed in Diuinis non datur multiplicatio fundamenti, quia eadem eſſentia, & eadem attributa ſunt in tribus Perſonis: ergo &c. Reſp. neg. aſſumptum; falſum eſt enim, quod requiratur multiplicatio fundamenti, immò cum tales relationes fundentur in unitate, eò erit perfectior relatio identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis, quo unitas eſt perfectior, ut fusè probat Smiſing relatus ab Herincx.

Contra. Fundamenta, non tantum ſunt ratio referendi, ſed aliquando ipſamet referuntur, quia non ſolùm duo parietes albi referuntur, ſed etiam duæ albedines dicuntur ſimiles: ergo &c. Reſp. aliquando etiam fundamenta ipſa referri ad inuicem, ut in exemplo allato, & in tali caſu debent multiplicari; ſecùs autem, quando ſunt tantum ratio referendi, ut eſt in noſtro propoſito; non enim dicimus, quod eſſentia Patris eſt ſimilis eſſentiæ Filij, ſed Filium eſſe ſimilem Patri &c.

Contra. Si æqualitas eſſet relatio realis: ergo eſſet pariter inter attributa, cum ſint æqualia in infinitate, ſed inter ea non adeſt: ergo &c. Reſp. neg. ſequelam mai. Quia attributa non diſtinguuntur realiter, neque ab eſſentia, neque ab inuicem, adeòque inter ea non admittitur talis relatio.

Contra. Ex Scoto. Æqualitas eſt perfectio ſimpliciter, ſed relatio realis non eſt huiuſmodi; ergo &c. Reſp. Fundamentaliter, conc. mai. formaliter, nego; Scotus loquitur primo modo, non autem ſecundo modo; ſic enim docet in 1. d. 19. q. 1. Dico, quod perfectio ſimpliciter, ideſt

quæ

quæ formaliter poſſet eſſe infinita non dicit niſi aliquid, quod poteſt eſſe eſsentiale in Diuinis, & ad ſe; æqualitas autem non præintelligitur relationibus originis, nec poteſt eſſe ad ſe.

QVÆSTIO V.

Vtrum in Diuinis ſint quinque Notiones.

NOt. 1. Quod notionis nomen duobus modis ſumi poteſt. Primò idem eſt ac cognitio actualis alicuius rei; ſic aliquis homo doctus dicitur multas notiones habere. 2. eſt ratio cognoſcendi, & notificandi, & diſtinguendi id, ad quod ita ſingulariter ſpectat, ut audita tali voce, mox in eius cognitionem deueniamus: ſic audita Paternitate, & Filiatione, venimus in cognitionem Patris, & Filij. Vndè notio Diuina deſcribitur ſic. Eſt ratio innoteſcendi Perſonam Diuinam pertinens ad originem ſecundum propriam, & ſpecialem rationem poſitiuè, vel negatiuè additur negatiuè propter innaſcibilitatem, quę eſt notio negatiua.

Not. 2. Quod proprietas, relatio, & notio, ut docet D. Bonau. ſe habent tanquàm magis, & minùs commune; omnis enim proprietas conſtitutiua eſt relatio, & notio, ideòque connexi hanc quæſtionem cum alijs de relatione; ſed non omnis notio eſt relatio, ut patet de innaſcibilitate, nec omnis relatio eſt proprietas conſtitutiua, ut patet de ſpiratione actiua.

I. Conc. Quinque aſſignantur notiones Diuinæ, nempè innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua. Eſt communis ſententia Theologorum. Ratio eſt, quia tot ſunt notiones, quot ſunt formæ, ſeù notæ, aut characteres, quibus cognoſcimus unam Perſonam diſtingui ab alia quoad originem: ſed quinque ſunt formæ: ergo quinque ſunt notiones. Explicatur ratio. Innaſcibilitas eſt forma negatiua, quæ ſignificat, Patrem non habere originem ab alia, & eſt prima notio. Paternitas etiam eſt forma ſignificans Patrem eſſe principium generatiuum alterius, & ſic eſt ſecunda notio. Tertia eſt Filiatio, per quam cognoſcimus Filium eſſe ab alio. Quar-

ta eſt ſpiratio actiua ſignificans Patrem, & Filium eſſe principium Spiritus Sancti. Quinta eſt ſpiratio paſſiua ſignificans Spiritum Sanctum ſpirari ab alijs.

II. Concl. Dicere præter prædictas notiones dari etiam inſpirabilitatem, quæ ſit notio negatiua Patris, & Filij, nihil vetat, quia, ut Scotus docet, non eſt contra fidem, neque contra Concilia, aut SS. PP. Vndè ſicut tempore D. Ambroſij ſolùm quatuor notiones exploratæ erant, & deindè addita fuit innaſcibilitas pro notione Patris; ità cum Scoto nobis licet dicere dari inſpirabilitatem. Aſſignari etiam poteſt conuenientia. Sicut enim ſoli Patri conuenit eſſe ingenitum, ſic ſoli Patri, & Filio competit eſſe inſpirabiles. Deinde notio eſt ratio notificatiua alicuius Perſonæ D. pertinens ad originem, vel poſitiuè, vel negatiuè, ſed inſpirabilitas eſt ratio negatiua, quæ notificat nobis Perſonam Patris, & Filij: ergo &c.

Arg. 1. auctoritate D.Dion.lib. de Diuinis Nominibus, ubi dicit, *Non eſt audendum dicere aliquid de ſuperſubſtantiali Deitate, præterquam quod à Sacris eloquijs eſt expreſſum*: ſed de notionibus nihil habetur expreſſum in S. Scrip. ergo &c.

Reſp. Quod, licet in S. Scrip. non fiat mentio expreſſa de notionibus ſit tamen implicita, cum in ipſa paſſim habeatur ſermo de Perſonis D. in quibus ſunt notiones.

Arg. 2. In Diuinis omnia ſunt unum, inquit Damaſc. præter ingenerationem generationem, & proceſſionem: ergo tres tantum ſunt notiones.

Reſp. D. Damaſc. per generationem intelligere, tam generationem actiuam, quàm paſſiuam, ac proindè ſunt quinque ſimul cum innaſcibilitate.

Arg. 3. Innaſcibilitas in Patre, vel ſumitur pro materiali, vel pro formali: ſi primum non eſt quid diſtinctum à Paternitate: ſi ſecundum non poteſt dici notio; cum ſit pura negatio principij productiui; ac proindè dignitatem non explicat, quæ ad rationem notionis videtur requiri.

Reſp. Scot. in 1. d. 1. q. 2. Quod ingenitum ſub propria ratione ſua, ut ſignificat non habere genitorem eſt proprietas Patris, & ſufficienter importat dignitatem ideſt non indignitatem; hoc enim ſufficit ad perſonalem proprietatem quod non ſit indignitas, ut patet de notionibus perſonalibus poſitiuis,

Arg.

Arg. 4. Ratio Verbi, & imaginis eſt proprietas Filij, ſicut amoris, & Doni Spiritus S. ſed utraque ratio Diuinas Perſonas ſignificat, ut diſtinctas; ergo notiones ſunt plures quàm quinque.

Reſp. Quod hæc nomina non ſunt proprietates, ſed appropriationes ſignificantes modum proceſſionis Filij per intellectum; Spiritus S. per voluntatem, qui modi ſunt diuerſi à relationibus Perſonarum conſtitutiuis.

DISPVTADIO III.

De Perſonis Diuinis in communi.

QVÆSTIO I.

Quomodò Perſonis D. competat ratio Perſonæ.

NOt. Quod fuit maxima diſputatio inter Patres de ſignificatione horum nominum, nimirum natura, ſubſtantia, ſuppoſitum, hypoſtaſis. & Perſona: nam ut notat Fraſſen tom. 1. in tract. de SS. Trinit. ex Ruſtico in diſp. contra Acephalos, ſubſiſtentia interdum Perſonam ſignificat, non nunquam verò ſubſtantiam. In Sancta enim Synodo Epheſina utrumque monſtratur. Imò D. Athan. in qq. q. 4. Subſiſtentiæ nomen videtur extendere ad quodlibet indiuiduum, etiam accidentis ſignificandum ait. *Tres ſubſiſtentia, orbis Solaris, radius. & lux. Inſuper tres ſubſiſtentias. Subiectum ignis vrens, & lucens.* Nihilominùs uſus inualuit, ut Perſonæ nomen ſignificaret idem ac ſuppoſitum; qua ratione, etiam paſſim uſurpatur in Scriptura ubi legimus Deum non eſſe acceptatorem Perſonarum, præſertim Act. c. 10. Vndè ut græcis morem geramus eſſentiam pro Vſia, ſubſtantiam pro Hyparſi, ſuppoſitum pro Hypoſtaſi, Perſonam pro Proſopon uſurpabimus. Perſona autem ſic à Boetio definitur: eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, quam exiſtimat Scot. in 1. diſt. 23. eſſe exponendam per definitionem traditam à Richard. lib. 4. de Trinit. cap. 22. quæ eſt huiuſmodi: Perſona eſt incommunicabilis exiſtentia ut; quo, & ut quod &c.

I, Concl. Nomen, & ratio Perſonæ propriè Deo competit,

petit. Hæc eſt de fide, ut conſtat ex S. Scrip. & ex Conciliorum oraculis, quibus tres D. Perſonæ inuicem diſtinctæ in Deo affirmantur. Prob. ratione. Diffinitio ſuperiùs allata competit Diuinis Perſonis in perfectiſſimo gradu: ergo Diuinis Perſonis competit propriè nomen, & ratio Perſonæ: ant. patet, quia tantò veriùs, atque perfectiùs in Deo eſt ratio Perſonæ, quantò, perfectiùs illi competit, per ſe ſubſiſtere: ſed Deo perfectiſſimè competit modus ſubſiſtendi per ſe: ergo in Deo eſt vera, & propria ratio Perſonæ in gradu perfectiſſimo.

II. Concl. Probabilius eſt, Perſonalitates Diuinas eſſe modum aliquem poſitiuum terminantem naturam Diuinam, & veluti eam complentem in eſſe incommunicabili. Hæc videtur germana Scoti ſententia in 3. d. 1. q. 1. ubi docet: naturam humanam dici poſſe communicabilem tribus modis, nempè actualiter, aptitudinaliter, & potentialiter, ſeu obedientialiter: & loquendo de Perſona D. ſubdit, Perſona D. non tantùm habet communicationis actualis, & aptitudinalis negationem, ſed etiam habet repugnantiam ad communicationem, ut quòd, & ut quò. Repugnantia autem talis non poteſt eſſe niſi per entitatem poſitiuam; ergo Perſonalitas D. eſt quid poſitiuum, & quatenus ultimò terminat naturam D. habet rationem modi, non quidem in rigore, quia Perſonalitas eſt entitas relatiua formaliter diſtincta ab eſſentia D. ſed lato modo, quatenùs ultimatè terminat ipſam naturam D. & hæc veritas magis probabitur in ſequentibus quæſtionibus.

Arg contra 1. conc. Nomen Perſonæ Deo non tribuitur in S. Scrip. Inſuper inuſitatum fuit, & ignotum primis Chriſtianis, ut refert Coccius lib. 1. de Trinit. cap. 4. denique nihil eſt propriè in Deo quod nomen iſtud ſignificet, & Theologi utuntur nomine Perſonæ, non ut aliquid exprimant, ſed ne tacere videantur, ut ait D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 9. *Cum, quæritur, inquit; quid tres? magna prorsùs inopia humanum laborat eloquium: dictum eſt tamen tres Perſonæ, non ut illud diceretur, ſed ne taceretur*; ergo fatendum eſt nomen Perſonæ non conuenire Deo.

Reſp. neg. conſ. Ad primum dicitur, quod licet nomen Perſonæ in Sacris litteris non reperiatur, nihilominùs, quod Perſonæ nomen ſignificat, multipliciter inuenitur

in Sac. Scrip. affirmatum de Deo, nempè quod ſit Spiritus, infinita ſapientia prædirus; ac proindè ſit naturæ intelle-ctualis. Similiter quod exiſtentiam habeat &c. Ad ſecundum dicitur, quod verum eſt, Perſonæ nomen non fuiſſe primitùs à fidelibus uſurpatum, & Deo tributum, ſed tamen factum eſt, inquit Ricard. lib. 4. de Trinit. cap. 5. *Vt qui hoc nomen Perſona primò ad Diuina tranſtulerunt, hoc ipſum ex neceſſitate fecerunt, ut quid reſponderent haberent; quid tres illi in Trinitate eſſent, cum tres Deos eſſe reſpondere non poſſent Sabellianis Hæreticis, qui interrogabant, quid eſſent illa tria, & ſic ſapienter ab Eccleſia Spiritu S edocta vniuerſaliter eſt vſurpatum nomen Perſona*, & ſic patet quid dicendum ſit ad tertium.

Arg. 2. Ratio Perſonæ reddit eandem naturam indiuiduam, & ſingularem incommunicabilem alteri ſuppoſito, ut patet de natura humana perſonata: ſed natura D, quæ communicatur Patri, eadem communicatur Filio, & Spiritui S. ergo in Patre natura D. ſingulariſſima non eſt incommunicabilis; ac proindè non eſt perſonata.

Reſp. 1. diſt. mai. Naturam perſonata eſt incommunicabilis, quatenus natura ſingularis eſt, nego: reduplicatiuè, ut Perſona eſt, concedo.

Reſp. 2. diſt. mai. In Diuinis, nego; in creatis, concedo; hoc enim eſt peculiare D. naturæ, quod eadem omninò indiuiſibilis communicari poſſit tribus ſuppoſitis; eò quia D. natura non admittit plures naturas numero, & hoc ratione ſuæ infinitatis, & ſummæ ſimplicitatis: ſecùs autem eſt dicendum de natura creata. Itaque ut dictum eſt in prima reſp. communicatur Filio Diuina natura, quatenùs D. natura eſt, non verò quatenùs perſonalitas eſt Patris.

Arg. 3. Natura Diuina, quatenùs præſcindit à Perſonis Diuinis eſt indiuidua, & completiſſima: ergo non oportet aliquid addere ad hoc ut compleatur; ergo ut indiuidua eſt incommunicabilis.

Reſp. diſt. ant. Eſt completiſſima in ratione Eſſentię D. quia conſtat prædicatis, & attributis eſſentialibus, & modis intrinſecis, conc. in ratione hypoſtatica, & ultimò incommunicabili, nego. Nàm D. natura, ut in ſe, non eſt Perſona, quamuis habeat peculiarem ſubſiſtentiam, ut dicetur infra.

Quæres. An à Perſonis D. abſtrahi poſſit aliquis conceptus communis, qui ſit ipſis uniuocus.

Reſp. ex Scoto 1. d. 25. q. un. affirmatiuè, & ratio eſt, quia quælibet Perſona D. habet idem nomen, & eandem rationem Perſonæ: ſed nihil aliud exigitur ad conceptum communem uniuocum; ergo à Perſonis D. abſtrahi poteſt huiuſmodi conceptus: pat. ma. quia Perſona D. verè dicitur de tribus ſecundum propriam ſuam rationem, cum quælibet earum reuerà ſit naturæ D. incommunicabilis exiſtentia. Verùm aduertendum, quod non loquitur Scotus de conceptu perfecto, & adæquato, ſed de imperfecto, & inadæquato; cum doceat, ab ultimis conſtitutiuis, & diſtinctiuis Perſonarum nihil poſſe abſtrahi commune in quid dictum de eis; quia illa ſunt primò diuerſa, hoc eſt, nihil idem realiter includentia; tu... enim eſſet quærere de eis, per quid diſtinguantur: & reſpondendo directè ad quæſtion. motam ſub iſtis terminis. Vtrum perſona, ut eſt communis tribus dicat præcisè aliquid ſecundæ intentionis, ait contra Henricum, & Egidium de Roma, allata prius definitione Perſonæ traditæ à Rich. Dico, quod in hac definitione nihil eſt, quod ſignificet ſecundam intentionem, quia Perſona eſt natura intellectualis, & entitas incommunicabilis ex natura rei ſine omni opere intellectus.

QVÆSTIO II.

Vtrum Perſonæ Diuinæ conſtituantur per relatiuas proprietates, vel per quid abſolutum.

NOt. 1. Quod Scot. in 1. d. 26. q. 3. refert diuerſas opiniones circa præſentem quæſtionem. Prima eſt Præpoſitiui aſſerentis, Perſonas Diuinas ſe totis conſtitui, & diſtingui, quam ſententiam iam à Scholis exulatam, denuò reuocauit Greg. Arimin. in 1. d. 26. q. 3. Secunda opinio eſt Linconienſis, & Ioannis à Ripa, dicentium, eſſe quidem in Diuinis aliquas proprietates Perſonarum conſtitutiuas, & diſtinctiuas, ſed eas eſſe abſolutas, non relatiuas, quam ſententiam, quia Scotus eam varijs argumentis probat, & ſoluit ea omnia, quæ contra eandem ſolent obijci; nonnulli Recentiores non rectè arbitrati ſunt;

Do-

Doctorem ſubtilem tenuiſſe. Tertia opinio, immò ſententia communis omnium Theologorum eſt, D. Perſonas conſtitui per proprietates relatiuas. Qualiter autem id fiat, non eodem modo omnes DD. explicant. Etenim argumenta Scoti, inquit, Vaſquez diſp. 189. cap. 1. uſque adeò exercuerunt Thomiſtarum ingenia, ut in varias opiniones eos diuiſerint. Quidam enim aſſerunt, Perſonas non conſtitui relationibus quatenùs relationes ſunt, ſed quatenùs formæ hypoſtaticæ. Vnde dicunt relationem duo ſibi vendicare, nempe eſse in ſe, ſeu per ſe, & eſſe ad aliud; & conſtituere perſonas ſecundum eſse in ſe, ſecundum verò eſſe ad aliud non conſtituere, ſed referre perſonam ad aliam ſibi correlatiuam. Aliqui cum D. Bonau. in 1. d. 26. q. 3. puntant tres perſonas conſtitui relationibus, ut origines ſunt, v. g. Patrem Diuinum in ratione Perſonæ conſtitui Paternitate, non ut Paternitas eſt, ſed ut genetatio actiua. Cęteri denique cum Scoto docent, relationes Diuinas eſſe perſonas conſtitutiuas, quatenùs formaliter ſunt relationes, pro cuius intelligentia.

Not. 2. Quod procedendo ſecundam inadæquatos noſtros conceptus; fatendum eſt concipi Diuinas relationes ſub confuſo, & generali conceptu formarum hypoſtaticarum abſtrahendo; an ſint abſolutæ an relatiuæ; ut quando dicimus in Deo dari tres hypoſtaſes, ſeù Perſonalitates, vel etiam tres Perſonas, & Patrem eſſe primam Perſonam &c. Et quidem ſicut in humanis prius exiſtit aliqua Perſona, quàm generet, priùs generat, quàm ſit Pater; ſic adaptantes huic ordini noſtros conceptus de Diuinis Perſonis, apprehendimus ante omnia primam Perſonam ingenitam improductam, deinde quod originet, ſeù generet aliam Perſonam, & generando obtineat nomen Patris, & habitudinem ab Filium. E contra, ſicut in humanis priùs eſt oriri, ſeù produci, quàm eſſe, & priùs eſt eſſe, quàm referri ad illum, qui genuit; ſic ſecundum rationem imperfectam intelligendi priùs eſt oriri, ſeù naſci Filium Diuinum, deindè eſſe; denique referri ad Patrem. Tamen intellectu plenè, & adæquatè procedente non eſt intelligere primam Perſonam ſine generatione, & Paternitate, neque aliquem inter eas ordinem, ſed eo ipſo quo per conceptum proprium, & determinatum prima Perſona intelligitur

con-

conſtituta, omninò ſimul ſecundum rationem adæquatam intelligitur generare, & eſſe Pater, ſeù eſſe relata ad terminum productionis; neque enim eſſe Pater fundatur in generatione D. ſed eſt ipſum generare. Similiter ipſum naſci eſt eſſe Filium, & referri ad genitorem Diuinum: ita Herincx tract. de Trin. ex doctrina Scoti, & D. Bonauen. in 1. d.26. art.1. p.3. & d.27. p.1.

Not. 3. Ex Scot. in 1. d. 28. q.3. quod cum ſimultate relationum poſſet ſtare prioritas in perfectione, ſi daretur capacitas perfectionis in relatione, quia eſt alterius rationis à ſimultate relatiua: patet hoc in relatione cauſæ ad cauſatum, ex Auicenna 9. meta. quæ eſtò ſit ſimul cum ſuo cauſato, tamen ſecum affert prioritatem, & dignitatem reſpectu cauſati; hinc argumentatur Scotus, ad relationem Patris, ſeruato decoro, quod non habens rationem cauſæ, nec dignitatis; retinet tamen prioritatem originis erga Filium, & ſic concludit. Prima Perſona conſtituitur in eſſe perſonali per relationem ad ſecundam, & è conuerſo, & impoſſibile eſt, eſſe ſine ſe inuicem, & tamen ipſa Perſona prima conſtituta in tali eſſe, eſt prior origine Perſona ſecunda: ita quod prima Perſona conſtituta in tali eſſe eſt, à qua originata eſt ſecunda; & ita prioritas originis non repugnat ſimultati relatiuorum.

I. Conc. Perſonæ Diuinæ non conſtituuntur, nec diſtinguuntur ſe totis, ſed per proprietates perſonales. Hęc eſt communis inter Theologos, & colligitur, ac firmatur ex varijs Concilijs, præſertim ex Lateranenſi cap. firmiter; ubi habetur: *SS. Trinitas ſecundum communem eſſentiam eſt indiuiſa, ſecundum verò perſonales proprietates diſcreta*: & in Concil. Florent. ſeſſ. 1. aſſeritur, *Perſonas Diuinas per ſuas proprietates differre*. Denique Eccleſia canit in Præfat. Miſſæ SS. Triadis: *Vt in Perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas*. Eandem veritatem probant SS. PP. ut videre eſt apud Doctores Recentiores.

Prob. à Scoto ubi ſupra ſic. Quęcunque non ſunt primò diuerſa, ſed habent aliquid, in quo conueniant, non diſtinguuntur ſe totis, ſed aliquo ſui: At Perſonæ D. non ſunt primò diuerſæ: ergo non diſtinguuntur ſe totis, ſed aliquo ſui. Prob. 2. Perſona Diuina, v.g. Patris, vel habet aliquid ultra eſſentiam, quod non habet Filius, vel

non:

non: Si primum habemus intentum, ſi ſecundum non poteſt reddi ratio: cur hæc Perſona ſit Pater potius, quàm altera: ergo meritò, teſte Fraſſ. oppoſitam opinionem concluſionis temerariam eſſe, & penè hæreticam, nonnulli Recentiores pronunciant.

II. Conc. Perſonæ D. conſtituuntur, & diſtinguuntur proprietatibus, non abſolutis, ſed relatiuis. Hæc eſt Scoti, quamuis quidam Scotiſtæ velint Scotum fuiſſe problematicum, cum ſoluat omnia argumenta quæ ipſemet propoſuerat contra opinionem Ioan. de Ripa: eſtque communis, & verior Theologorum ſententia. Prob. conc. 1. ex Sac. Scrip. exprimente, Perſonas Diuinas per nomina relatiua, quod etiam faciunt Concilia, & SS. PP. & præſertim habetur Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris & Fily, & Spiritus Sancti*: & maximè ex Concil. Tolet. 11. in Confeſs. fidei cap. 1. *In relatiuis inquit, Perſonarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem & Spiritus Sanctus ad vtroſque refertur*. Et infrà: In relatione Perſonarum numerus cernitur. Idem colligitur ex Concil. Florent. vbi Ioann. Theologus Eccleſiæ Latinæ cauſam agens, tacitè approbante Concilio, dixit. *Sola relatio omnes apud Grecos, & Latinos Doctores Diuina proceſſione Perſonas multiplicat*. Et quidem ex PP. Boetius lib. 2. de Trinit. dicit. *Eſſentia continet vnitatem: relatio multiplicat Trinitatem*, D. Anſelm. de proceſs. Spiritus Sancti: *In Diuinis omnia vnum ſunt, vbi non obuiat relationis oppoſitio*; & Nazianz. orat. 37. *Mutua eorum relationes differentia, inquit, diuerſa quoque ipſis nomina procreauit, nempè Patris, & Fily, & Spiritus S*. & ità communiter; ergo per relatiua Perſonæ D. in ſuo eſſe conſtituuntur.

Prob. ratione. Primum principium conſtitutiuum alicuius eſt etiam primum diſtinctiuum eius, & è conuerſo; ſed relationes ſunt primum principium diſtinctiuum Perſonarum Diuinarum, ergo & primum principium conſtitutiuum: min. patet ex dictis. Qui deſiderat alias rationes graues, & ſubtiles, legat Scotum in hac quæſt. & inueniet, quod nihil ſubtilius, & nihil acutius dici poteſt.

III. Conc. Perſonæ D. conſtituuntur in eſſe perſonali per relationes ſub formali ratione relationum. Hæc eſt Scoti pluribi, & præſertim quol. 4. & in 1. d. 2. q. 7. & fusè d. 26. Prob. conc. 1. auctoritate Concilij Tolet. 2. cap. 1. ubi

ubi ſic habet. *Perſonæ Diuinæ hoc ſolo numero inſinuant, quod ad inuicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt*, ergo ex fide Concilij relationes non conſtituunt, nec diſtinguunt Perſonas ſecundum eſſe in, ut opinantur Thomiſtæ, ſed ſecundum eſſe ad, hoc eſt ſub formali ratione relationis. Eadem veritas colligitur perſpicuè ex diſcurſu Ioan. Theol. in Concil. Florent. ſeſs. 18. dicentis: *Igitur relationes huiuſmodi Perſonas multiplicant, ità vt non alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, & vna Perſona ab alia differat*. Quid eſt autem vi relationis differre, niſi ſub ratione formali relationis, quæ conſiſtit in eſſe ad, non verò eſſe in, ut traditur Phyloſophia?

Prob ratione. Relatio non poteſt conſtituere Perſonas Diuinas, niſi ſecundum eius rationem formalem, quàm habet: ſed non habet aliam rationem formalem, niſi relatiuam; ergo non poteſt conſtituere Perſonas, niſi per rationem formalem eius, quæ eſt eſſe ad.

Prob. 2. Impoſſibile eſt concipere aliquam formam in eſſe alicui, quin ei tribuat ſuum effectum formalem: ſed effectus formalis relationis eſt referre actu ad aliud: ergo eo ipſo quod intelligitur Paternitas Diuina, intelligitur actu referrens Patrem ad Filium; & conſequenter impoſſibile eſt, quod paternitas intelligatur conſtituere Patrem in ratione Perſonæ, quin intelligatur ut actu referrens Patrem ad Filium. Prætereà illud eſſe in, quod dicit relatio, vel ſignificat eſſentiam, cum qua Perſonam conſtituit, vel Perſonam conſtitutam: Non primum quia relatio Paternitatis non dicitur eſſe in eſſentia, ſed in Patre: Neque ſecundum, quia ſic relatio Paternitatis non conſtitueret primum ſuppoſitum, ſed ſupponeret iam conſtitutum; ſicut forma ſupponit ſubiectum, in quo eſt.

Arg. contra 1. conc. Perſona eſt ſimpliciter eſſentia; ſed eſſentia ſe ipſa primò diſtinguitur à quocunque alio: ergo Perſonæ Diuinæ ſe ipſis primò diſtinguuntur; ac proindè non conſtituuntur Diuinæ Perſonæ per relatiuas proprietates. Reſp. Scot. conc. Perſonam eſſe ſimplicem, ſicut eſſentia D. eò quia in Deo non datur compoſitio; non tamen ſequitur diſtingui per ſe ipſam, cum Perſona formaliter includat duo, ſcilicet eſſentiam, & relationem, quorum unum non eſt formaliter aliud.

Con-

Contra. Abſtractum, & concretum, ut Pater, & Paternitas idem ſignificant; ergo dicere Patrem diſtingui Paternitate eſt dicere Patrem diſtingui ſe ipſo. Reſp. Scotus neg. ant. quia concretum ſignificat,& connotat ſubſiſtens in forma deſignata per abſtractum, quod non importat ſic abſtractum; & hoc maximè certum eſt de concreto ſubſtantiuo: unde dicere, Patrem diſtingui Paternitate non eſt dicere Patrem diſtingui ſe ipſo, ſed per aliquod quod eſt in eo.

Arg. 1. contra 2. conc. Ex illo Prouerb. 30. *Quod eſt nomen eius, aut quod nomen Filij eius ſi noſti?* Vbi Sapiens quærit de proprio nomine Patris, & Filij: ergo proprium utriuſque nomen ocultum eſt: ſed non eſſet ocultum, ſi Pater conſtitueretur in eſſe Perſonę per Paternitatem,& Filius per Filiationem, quia tunc Pater, & Filius eſſent propria eorum nomina, ergo per abſoluta conſtituuntur.

Reſp. ibi non indicari aliud nomen proprium ſecundæ Perſonæ præter nomen Filij, ſed Sapiens vult innuere nullum eſſe nomen in hac vita, quo Deum nobis exprimamus, ſicuti eſt; licet enim nomina Dei nobis ſignificent Deum, non tamen quidditatiuè ſecundùm rationem propriam Deitatis, ſed ſecundùm conceptus confuſos, ut in quæſt. de inæffabilitate patet.

Arg. ex Scoto quol. 4. ubi hanc quęſt. denuò ſubtiliter tractat. Prima Perſona præintelligitur in eſſe perſonali, antequàm gignat; ſed relatio Paternitatis conſurgit in Patre ex ipſo generare, ergo prima Perſona priùs eſt in eſſe perſonali, quàm habeat Paternitatem; ergo non conſtituitur in eſſe perſonali per Paternitatem: mai. patet, quia ſuppoſiti eſt agere, ut tradit Ariſt. 1. metaph. min. eſt euidens: nàm Pater per generationem eſt Pater: ergo antequam generet, non eſt Pater, ſed antequàm generet eſt ſuppoſitum; ergo non conſtituitur in eſſę ſuppoſiti per Paternitatem. Reſp. diſt. mai. prima Perſona præintelligitur præcedere ſecundam origine, conc. mai. natura, neg. nàm cum ſimultate naturæ ſtat prioritas originis, ut ſupra notauimus; cum autem dicitur conſurgere in Patre Paternitatis relationem ex ipſo gignere. Reſp. diſt. inadæquatè concipiendo, conc. adæquatè nego; quia adæquatè idem eſt generatio actiua, ac relatio Paternitatis, ut aliàs dictum

ctum eſt. Cæterùm ad illud de actione ſuppoſiti dicit Scotus quol. 4. quod non eſt neceſſe, generationem in Diuinis præſupponere ſuppoſitum; Intellectu adæquatè concipiente, ſed ipſum agere, ſeù generare conſtituit ſuppoſitum Patris. Nec Ariſt. ait actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed ſingularium.

Contrà. Omne Agens præſupponit eſſe; ergo agere non poteſt eſse prima ratio eſſendi ipſius agentis. Reſp. diſt. ant. præſupponit eſſe ſimpliciter, conc. eſſe ſuppoſitale, nego: quia in Diuinis ipſum agere conſtituit ſuppoſitum.

Contrà. Agere in Diuinis præſupponit illud eſſe, quod eſt potens agere: at illud non eſt eſſentia, ſed ſuppoſitum, quia eſſentia non generat: ergo &c. Reſp. diſt. mai. cum Scoto. A parte rei agere præſupponit poſſe agere, nego; ſecundùm noſtrum modum intelligendi, conc. Etenim agere, & poſſe agere in Diuinis ſunt idem; neque eſt primò potens agere. Vndè agere præſupponit principium quo, non verò principium quod potens agere.

Arg. ex Scoto. Id quod refertur oportet, quod ſit aliquid abſolutum præter relatiuum, ſeu excepta relatione, ut dicit D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. *Si Pater non eſt aliquid ad ſe, non eſt quod refertur*: ſed in Diuinis non eſt ipſa natura ſic primò relata relatione originis, ſed Perſona: ergo oportet Perſonam ſecundùm Perſonalitatem eſſe quid abſolutum à relatione diſtinctum; quia non refertur ipſa relatio in recto, nec ipſa natura.

Reſp. ad mai. & auctoritatem D. Aug. Scot. ait intelligendam eſſe non determinatè, ita ut generaliter omne relatiuum ſit formaliter aliquid à ſe, antequàm per relationem conſtituatur ad alterum, ſed indeterminatè, hoc eſt, ut omne tale, vel ſit priùs naturaliter aliquid à ſe, vel ſaltem includat abſolutum ad ſe, tanquam fundamentum relationis; vndè conceditur in minori, naturam Diuinam non referri, nec relationem, ſed negatur, quod ſic primò in recto relatione relatum ſemper ſit priùs naturaliter aliquid ad ſe; cum relatio Diuina, in quantum ſubſiſtens, ſeù incommunicabilis, ſimul Perſonam conſtituat, eiquè primò ſit ratio referendi.

Contra. Si Perſonæ ſunt per ſe primò relatiuæ, certè non aliud ſignificabit Patrem originare Filium, quàm Pa-
trem

trem habere Filium,ut correlatiuum: ſed hic ſenſus omninò aufert veritatem originis Filij à Patre, quia etiam circumſcripta omni originatione adhuc Pater haberet Filium ſibi correlatiuum: ergo oportet concedere præter Paternitatem aliam poſitiuam, & abſolutam proprietatem perſonalem Patris.

Reſp. Scot. neg. 1. conſ. ſeù ſeq. mai. quia Patrem originare Filium ſignificat ſanè Patrem habere Filium pro correlatiuo; non tamen quocunque modo, ſed tali modo, ut illius correlatio ſit formaliter relatio originis; idcircò non ſequitur, poſſe Patrem habere Filium, ſecluſa origine.

Arg. 3. Relatio realis ſupponit extrema conſtituta realiter diſtincta; ſed relationes Diuinæ ſunt reales, ergo ſupponunt Perſonas conſtitutas, & non conſtituunt.

Reſp. Scot. Quod relatio realis, vel exigit extrema realia, & realiter diſtincta, vel facit extrema realiter differre. Vndè relatio, quæ non habet alteram iſtarum conditionum non eſt realis. Itaque relatio realis Diuina non ſupponit extrema, cum ipſamet faciat extrema realiter diſtincta. Immò maior non verificatur de relationibus tranſcendentalibus; cognitio namque obiecti refertur ad obiectum ipſum, potentia ad poſſibile, quæ non ſunt extrema realia; eſtò ſit vera de relationibus prædicamentalibus.

Arg. 4. Diffinitio explicat eſſentiam rei, ſed in diffinitione Perſonæ explicantur abſoluta, non relatiua, ergo &c. Reſp. Scot. neg. min. conceſſa mai. quia diffinitio Perſonæ abſtrahit à reſpectiuo, & abſoluto, ut ratio Perſonæ æquè benè accomodari poſſit Perſonæ creatæ, & increatæ.

Arg. contra 3. conc. Si Diuinæ relationes, quatenus relationes ſunt reduplicatiuè Perſonas D. conſtituerent, & diſtinguerent, hoc haberent, vel quatenus relationes Diuinæ ſunt, vel quatenus relationes ſunt: non primum quia cuilibet relationi Diuinæ competeret Perſonam conſtituere,ac proindè etiam ſpirationi actiuæ,quod à Theologis non admittitur: non ſecundùm quia tunc quælibet relatio etiam creata eſſet conſtitutiua, & diſtinctiua Perſonæ quod non videtur verum: ergo &c.

Reſp. Diuinis relationibus competere rationem conſtituti-

tutiuam Perſonæ, non quatenus relationes ſunt, nec quatenus Diuinæ præcisè, ſed quatenus habent ad inuicem oppoſitionem ratione proceſſionis, & originis unius Perſonæ ab alia, vel potius quatenus important, & ſignificant diſtinctionem realem unius ab alia; ſpiratio autem paſſiua non ita ſe habet, ideò &c.

Quæres 2. An relationes conſtituant Perſonas Diuinas ſub ratione originum, ſeu æmanationum: an ſub ratione habitudinum, ſeu relationum in eſſe quieto.

Reſp. Quod origines, & habitudines, ſeu relationes non diſtinguuntur, niſi penes conceptus noſtros imperfectos; nàm quatenùs relationes concipiuntur, inſtar fieri,, & dicuntur origines, & exprimuntur his verbis: generatio actiua, generatio paſſiua, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua; & ſunt pænitus eædem cum Paternitate, Filiatione, & proceſſione, quæ dicuntur habitudines, & concipiuntur quaſi formæ in eſſe quieto. At reuerà origines Diuinæ non ſunt via ad terminum; neque origo actiua præſupponit ſuppoſitum, quaſi priùs ſit eſſe, quàm operari, ut explicatum eſt ſupra in ſolutione argumentorum. Nam cum origo Diuina æterna ſit, ipſum fieri eſt continuum, & permanens, adeout generare, & generari, ſpirare, & ſpirari durent uſque hodiè, & tota æternitate. Vndè origo Diuina ut ſic inuoluit, & rationem originis, & formæ permanentis, ac proindè adæquatè eas intellectu concipiente, ſeù procedente, tàm per origines, quàm per habitudines, ſeu potiùs per id, quod eſt utrumque conſtituuntur. Verùm inadæquatè procedente intellectu noſtro, dicendum potiùs videtur, Perſonas conſtitui relationibus, prout ſunt quædam habitudines permanentes: forma namque conſtituens rem permanentem, concipi etiam debet tanquàm permanens, & non tanquàm tendentia. Vndè ſic loquuntur DD. communiter, ut aduertit noſter Herincx Epiſcopus Iprenſis cum D. Thoma, & Scoto, & Fraſſen aſſerit Beſſarion Cardinalem in Concil. Florent. orat. Dogmatica pro unione utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ ex Doctore ſubtili mutuatam doctrinam luculenter expendiſſe cap. 6. ubi ſic habet. *Relatio, & origo, etiam ſi ſecundùm modum intelligendi differunt, ſiquidem origo ſignificatur per modum actus, ut generatio; relatio verò per modum formæ, ut Paterni-*

ternitas, re tamen non differunt, ideò utroque modo diſtinguuntur Diuinæ Perſonæ; priùs tamen, & principaliter ſecundùm modum intelligendi per relationes &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & vna abſoluta.

NOt. 1. ex Scot. quol. 5. Quod ſubſiſtentia accipi poteſt uno modo pro illa entitate, ſeu formalitate, quà ſubſtantia eſt in ſe, & per ſe poſitiuè, adeout ei repugnet eſſe in alio per inhærentiam; alio modo pro entitate, ſeu formalitate, qua ſubſtantia ità per ſe exiſtit, ut exiſtat incommunicabiliter; ſi ſubſiſtentia ſumatur primò modo, docet Scotus, dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, eo quia Diuina natura eſt ex ſe completiſſima, & independens ab alio, tanquàm à perfectiuo, vel ſubſtentante: ſi verò ſumatur in ſecunda acceptione, docet, eſſe triplicem ſubſiſtentiam, ſicut triplex eſt relatio, à qua natura D. recipit incommunicabilitatem, & conſtituitur in eſſe perſonali, quod non præſtat prima ſubſiſtentia. Ex quo patet, quod falsò ab aliquibus imponitur Scoto, eum negaſſe ſubſiſtentias relatiuas.

Not. 2. Quod quæſt. procedit in hoc ſenſu: an ſcilicet natura Diuina, quatenus præſcindit à Diuinis Perſonis, & relationibus conſtitutiuis dici poſſit per ſe ſubſiſtens, habeatque exiſtentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam: & an ex hypotheſi, quod hæc ſubſiſtentia abſoluta detur, ſint admittendæ tres aliæ relationes ad inuicem diſtinctæ realiter, & formaliter ab eſſentia Diuina. Circà quam quæſt. ſunt tres opiniones. Prima eſt Vaſquez diſp. 225. opinantis, naturam Diuinam ſubſiſtere in Diuinis Perſonis per ſubſiſtentias relatiuas tantum; & conſequenter negat, quod in Diuinis detur ſubſiſtentia abſoluta tribus Perſonis communis. 2. eſt Durandi in 1. d. 13. q. 2. exiſtimantis, tres Perſonas Diuinas totam rationem ſubſiſtendi accipere à ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ D. in illis incluſa, incommunicabilitatem verò habere à relationibus ſuis conſtitutiuis. Tertia eſt Scoti ubi ſupra, & Scotiſta-

 rum

rum, quos ſequuntur grauiores Thomiſtæ, eò quia D: Thomas in hac quæſt. ut aduertit Carpenſis, ſit ferè dubius; neque certò eius mens habeatur.

I. Concl. Dantur exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta in Deo. Prob. 1. auct. SS. PP. & 1. Agathonis Papæ in Epiſtola decretali, quæ habetur 6. Synodo art. 4. ubi ait. *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S. non tres Deos, ſed vnum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam. ſed irium ſubſtantiarum vnam ſubſiſtentiam*; & D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. inquit, *Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus*: & cap. 5. *Hec eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, & ideò ſi vna eſſentia Trinitas, vna ſubſiſtentia etiam*; idem docent D. Hieron. Hilarius, & alij &c.

Prob. ratione theologica Eſſentiæ D. quatenus præſcindit à Perſonalitatibus, competit omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, ſed per ſe exiſtere, & ſubſiſtere eſt perfectio ſimpliciter: ergo admittenda eſt in Deo exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta, mai. patet; nam eſſentia D. præciſis relationibus eſt ens infinitum actu, eſt ens completiſſimum in ratione Deitatis, ac proindè includit omnes perfectiones ſibi compoſſibiles; qualis eſt etiam ſubſiſtentia abſoluta.

II. Concl. Tres ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ in Diuinis Perſonis. Hæc concluſio remanet probata ex ijs, quæ ſuperiùs dicta ſunt, & præſertim ex SS. PP. Nihilominùs probatur ampliùs. Vbi ſunt diuerſa principia productiua quod, debent, eſſe diuerſæ ſubſiſtentiæ: ſed in Deo ſunt diuerſa principia quod; ergo debent eſſe diuerſæ ſubſiſtentiæ; ergo Pater, Filius, & Spiritus S. debent habere diſtinctas ſubſiſtentias.

Prob. 2. Humanitas Chriſti aſſumpta eſt ſolummodò terminata per ſubſiſtentiam Verbi, ergo ſubſiſtentia Verbi D. diſtinguitur à ſubſiſtentia Patris, & Spiritus S. ac proindè non ſubſiſtunt unica ſubſiſtentia abſoluta.

Arg. contra 1. conc. Si D. eſſentia ſubſiſteret, quatenus præſcindit à perſonis, ergo eſſet perſona, ſed hoc eſt abſurdum, immò hæreticum; quia daretur quaternitas Perſonarum, quod damnatur in Concilio Lateranenſi ergo &c. Reſp. diſt. ſeq. mai. Si eſſentia D. ſubſiſteret ſubſiſtentia perſonali, & incommunicabili, concedo: ſi verò ſub-

ſiſtat

ſiſtat ſubſiſtentia abſoluta, & communicabili, ut nos aſſerimus, nego. Nam per iſtam ſubſiſtentiam nil aliud intelligimus, niſi naturam D. exiſtentem independenter à quocunque perfectiuo, & ſubſtentante, non tamen excludimus ſubſiſtentiam perſonalem, quæ ultimatè terminat naturam D. eamque reddit incommunicabilem.

Arg. 2. Subſiſtere eſt per ſe exiſtere independenter ab alio, & cum repugnantia ad eſſe in alio per inhærentiam: at natura D. à Perſonis præciſa non gaudet hoc modo per ſe exiſtendi, immò potius poſtulat in Perſonis exiſtere; ergo ut ſic non verè ſubſiſtit.

Reſp. conc. mai. & nego min. Quia natura D. gaudet tali ſubſiſtentia; & quàmuis poſtulet exiſtere in Perſonis, hoc non eſt ut in completiuo, & ſubſtentante, ſed tanquàm in terminis ſuæ infinitæ fæcunditatis; eſſentia enim nullam perfectionem recipit à Perſonis, immò omnis Perſonarum perfectio ab ipſa profluit.

Arg. contra 2. conc. Subſiſtere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ſed relatio in Diuinis nullam dicit perfectionem, ut ſupra cum Scoto ſtabiliuimus; ergo nulla relatio poteſt eſſe ſubſiſtentia.

Reſp. diſt. min. Subſiſtere communicabiliter, & abſolutè dicit perfectionem ſimpliciter, concedo: ſubſiſtere perſonaliter, nego mai. ſubſiſtentia namque abſoluta non eſt perſonalis, ac proinde dicit perfectionem ſimpliciter.

Arg. 2. Ratio ſubſiſtentiæ eſt aliquod abſolutum; ergo in Diuinis nulla datur ſubſiſtentia relatiua; ant. patet per D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. dicentem: Omnis res ſubſiſtit ad ſe, quantò magis Deus.

Reſp. neg. ant. ad Aug. dicitur, quod loquitur de ſubſiſtentia, ut dicit perſeitatem independentem ab alio ſubſtentante, qualis eſt ſubſiſtentia abſoluta, quæ Perſonis Diuinis competit ratione eſſentiæ D. ipſis communicatæ.

Contra. Subſiſtentia eſt ultimus terminus in linea ſubſiſtendi, ergo præter ſubſiſtentiam abſolutam non datur alia ſubſiſtentia, aliter non eſſet ultimus terminus.

Reſp. diſt. ant. Subſiſtentia Perſonalis eſt ultimus terminus, concedo ant. ſubſiſtentia abſoluta ipſius eſſentiæ Diuinæ, neg. ant.

Vtrum in Diuinis detur prioritas naturæ, & originis.

NOt. 1. Quod certum eſt, in Deo non dari ordinem prioritatis quoad dignitatem, & durationem; fide enim docemur, omnes Diuinas Perſonas eſſe coęternas, & coæquales. Certùm pariter videtur, apud celebriores Theologos, dari ordinem originis. Siquidem D. Thomas 1. p. q.43. art.3. & D. Bonau. in 4. d.2. art.2. q.1. & 2. apertè hunc ordinem originis, quem etiam appellant ordinem naturæ, tradunt: ex eo quod D. Aug. orat. de quinque hæreſibus tom.7. eum appellat ordinem naturæ; non quo alter ſit prior altero, ſed quo alter ſit ex altero; & etiam quia ordo ille originis eſt ſecundùm naturam, ſeù ſecundùm naturalem originem, ut explicat D. Thomas. Cæterùm D. Bonau. & complures alij putant hunc ordinem originis eſſe abſque prioritate, & poſterioritate, in quo, ut infrà videbimus diſcordant à Scoto. Immò Greg. Arimi. ut notat Fauentinus, concedit, poſſe dici, Patrem eſſe priorem origine Filio cauſalitate, vel productione; non tamen poſſe concedi, Patrem eſſe in aliquo ſigno, in quo non ſit Filius, vel Patrem agere aliquid in aliquo ſigno, in quo Filius, & Spiritus Sanctus non ſint: hinc Caietanus nimis procliuis in cenſurando Scotum, eum reprehendit de modo loquendi, quem tenet, agendo de ordine naturæ, & originis in Diuinis.

Not. 2. pro intelligentia Scoticæ Doctrinæ, quod ordo naturæ, ut ipſe Doctor docet in 3. d. 3. q. 1. habet plures gradus, quos ad duos tantùm in genere reducit. Alia enim eſt prioritas naturæ eſſendi; alia intelligendi, & utraque explicari debet per habitudinem in quo ſibi proportionatam. Prima nempè per habitudinem in quo eſſendi: ſecunda per habitudinem in quo intelligendi, & utraque pariter ſuo modo eſt realis, quia fundatur in ordine, qui eſt inter plures res, vel formalitates ex natura rei diſtinctas. Itaque prioritas eſſendi explicatur per habitudinem in quo eſſendi, non quidem actualem, quaſi priùs exiſtat in aliquo inſtanti, in quo actualiter non exiſtat poſteriùs; talis enim eſset prioritas durationis, ſed potentialem, &

apti-

aptitudinalem, itàut illud dicatur priùs natura, quod licet ſit actu ſimul cum alio; tamen quantùm eſt de ſe poſſet eſse ſine illo, licet non è contra, ut habet Ariſt. 5. metaph. cap. 2. tex. 16. & hæc poteſt etiam dici prioritas naturæ cauſalitatis phyſicę. Prioritas autem naturæ intelligendi explicari debet per habitudinem in quo intelligendi, ità ut unum dicatur priùs altero, quatenùs, licet in nullo inſtanti durationis poſſit exiſtere ſine illo, poteſt tamen concipi ut exiſtens, non concepto illo alio ut exiſtente; non quidem diuiſiuè, ſed præciſiuè: quo ſenſu ſubiectum dicitur priùs paſſione. Verùm inter D. perfectiones ſola prioritas intelligendi eſt admittenda, quę appellatur ordo naturalis præſuppoſitionis, ſeù exigentiæ, unde intellectus fundamentum deſumit concipiendi illas cum tali ordine prioritatis, & poſterioritatis,

Not. 3. Quod prioritas originis eſt poſitiua habitudo producentis ad productum; ideòque Pater dicitur prior Filio, quia Filium producit, non autem quia eſt à ſe, aut independenter exiſtat à Filio, & hæc prioritas originis appellatur à Scoto, & eius Diſcipulis prioritas originis ſimpliciter ad differentiam originationis ſecundùm quid, qualem aſſignat Scotus inter eſſentiam, & attributa profluentia ab ipſa, & inter notionalia, & eſſentialia; cum notionalia videantur quaſi originari ab eſſentialibus, & inter Perſonas Diuinas producentes Creaturas in eſſe ideali. Quarè diſcrimen eſt inter ordinem utrumque; nempè inter prioritatem in quo eſſendi, & in quo intelligendi, & inter utrumque comparatum ad ordinem durationis, & originis. Ordo enim prioritatis in quo eſsendi reperitur inter extrema realiter diſtincta, ſeù ſeparabilia. Ordo verò prioritatis in quo intelligendi inuenitur ſolum inter formaliter diſtincta; deinde ſi comparatur ordo prioritatis naturæ cum ordine durationis, eſt eo minor, quia plura inſtantia naturæ admitti poſſunt in unico inſtanti reali durationis, ut in nunc æternitatis, & in nunc temporis. Ordo verò naturæ eſt maior ordine originis, quia plura ſigna originis in uno inſtanti naturæ includi poſſunt. Inſuper ordo originis, ſupple ſimpliciter ſemper exttema realiter diſtincta intercedit, ut inter Patrem, & Filium in Diuinis, ſecùs autem ordo naturæ, ut ſuprà notauimus,

Not. 4. Quod Scotus in diuerſis locis diuerſimodè aſſignat huiuſmodi inſtantia naturæ; nam in 1. d. 5. & 6. aſſignat tantùm duo ſigna naturæ: aſſignat primum, in quo eſſentia abet eſſe per ſe ſine perſonis, & ſecundum, in quo ſunt productiones, & perſonæ in Diuinis: de tertio autem inſtanti, in quo perſonæ Diuinæ ſimul producunt creaturas in eſſe ideali, nullam facit mentionem. In 2. d. 1. q. 1. aſſignat duo inſtantia naturæ, nempe inſtans, in quo habetur productio D. perſonarum in eſſentia D. ideoque primum appellat ſignum naturæ, in quo creaturæ producuntur ab intellectu D. Nihilominùs in 1. d. 5. q. 2. §. tertia difficultas, & diſtinctione 7. q. 1. aſſignat tria inſtantia naturæ: in primò eſſentia D. conſideratur ut habet eſſe per ſe, & à ſe: in 2. pullulant ab eſſentia D. relationes, & ſupoſita diuina: in 3. perſonæ D. ſimul producunt creaturas in eſſe ideali. Ratio huius diuerſitatis eſt, quia in 2. d. 1. accipit ordinem naturæ comparando obiecta ad intellectum, & voluntatem; in alijs verò locis aſſignat primum naturæ, in quo eſſentia habet eſſe per ſe exiſtens; ſecũdum, in quo perſonæ D. & operationes ad intra producuntur; tertium denique, in quo producuntur creaturæ in eſſe ideali.

I. Concl. In Diuinis non eſt admittendus ordo naturæ in quo eſsendi, benè tamen ordo naturæ in quo intelligendi. Eſt Scoti loc. cit. & Scotiſtarum. Prob. conc. quoad primam partem; prioritas in quo eſſendi infert ſeparationem aptitudinalem inter prius, & poſterius; ſed una perfectio Diuina nequit naturaliter ſeparari ab alia, ergo in Diuinis non eſt admittenda huiuſmodi prioritas in quo eſsendi. Tum quia talis prioritas infert diuerſitatem in eſſentia, & natura extremorum, quæ neque in D. perfectionibus, neque in perſonalitatibus eſt ullo pacto ponenda; ergo &c. Prob. quoad 2. partem. Inter Diuinam eſsentiam, & eius perfectiones, & inter ipſas perfectiones datur diſtinctio formalis; ergo & ordo prioritatis naturæ in quo intelligendi: conſ. pat. nàm iſte ordo ex natura rei conuenit eſsentiæ, & perfectionibus, ac proindè eſt realis, vocatur tamen ordo intelligendi, quia eſsentia, & formalitates præbent intellectui fundamentum illas concipiendi cum tali ordine reali obiectiuo, quod per probationem ſequen-

tem confirmatur. Etenim eſſentia Diuina concipi poteſt, ut exiſtens, non conceptis formalitatibus ſapientiæ &c. ſimiliter concipi poteſt, ut infinitum quoddam Pelagus omnium perfectionum, quæ ab ipſa emanant: ergo concipi poteſt ut prior ordine naturæ in quo intelligendi ipſis perfectionibus; & ſic pariter diſcurrendum eſt de perfectionibus attributalibus, quæ licet attributales in eodem inſtanti durationis omnes ſimul exiſtant; tamen una concipi poteſt priùs emanare ab eſſentia, & eſse veluti cauſa virtualis reſpectu alterius, qua ratione immutabilitas eſt veluti cauſa Diuinæ æternitatis.

II. Conc. In Diuinis rectè admittitur ordo originis, ac proindè prioritas, & poſterioritas originis. Eſt Scoti, & Diſcipulorum eius, quam amplectuntur etiam quamplures Neutrales, ut Suarez, Vaſquez, Amicus, & alij Recentiores. Prob. 1. conc. auctoritate SS. Patrum, & ſignanter D. Aug. dicentis in lib. de gaudio Elect. *Pater non præcedit Filium tempore, ſed orig ne.* Vgon. Victor. 6. de Trinitate cap. 6. ſic aientis: *Prius & poſterius hoc loco intelligi volumus non temporis ſucceſſione, ſed ordine naturæ, vel originis* Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. ubi ait; *Patrem eſſe maiorem, & ſuperiorem Filio, non n tu a, ſed cauſalitate, id eſt origine*, & ità tradunt D. Baſil. Nazianzenus. & alij.

Prob. 2. ratione. In Diuinis admittitur ſecunda, & tertia Perſona, & quidem non ex noſtro modo concipiendi, ſed ex parte rei, ergo datur ordo inter ipſas Perſonas; ſed in omni ordine primum eſt prius ſecundo, & ſecundum tertio: ergo prima Perſona erit prior ſecunda, & ſecunda prior tertia, ac proindè datur prius, & poſterius origine.

Confirmatur. Etenim ordo ſecundùm Aduerſarios, & præſertim ſecundum Durandum, & D. Thomam eſt habitudo plurium ad unum primum, ſeù ad unum principium, à quo reliqua omnia ſunt, ſed in Diuinis eſt ordo realis, & naturalis ſecundum omnes: ergo ex natura rei eſt ibi primum, ſecundum, & tertium, & per conſequens prius, & poſterius. Prob. 3. Omne producens eſt prius producto, ut patet ex D. Aug. & ratione; nàm ex ſe nihil gignit ſe; ergo de ratione generantis, & producentis eſt eſſe ante genitum, & productum: ſed Pater producit Filium: ergo Pater eſt prior origine Filio, cum enim non ſint ſimul ori-

gine, ſequitur, quod unus ſit prior, & alter poſterior.

Arg. 1. contra 1. conc. quod in Diuinis non detur ordo naturæ ex Scot. quol. 4. art. 1. ubi docet, prioritatem naturæ dicere imperfectionem, ergo non eſt admittenda in Diuinis. Reſp. Scot. loc. cit. loqui de ordine naturę, qui eſt inter diuerſas eſsentias, quia quando una eſsentia producit aliam eſsentiam diſtinctam, eſt ſemper imperfectio ex parte eſsentiæ productæ: non verò loquitur de ordine naturæ, qui eſt in eadem eſsentia, cuiuſmodi eſt ſola eſſentia Diuina.

Arg 2. Quando aliqua ſic ſe habent, quod unum eſt priùs natura altero, illa ſunt diſtincta: ſed cognitio, qua Deus cognoſcit ſe, & cognitio, qua cognoſcit creaturas non ſunt diſtinctæ cognitiones, ergo in Deo non ſunt plura inſtantia diſtincta, & priora ordine naturæ.

1. Confirmatur, quia Scot. in 1. d. 10. aſſerit, diſtinctionem rationis non ſufficere pro ordine naturæ: ergo inter quæcunque eſt ordo naturæ, illa ſunt diſtincta ex parte rei, ſed intellectio Dei, qua intelligit creaturas, & ſe ipſum non ſunt diſtinctæ ex parte rei, ergo &c. Quod ſi quis reſpondeat pro Scoto [inquit arguens] eum non aſſerere cognitionem, qua Deus cognoſcit ſe eſſe diſtinctam à cognitione, qua cognoſcit creaturas, ſed eſſe prorſus eandem, dicitur tamen priùs natura, Patrem cognoſcere ſe, quàm creaturas, quia illa eadem cognitione priùs natura cognoſcit ſe, quàm creaturas.

Contra arguitur. Quia tunc ſequitur, Deum poſſe cognoſcere ſe, abſque eo quod cognoſceret creaturas; conſequens eſt falſum: ergo &c. conſeq. probatur, nam omne priùs natura poteſt eſſe abſque ſuo poſteriori, ut ſæpius admittit Scotus: falſitas conſequentis prob. quia Deus non poteſt non cognoſcere creaturas, ut omnes Theologi docent: ergo &c.

Reſp. conc. mai. & etiam min. admittendo inſuper reſp. ab ipſomet arguente allatam: eſt enim eadem cognitio realiter, diuerſa formaliter ratione tantum diuerſorum obiectorum: Ad rationem factam contra negatur conſeq. Ad probationem eius diſt. ant. Omne prius natura &c. in quo eſſendi poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori, concedo, in quo intelligendi, nego ant. Scotus igitur loquitur de primo, non de ſecundo.

Arg.

Arg. 1. contra 2. conc. per Scot. & Scotiſtas. Eſſe priùs origine eſt eſſe à ſe, eſſe poſteriùs origine eſt eſſe ab alio, ex quo deducitur à nonnullis Scotiſtis, quod illa, quæ ſunt in primò ſigno ſunt à ſe; quæ verò ſunt in 2. ſigno ſunt ab alio; ſed per Scot. Pater generat Filium in 2. ſigno: ergo Pater generat ab alio, & non à ſe, quod eſt manifeſtè falſum. Reſp. breuiter, quod illa maxima, nimirum quæcunque ſunt à ſe &c. eſt falſa uniuerſaliter ſumpta, cum de aliquibus tantum verificetur; nàm quia Pater eſt Beatus à ſe, intelligit à ſe, ideo dicitur in primo ſigno eſse Beatus, & intelligens &c non tamen ſequitur, quod quæcunque habet Pater à ſe, illa habeat in primo ſigno originis, quia licet omnia, quæ habet Pater, habeat à ſe, non tamen habet omnia illa in eodem ſigno, ſed ordine quodam ſecundum originem; priùs enim producit Filium, deindè cum Filio Spiritum Sanctum. Cæterùm quicquid ſit de illis Scotiſtis admittentibus maximam uniuerſaliter ſumptam, non curamus; nobis ſufficiat Scoti mens.

Arg. 2. ex Aureol. diſp. 9. & Bacchon. ſic. Signa in quibus, ſunt ſigna alicuius durationis; ſed in Diuinis non eſt ſignum prius, neque poſterius duratione, etiam ſecundum Scotum: ergo in Diuinis non poſſunt poni ſigna in quibus.

Reſp. diſt. mai. Signa in quibus eſſendi, conc. ſigna in quibus intelligendi, nego: non omnia igitur ſigna important durationem; licet enim ſigna Scoti ſint ſigna in quibus, non tamen ſunt ſigna in quibus durationis, ſed naturæ, & originis.

Arg. à Caietano. Secundùm rem purè nulla eſt prioritas, & poſterioritas inter Patrem, & Filium, & conſequenter, nec inter eos, & Spiritum Sanctum, ergo iſta ſigna originis in Diuinis Perſonis non poſſunt poni ex parte rei, ſed ſolummodò quo ad noſtrum modum intelligendi: ant. prob. quia in Diuinis Perſonis nihil aliud eſt, niſi eſſentia, & relatio: ſed neque in eſſentia, quia eſt unica, nec in relationibus, quia ſunt ſimul natura, poteſt eſſe prioritas, & poſterioritas: ergo &c.

Reſp. neg. ant. Ad prob. nego min. Si de relationibus ſit ſermo; licet enim prius, & poſterius non poſſint admitti in eſſentia, admittuntur tamen inter relationem, & communicationem eſsentiæ, ut ſupra dictum eſt; nàm etſi re-

lationes ſint ſimul natura, admittunt tamen prius, & poſterius originis ſimpliciter; & inter eſſentiam, & attributa, nec non relationes eſt ordo originis ſecundum quid, ut ſupra dictum eſt.

QVÆSTIO V.

Vtrum detur Trinitas, ſiuè tres Perſonæ Diuinæ, quæ ſint vnus Deus.

NOt. 1. Quod vix referri poſſunt, quot hæreſes circà ineffabile Myſterium Sanctiſſimæ Triadis, peruerſi homines, dæmone inſtigante, euomerunt. Alij namque ut Praxeas, Noetus, Priſcillianiſtæ dixerunt, Patrem, & Filium, & Spiritum S. ſicut ſolum ſunt vnus Deus, ſic ſolum eſſe unam Perſonam. Quam hæreſim magis propagauit Sabellius, aſſerens unicam Perſonam in S. Scrip. dici Patrem, quatenus in tempore creat mundum, ſiue creaturas, dici Filium, quatenus ex Virgine aſſumpſit carnem, & dici Spiritum S. quatenus in tempore creaturam rationalem ſanctificat. Vndè denominantur frequentiùs Patris paſſiani. Alij ut Deiſtæ, ſeù Trinitarij, nec non hæretici recentiores; ut Michael Seruettus unam ſolam Perſonam in Deo poſuerunt. Arrius autem præsbyter Alex. Patrem, & Filium, & Spiritum S. eſſe quidem tres Perſonas, ſed unam ſolam ex illis eſſe Deum, nempè Patrem; Filium verò, ac Spiritum S. eſſe creaturas, ſeu non conſubſtantiales Patri. Alij denique Hæretici, ut Tritheiſtę ſomniarunt tres Deos diſtinctos, tum quoad eſſentiam, tùm quoad Perſonas, quem errorem ſuperiori ſæculo ſecutus eſt Valentinus Gentilis Italus Caluini diſcipulus.

Concl. Catholica. Datur Trinitas, ſeu dantur in Deo tres Perſonæ ab inuicem realiter diſtinctæ, quæ ſunt unus Deus; ſuntque Filius, & Spiritus Sanctus. Patri conſubſtantiales: Hæc eſt veritas catholica definita in pluribus Concilijs, aduerſus recenſitos Hæreticos, & præſertim in Concilio Lateranenſi, quod refertur cap. firmiter de ſum. Trinitate, ubi habetur quod *Vnus ſolus eſt verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino &c.* Tradit apertiſſimè

mè eandem veritatem S. Scrip. & quidem diſtinctio Perſonarum habetur Ioan. 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* & cap. 8. *Ego ex Deoproceſſi &c* & ibidem *Solus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater*; & cap. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*; quæ omnia indubiè realem diſtinctionem inferunt.

Deindè. Inter producens, & productum eſt diſtinctio realis, ſaltem perſonalis, ſed Pater producit Filium; ut habetur ad Hebr. cap. 5. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Spiritus Sanctus pariter mittitur à Patre, & Filio, teſte Ioan. cap. 5. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre &c.* ſed non mittitur Perſona niſi ab illis, à quibus procedit: ergo cum Spiritus S. mittatur ab utroque, ab utroque realiter diſtinguitur, ac proindè verè dantur in Diuinis tres Perſonæ realiter diſtinctæ.

Prob. quod tres Perſonæ ſint unus Deus, ac proindè conſubſtantiales, eſtò auctoritates iam adductæ ſufficere poſſint. Io. 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: & Io. 11. *Ego, & Pater vnum ſumus*: & de Spiritu S. Io. 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit &c.* & cap. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* Non es mentitus hominibus, ſed Deo: ergo ex Sac. Scrip. euidenter, & apertè infertur, tres Perſonas Diuinas, realiter diſtinctas eſſe unum Deum.

Arg. prob. quod non ſint tres Perſonæ, ſed unus Deus, ac proindè una Perſona. Sac. Scrip. affirmat Deum eſſe ſolum in pſal. 85. *Tu es Deus ſolus*: & 1. ad Timot. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor, & gloria*: ergo ſolitarius, ac proindè non ſunt plures Perſonæ Diuinæ in eadem eſſentia.

Reſp. 1. ex SS. Patribus, Sac. Scrip. etiam docere, Patrem non eſſe ſolum, ſed Filium habere, & Spiritum S. quarè ipſamet Scriptura vocat, Deum ſolum per excluſionem aliorum Deorum, non verò Diuinarum Perſonarum, quæ eſtò ſint tres, ſunt tamen unus Deus.

Reſp. 2. ex Scot. in 1. d. 2. q. un. quod vocabulum, ſolus, ſumi poteſt dupliciter, nempè cathegorematicè, & ſynchategorematicè, primo modo eſt idem ac ſolitarius; & ſic locum non habet in Diuinis. Synchategorematicè autem ſumi poteſt quatuor modis; primò, prout determinat ſubie-

biectum eſsentiale reſpectu prædicati eſsentialis; quo ſenſu vera eſt iſta propoſitio: Tu Deus ſolus, & unus Deus: 2. quatenùs determinat ſubiectum perſonale reſpectu prędicati eſsentialis; & ſic falſa eſt iſta propoſitio : ſolus Pater eſt Deus. 3. quatenùs determinat ſubiectum perſonale reſpectu prædicati perſonalis; & ſic vera eſt iſta propoſitio: ſolus Pater generat. 4. denique quatenùs, ſolus, determinat ſubiectum perſonale reſpectu prædicati notionalis communis pluribus Perſonis; & ſic non rectè diceretur: Solus Pater ſpirat, ſed dicendum eſt, ſolus Pater, & Filius ſpirant; & ſic patet reſponſio ad argumentum.

Arg. 2. Quæcunque ſunt eadem ſimpliciter alicui, ſunt ſimplicitèr eadem inter ſe, quia aliter nullus ſyllogiſmus valeret; ſed Perſonæ ſunt eædem ſimpliciter eſsentiæ, quę eſt ſimpliciter eadem: ergo perſonæ ſunt eædem ſimpliciter inter ſe. Reſp. Scot. in 1. d.2. q.8. Ad primam principale dico, quod non poteſt concludi identitas duorum in concluſione, niſi talis ſit identitas duorum in tertio; & tertij in ſe; aliter enim eſset accidens, vel æquiuocatio in ſyllogiſmo. Nunc autem perſonæ ſic ſunt ſimpliciter eædem eſsentiæ, quod eſsentia in iſta perſona non habet aliam ſubſiſtentiam ab ipſa. At tertium cui perſonæ ſunt eædem, non eſt in ſe idem per identitatem ſubſiſtentiæ, ergo non poteſt concludi identitas ſubſiſtentiæ in concluſione; non enim fuit medium idem, ità in Report. ubi affert exemplum de Anima intellectiua, in qua perfectionis eſt, quod ſine ſui diuiſione ſit in pluribus partibus corporis, in quo excedit alias formas, quæ educuntur de potentia materiæ; ablatis autem imperfectionibus, poſsumus quoquomodo capere, quod poſſibile ſit, aliquam eſſentiam non per informationem dare totale eſse pluribus diſtinctis, quæ non ſunt partes alicuius totius; quę erunt per ſe ſubſiſtentes.

Reſp. Fauentinus de mente Scoti, Perſonas non eſse idem eſsentiæ adæquatè, cum includant relationem, ſeu ſubſiſtentiam, quam non includit eſsentia: Quarè ex principio philoſophico allato in argumento ſolùm infertur, Perſonas D. eſse idem eſsentialiter inter ſe, non autem perſonaliter, quia non identificantur cum omni eo, quod eſt in eſsentia diuina,

Reſp.

Reſp. ultimò cum Herincx: Principium allatum intelligendum eſse de ijs, quæ ſunt adæquatè eadem uni tertio; vel ut alij loquuntur, de medio, ſeu tertio ſingulari incommunicabili; eſsentia autem D. ob infinitam ſuam fœcunditatem eſt communicabilis mediante proceſſione pluribus ſuppoſitis, realiter diſtinctis; unde, ut ſyllogiſmus concluderet, deberet hoc, vel ſimili modo proponi: Omne, quod eſt eſsentia eſt Pater, ſed Filius eſt id; quod eſt eſsentia; ergo Filius eſt Pater. Verùm tunc maior eſt falſa.

Arg. 3. Nihil eſt ponendum in entibus, maximè in ſummo ente, quo non poſito, nihil perfectionis deeſſet in Vniuerſo, ſed non poſita ſecunda, & tertia Perſona in diuinis, nil perfectionis deeſſet, ergo &c. min. patet, quia quicquid perfectionis eſt in 2. & 3. Perſona, eſt in prima.

Reſp. Nicol. de Nyſe in hac quæſt. Quod ſi in maiori propoſitione implicetur poſitio impoſſibilis; ſic maior eſt falſa; quia illud eſt ponendum, quod non poteſt poni: non eſſe abſque poſitione impoſſibilium. Si autem ibi implicetur conditio poſſibilis; ſic maior eſt vera, ſed tunc minor eſt falſa includit ſiquidem contradictionem, primam Perſonam D. eſſe ſine 2. & 3. Et quando dicitur; tota perfectio eſſet in prima Perſona, ſi deeſſent cæteræ: reſpondetur diſting. ſi illa conditio eſſet poſſibilis, conc. ſi ſit impoſſibilis, ut reuerà eſt, neg.

Arg. prob. quod Perſonæ poſſint eſſe plures tribus. In Diuinis idem eſt eſſe, ac poſſe, ſed Filius D. poteſt alium Filium producere, ergo de facto producit: min. prob. ex D. Aug. lib. 3. contra Maximinum aſſerentem Filium Dei non eſſe æqualem Patri, quem ſic perſtrinxit cap. 7. *Prorſus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem ſibi gigneret Filium, aut non potuerit, aut noluerit; ſi non potuit, infirmus; ſi noluit, inuidus inuenitur; ſed vtrumque falſum eſt; Patri ergo Deo Filius verus æqualis eſt*. Et tandem cap. 12. ita concludit. *Abſit autem, ut quomodo putas, ideò ſit potentior Pater Filio, quia creatorem genuit, hoc eſt alium Filium; neque enim non potuit, ſed non oportuit*: ergo ex doctrina Aug. infertur Filium Dei alium Filium ſibi ſimilem potuiſſe gignere, quem non genuit. Reſp. Scot. in 1. d. 20. q. un. neg. min. Ad D. Aug. conſ. dicit, eam valere ſolùm per locum extrinſecum; ita ut ſi

ut ſi Pater non gigneret ſibi Fillium æqualem non eſſet omnipotens, non quia omnipotentia ſit principium,& ratio cur Pater poſſit alium Filium producere; alioquin etiam Filius, & Spiritus S. cum ſint omnipotentes Filios producere poſſent: ſed quod ſi Pater Filium ſibi æqualem producere non poſſet, illa impotentia argueret in eo aliquem defectum, qui certè alius eſſe non poſſet, quàm defectus omnipotentiæ, cum nil aliud eſset in Patre, quod poſset productionem æqualis Filij impedire. At non eſt eadem ratio de Filio; quia negatio productionis alterius Filij non poteſt refundi in defectum omnipotentiæ, ſed quia Filius eſt terminus adæquatus, tam intenſiuè, quàm extenſiuè in eſsendo, & in operando; ut etiam paulò ſuperiùs oſtenſum fuit.

Reſp. 2. cum Fraſsen. Aug. ibi arguere ad hominem. Etenim cum Maximinus concederet ſimul Filium Dei eſse naturalem Filium,& tamen eſse factum,& creaturam; inde ſequebatur, quod aliquis Filius Dei fuit factibilis, qui foret æqualis Patri; ergo Pater non fuit omnipotens, ſi non potuit facere hunc Filium æqualem, & factibilem, & hęc videtur eſse mens Aug. ait Fraſsen, ut colligitur ex ijs, quę ſubdit dicens; immoderata eſset D. generatio &c.

Quæres. An Perſonæ D. faciant numerum.

Reſp. Quod triplex eſt numerus ſecundùm communem doctrinam. Alius formalis, ſeu tranſcendentalis, qui eſt communis omnibus rebus corporeis, & incorporeis; ac earum formalitatibus inter ſe ex natura rei diſtinctis; alius prædicamentalis, ſeu mathematicus pertinens ad determinatum genus quantitatis, ut ſpecies quantitatis diſcretæ, reſultans ex diuiſione continui; alius tandem eſt numerus ſenſibilis, qui eſt idem, ac mathematicus, contractus tamen ad materiam ſenſibilem,& ideò dicitur numerus accidentâlis. Perſonæ igitur D. faciunt numerum realem tranſcendentalem, non verò prædicamentalem, ſeu quantitatiuum: patet hoc ex Concil. Tolet. 11. in confeſſione fidei, ubi ſic habetur. *In relatione Perſonarum numerus cernitur, in Diuinitatis vero ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur.* Conſonant etiam Patres, quorum aliqui, etſi videantur excludere numerum à Diuinis; intelligendi tamen ſunt de numero prædicamentali; qui inter alia exi-

git,

git, ut docet Scot. in 1. d.24. q. un. quod neuter enumeratorum includatur in altero; & quod unitates numerandæ ſint ordinatæ ad inuicem, ut pars ad totum; & in hoc ſenſu loquitur D. Baſil. epiſt. 141. dicens, ***Non eſt Deus numero vnus***, & rationem reddit, addens: ***eſt namque numerus corporalis natura***; non tamen negat unitatem tranſcendentalem Dei, aut numerum tranſcendentalem Perſonarum. Ratio theologica eſt, quia ſecundùm fidem ſunt tres perſonæ, ergo admittendus eſt numerus ternarius perſonarum, cum terminus, tres, ſit numeralis. Immò numerus iſte, ait Scot. nil reale poſitiuum addit entitatibus, ſeu unitatibus perſonarum, ſicut cum dico: tres lapides, non dico aliquam unam formam in iſtis, ſed tantum hunc lapidem, & illum cum præciſione maioris, & minoris aggregationis. Sic in Diuinis terminus numeralis connotat præciſionem alterius ab illis, ad quos additur, ut cum dicitur, tres perſonæ non ſignificat aliquid niſi Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum intellectus creatus viribus naturæ cognoſcere poſsit Sanctiſsimæ Trinitatis Myſterium.

NOt. 1. Quod hæc quæſtio habere poteſt duplicem ſenſum; primum, an ſola vi rationis, vel luminis naturalis, ſecluſa omni reuelatione poſſit quis in hac vita myſterium Trinitatis agnoſcere, quo ſenſu omnes Catholici partem negatiuam meritò tenent: ſecundum, an ſuppoſito lumine fidei, vel aliqua illuſtratione ſupernaturali nobis diuinitùs infuſa, poſſit demonſtrari, & euidenter cognoſci in hac vita Trinitas D. perſonarum, & in hoc ſenſu videtur tenere partem affirmatiuam Raymundus Lullus, & nonnulli alij Theologi; quamuis aliqui putent Raymundum loqui in primo ſenſu; prout colligitur ex eius diſcurſu, & doctrina.

Not. 2. Quod omnia myſteria noſtræ fidei ſunt ſupra rationem naturalem, non autem contra rationem naturalem, nam veritas non poteſt eſse veritati contraria. Quarè ratio naturalis, ſi non erret, non oſtendit niſi veritatem,

quod

quod ſi erret, iam non erit ratio, ſed deceptio, ſeu ratio errans,& deprauata;& licet lumen naturale ſit inſufficiens ad omnem veritatem aſſequendam;non tamen oſtendit eſſe falſum, quod verum eſt. Itaque intellectus creatus, ſeclusa illuminatione diuina, ſeu reuelatione, iudicaret argumenta oppoſitum huius altiſſimi myſterij demonſtratiuè concludere; attamen rectè perpendens, quod omnia principia naturalia deſumuntur à rebus finitis, quibus omnibus Deitas infinitè præeminet,ipſa naturalis ratio facilè ſibi perſuaderet, poſſe eſſe in Deo aliquid abſconditum, ut naturali diſcurſu nequeat inueſtigari; ut patet de illo principio. Quæcunque ſunt eadem uni tertio &c. quod quidem principium, vel ſolum habet locum in finitis, vel ſaltem qualiter in Deo locum habeat à nobis demonſtrari non poteſt, ut eleganter diſcurrit Herincx. Quarè rectè infertur quod ea, quæ fides docet de myſterio Trinitatis, ſalua ratiocinandi arte, defendi poſſunt, eò quia, cum ars Syllogiſtica fundetur in principijs lumine naturali notis; ludibrio foret Philoſophis gentilibus noſtra fides, ſi pugnaret cum arte ratiocinandi: dicerent ſiquidem, verum vero conſonum ſemper eſſe;Trinitatis autem myſterium eſſe non poſſe,quia repugnat principijs per ſe notis, quibus innititur ars Syllogiſtica.

Not. 3. Quod omne argumentum contra hoc myſterium, & cætera myſteria noſtræ fidei, ut rectè, & in forma concludant,neceſſe eſt, ut fundentur in aliqua propoſitione contraria myſterio fidei, & ita uniuerſali, ut non ſolum res creatas, ſed etiam rem increatam, & infinitam comprehendat; in quo caſu euidenter poteſt ſolui duobus modis argumentum vitioſum ex parte materiæ; primò, quando ille, qui reſpondet, oſtendit ex ipſa rei natura, falſam eſſe aliquam propoſitionem in argumento aſſumptam. 2. cum aliundè reddit euidentem rationem,cur ipſe reſpondens prudenter ſibi perſuadeat falſam eſſe. Et ſanè ratio reddi poteſt à theologo,quæ oſtendat propoſitionem illam iure exiſtimari falſam, & myſteria noſtræ fidei euidenter credibilia, eò quia ad probationem illius propoſitionis uniuerſalis, Aduerſarius non poſſet aliam probationem afferre, niſi ex inductione rerum creatarum, naturaliter cognitarum; at talis inductio nequit eſſe vera, quia

obſtat

obſtat maius lumen, ideſt fidei confirmatæ multis argumentis, & motiuis, quibus myſteria noſtræ fidei redduntur euidenter credibilia, ut ſupra oſtenſum fuit. Quarè omnia argumenta contra myſterium Trinitatis, non ſolum ſunt ſolubilia, prout de facto à theologis peritis ſoluuntur, ſed etiam ſunt euidenter ſolubilia; tum ob rationem mox aſſignatam; tum quia illa argumenta reuerà conuincere nequeunt theologum, neque eum deducere ad concedendum aliquod abſurdum, aut impoſſibile. Siquidem theologus ſemper dicit vera probabilia, & credibilia, cum ſciat, omnia noſtræ fidei myſteria eſſe euidenter credibilia.

I. Concl. Intellectus creatus, quacunque etiam reuelatione perluſtratus, non poteſt euidenter, & certò demonſtrare myſterium D. Trinitatis. Hæc eſt communis, & habet duas partes, prima eſt, quod intellectus creatus lumine naturali, atque diſcurſu philoſophico non poteſt peruenire ad notitiam diſtinctam Sanctiſſimæ Triadis, & quidem hæc eſt adeò certa, ut contraria videatur erronea, & temeraria, teſte S. Scrip. præſertim Matt. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare:* & cap. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis* (ideſt ratio naturalis) *Non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*; & Apoſt. 1. ad Corint. cap. 2. loquens de myſterio Incarnationis ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo principum cognouit*; ergo tantò minus myſterium Trinitatis, quod eſt ſublimius agnoſci poteſt ab intellectu creato. Inſuper pro hac conc. firmanda faciunt ea, quæ dicta ſunt in quæſt. 2. proœmiali.

Prob. 2. conc. pars. Quod intellectus creatus etiam reuelatione illuſtratus nequit euidenter demonſtrari &c.

Prob. auctoritate SS. Patrum, ut D. Aug. & Iuſtini in expoſitione fidei de Trin. quorum ſententias breuitatis gratia omitto; unica tantum contentus, quæ eſt D. Hylarij in lib. 8. de Trinit. ubi affirmat myſterium hoc tranſcendere rationem naturalem, his conceptis verbis. *Hoc enim Eccleſia fide intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc Philoſophia non ſapit &c.*

Prob. ratione. Fides, vel reuelatio nequit efficere, ut effectus purè naturales, & ſenſibiles connexionem neceſſariam

riam habeant cum Trinitate. D. Perſonarum; ergo nec efficere poteſt, ut per euidentem eorum effectuum notitiam demonſtretur D. Trinitas: conſ. patet. Nam cauſa non poteſt euidenter cognoſci per effectum, niſi pariter innoteſcat connexio neceſſaria, quam habet cum illo effectu.

Prætetea. Omnes diſcurſus naturales, ſuppoſito lumine fidei, manent intra ſpheram luminis naturalis: nec poteſt aliquid Diuinum oſtendere, niſi beneficio creaturarum: ſed creaturæ ex ſe potius inducunt in aſſenſum impoſſibilitatis huius myſterij; ergo etiam ſuppoſita reuelatione non poteſt euidenter demonſtrari myſterium Trinitatis.

II.Concl. Suppoſita reuelatione multa argumenta adinueniri poſſunt, & rationes, quæ probabiliter ſuadere, & explicare valent myſterium D. Trinitatis, ac proinde adiuuare, & manuducere noſtrum intellectum, ut in eius aſſenſum propendat, & magis, ac magis corroboretur: immò, & infidelibus credibilitatem noſtræ fidei oſtendere, ut dicetur in tract. de fide p. 3. Hæc pariter conc. eſt certiſſima, & communis; & de ſe patet eadem ſiquidem argumenta,& rationes, quæ euidenter oſtendunt myſteriorum fidei credibilitatem, explicant etiam myſteria fidei, & eorum probabilitatem monſtrant.Immò ex illis ſoluit Theologus euidenter omnia argumenta, quæ fieri poſſunt contra myſteria fidei, ut proximè dicebamus.

Arg. cont. 1. conc. quoad 1.partem. Philoſophi lumine fidei orbati agnouerunt naturaliter myſterium Trinitatis; ergo lumine naturali euidenter illud cognoſci poteſt, ac proinde demonſtrare. Ant. patet de Platone, qui, ut ex ſuis operibus colligitur, agnouit hoc myſterium, & de Sybillis gentilibus, quæ de Deo, & Trinitate rectè locutæ ſunt. Et Trimegiſt. dialog. 4. ait. *Monas Monadem genuit,& in ſe ſuum reflexit arderem.* Monas autem eſt Pater D.gignens, Monas genitus Filius, & ardor Spiritus S. ergo &c.

Reſp. Prefatos Philoſophos, & alios, ſi notitiam de Trinitate D. habuerunt, eam auſiſſe ex lectione librorum S. Scrip. aut ab hebræis, veriſque fidelibus didiciſſe. Vel certè accepiſſe ab Ægyptijs qui aliquam notitiam recceperunt ab hebræis ut notat Herincx.

Cæte-

Cæterùm de Sybillis ſignificat D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. unà cum alijs Patribus, illas hoc myſterium, & alia agnouiſſe ex peculiari Dei illuſtratione, ut etiam gentibus fidei myſteria innoteſcerent ut oſtendetur in p. 3. tract. de Incarn.

Arg. 2. Quoad alteram partem conc. Omnis perfectio, quæ reperitur in creaturis tribuenda eſt Deo, ſecluſis omnibus imperfectionibus: ſed naturam eſſe in pluribus ſuppoſitis, dicit perfectionem in creaturis: ergo ſecluſa imperfectione diſtinctionis, & multiplicationis eiuſdem naturæ, quæ reperitur in creatis debuit tribui Deo, quam rationem videtur inſinuare Iſaias cap. ult cum in Perſona Dei ait. *Nunquid ego qui alios parere facio, ſterilis ero?*

Reſp. conc. totum argumentum. Verùm præſcindere prædictas perfectiones ab imperfectionibus excedit limites naturalis capacitatis: quare ſuppoſita fide, talis ratio eſt ſolum perſuaſiua, & non euidens, & demonſtratiua.

Arg. rationibus Scoti, quæ maximum videntur habere euidentiam, ſed nulla eſt demonſtratiua. Sic igitur arguit Scotus contra ſe. Quicunque habet à ſe, & ſine imperfectione principium productiuum ſufficiens ad producendum poteſt producere; ſed ſic ſe habet prima perſona in Diuinis; ergo &c. Reſp. Scot. nomine Philoſophi neg. min. quia, diceret, Deum non intelligere, niſi per intellectionem ſibi identificatam, ac proinde eius intellectionem non eſſe realem productionem termini realiter diſtincti.

Arg. 2. Quod eſt ſummè, & infinitè bonum, eſt ſummè, ac infinitè communicabile: ſed etiam lumine naturali cognoſcitur eſſe ſummum bonum, & infinitum; ergo ſummè, & infinitè debet communicari, ſubſumo min. ſed extrà ſe non poteſt ſic infinitè, & ſummè communicari, quia nequit produci creatura ſummè infinita, ergo neceſſe eſt, ut intrà ſe communicetur ſummè, & infinitè; ſubſumo aliam min. ſed illa communicatio fieri non poteſt niſi per intellectum, & voluntatem; ergo oportet, quod Deus ſe communicet alteri intrà ſe per operationem intellectus, & voluntatis; non autem alteri extrà ſe, ideſt ſecundùm aliam eſſentiam, quia eſſent plures Dij, ergo ſecundum perſonam, ac proindè erunt tres perſonæ in una ſingulari eſſentia &c.

Reſp. 1. Philoſophus neg. mai. eò quia actualis communicatio nullam infert perſectionem in cauſa communicante, ſed tantum in effectu producto; ut patet de actuali illuminatione, quæ non eſt perfectio exiſtens in ipſo ſole: ſed in corporibus illuminatis.

Reſp. 2. Repugnare Deo communicationem infinitam, quia illa videretur ipſi non poſſe fieri abſque diuiſione eſſentiæ, & productione alterius Dei, quod repugnat. Itaque ſola fides myſteria fidei nos docet; in cuius obſequium oportet captiuare noſtrum intellectum; gratias agendo Deo de tàm grandi beneficio, nobis gratuitò collato. Ex dictis colligitur; quod ſicut ratione naturali probari non poteſt D. Trinitatis exiſtentia, ità nec demonſtrari poteſt illius impoſſibilitas. Nam ſiquæ ratio naturalis ſuadere poſſet D. Trinitatis impoſſibilitatem, maximè, quia hæc repugnat principijs metaphyſicis uniuerſaliſſimis, & notiſſimis: vel quia militat contra receptiſſima principia diſcurſus, & artis ſyllogiſticæ, ut tactum eſt paulò ante; vel denique quia Perſonarum Trinitas in unitate eſſentię pugnat cum ipſis intimis Dei prædicatis: ſed nullum iſtorum dici pòteſt, ergo &c. patet min. ex dictis, tum quia eadem eſsentia includens plura prædicata, & etiam relationes perſonales formaliter ab ipſa diſtinctas, poteſt communicari ſecundùm ſe, & non ſecundùm relationes, poteſt autem eſſe eadem uni tertio, & tamen diſtincta in Perſonalitates, &c.

DISPVTATIO IIII.

De Perſonis Diuinis in particulari.

QVÆSTIO I.

Vtrum primæ Perſonæ, quę nominatur Pater competat innaſcibilitas, ſeu ratio, & proprietas ingeniti.

NOt. 1. Quod nomen Patris in Diuinis ſumitur dupliciter, 1. eſſentialiter, & ad extra: 2. notionaliter, & ad intra. Si primò modo ſumatur dicitur Pater tota Trinitas; eò quia ipſa ſicut eſt creatrix, ità generaliter dictus

citur Pater omnium creaturarum, quas producit, & conſeruat, & ſpecialiùs hominum, & Angelorum, quos ad æternam beatitudinem ordinauit; ideòque dicimus Pater noſter, qui es in Cœlis. Nomen autem Patris ſumptum notionaliter ad intrà conuenit ſoli primæ perſonæ, quæ producit Filium de ſua ſubſtantia: unde ad hoc, ut quis propriè dicatur Pater debet producere Filium ex propria ſubſtantia, & ob id Deus non eſt propriè Pater Angelorum, aut hominum; neque Spiritus S. eſt Chriſti Pater.

Not. 2. Quod tribuitur à Ss. Patribus primæ Perſonæ ratio principij, quod quidem principium poteſt pariter accipi dupliciter, ſcilicet eſſentialiter, & notionaliter, ut explicauimus de Patre. Quarè nomen principij eſſentialiter ad extra competit toti Trinitati, cuius opera ad extra ſunt indiuiſa, ut habet axioma Theologicum; notionaliter verò ſoli primæ Perſonæ competit principaliùs, minus tamen principaliter competit Filio D. quatenus eſt principium ſpiratiuum Spiritus S. Inſuper tribuitur etiam à Græcis primæ Perſonæ nomen cauſæ, ſecluſis tamen omnibus imperfectionibus, confundentibus nomen principij cum cauſa, ut eos expoſuit Beſſarion in orat. pro unione in Concil. Florent. More tamen, & ſenſu Latinorum, nequit in Diuinis nominari cauſa, quia tale nomen importat in principio dependentiam, & limitationem, & diuerſitatem in natura. Et à S. Auguſt. & S. Hilario tribuitur primæ Perſonæ nomen Auctoris; hac tamen ratione, ut huiuſmodi modum loquendi explicent ijdem Ss. PP. quod dum dicitur prima Perſona, ſeu Pater Auctor Filij, non intelligatur, Filium eſſe minorem Patre, & Patrem maiorem Filio; ut videtur præſeferre hoc nomen Auctor.

Not. 3. Quod nomen ingeniti multifariè ſumitur. Primò pro eo, quod non eſt creatum, in quo ſenſu uſurpabant Ariani, dicentes ſolum Patrem eſſe ingenitum, ut indè Filium genitum, ſeu creatum facerent; & ſic non eſt proprietas primæ Perſonæ, ſed cuilibet Perſonæ conuenit. 2. ingenitum ſumitur pro eo, quod non eſt propriè genitum, & ſic Spiritus S. dici poteſt ingenitus, quia non eſt propriè genitus. 3. ſumitur pro, eo, quod per nullam productionem habet eſſe, & hoc modo ſoli Patri æterno conuenit.

Not. 4. Quod ingenitum de formali dicit negationem geniti, de materiali autem dicit quid poſitiuum, in quo fundatur talis negatio. Quid autem ſit iſtud poſitiuum non ſatis conueniunt Doctores. Nàm quidam ut refert D. Bonau. in 1. diſt. 28. q. 1. putarunt, ingenitum ſignificare relationem oppoſitam rationi genitoris realem, quæ quidem opinio reprobatur à Scholis, ut notat noſter Macedo. Quarè D. Bonau. d. 27. q. 2. & d. 28. q. 1. tenet ingenitum dicere quidem priuationem in genere, ſiue negationem formaliter, & connotare quid poſitiuum includens dignitatem, quæ eſt quædam fontalis plenitudo, ſeu fœcunditas principij in Patre. Ità intellexit eum Scot. d. 28. q. 2, ſ. de 2. Quæ autem ſit mens D. Thomæ non ità faciliter deprehenditur. Etenim Vaſquez videtur innuere D. Thomam ſentire cum D. Bonau. Suarez aliter interpretatur eius mentem. Thomiſtæ verò ut Herueus, Capreolus, & Caietanus aſſerunt, D. Thomam docere ingenitum conſtitui per negationem principij ab alio fundatam in ratione principij ad aliud; & hanc doctrinam præſertim tradit p. 1. q. 33. ubi ſic ait. Vnde ad hoc quod ingenitum ſit proprium ſoli Patri, oportet ulterius in nomine ingeniti intelligere, quod conueniat alicui perſonæ D. quæ ſit principium alterius perſonæ, ut ſic intelligatur importare negationem in genere principij perſonaliter diſtincti in Diuinis, hæc ille. Vbi notat Macedo, quod D. Thomas non exprimit Patrem, ſed ſuppoſitum, & perſonam. Vnde in aliquo Paternitatem antecedente conſtituit fundamentum illius priuationis: Vide Macedo collat. 8. diff. 2. de ratione ingeniti. Scotus autem aliter ſentit à D. Thoma, & eius mens apparebit in ſequentibus concluſionibus.

I. Conc. Ingenitum ſumptum tertio modo pro eo, quod nullo modo eſt productum conuenit Patri, tanquàm eius proprietas. Eſt Scoti, & Scotiſtarum in 1. d. 28. q. 2. ſ. in propoſito; ubi ſic docet. Dico igitur, quod ingenitum ſecundùm uſum Sanctorum prout ſcilicet ſignificat negationem geniti communiſſimè ſumpti ſcilicet producti, connotando ſubſiſtens in natura D. ſoli conuenit Patri.

Prob. auctoritate D. Auguſt. dicentis 15. de Trin. c. 26. *Solus Pater non eſt ab alio, ideò ſolus dicitur ingenitus*, contra Sabellianos aſſerentes, Patrem natum fuiſſe de Maria Virgi-

ne.

ne. Ratio eſt manifeſta, quia Filius eſt productus per generationem; Spiritus S. per operationem, ergo ſolus Pater eſt improductus, & ingenitus.

Dices. Patres videntur reſpuere nomen ingeniti à perſona Patris, ut D. Athanaſ. qui epiſt. de decret. Nicenæ Synodi ſub finem ſcribit, hæreticos accepiſse illud vocabulum à Paganis, ut ſuas fraudes faciliùs ocultarent, ſicut etiam Baſilius, qui lib. 1. contra Eunomium dicit in vocabulo ingeniti latere aliquam blaſphemiam.

Reſp. præfatos Doctores non reijcere ſimpliciter hoc vocabulum, cum fateantur Patrem eſſe improductum, ſed négabant applicationem hæreticorum ſophyſticè utentium hoc vocabulo, ut inferrent, Deum Patrem differre eſsentialiter a Filio. Sic enim concludebant: ſi ſolus Pater eſt ingenitus, ideſt increatus, ergo Filius, & Spiritus S. ſunt creati, ergo non ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, ac Pater, quia eadem ſubſtantia non poteſt eſse creata, & increata; ac proindè volebant Filium, & Spiritum S. non eſſe Deum, ideò Ss. Patres nolebant admittere ingenitum.

II. Conc. Fundamentum poſitiuum negationis ſignificatæ per nomen ingenitum eſt ſola Paternitas: Eſt Scoti in 1. d. 28. q. 2. ubi ait. Videtur dicendum, quod ingenitum ſub propria ratione ſua, ut ſignificat non habere genitorem, eſt proprietas Patris, & ſufficienter importat dignitatem, ideſt non indignitatem, ſicut perſonalia in Diuinis non dicuntur eſse imperfectiones, & quol. 4. ait ſecundùm doctrinam Damaſc. ſub ingeneratione comprehendi Paternitatem; ergo poſitiuum ingeniti eſt Paternitas.

Prob. auctoritate D. Aug. lib. 5. de Trin. c. 6. & c. 7. ubi ſic concludit. *Ideò enim Filius, quia genitus, & quia Filius utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc oſtenditur quod non ſit Filius*: ergo &c.

Prob. ratione: fundamentum talis negationis non poteſt eſse eſsentia D. quia ingenitum non eſset proprietas Patris, ſed commune alijs perſonis, neque poteſt eſse ſpiratio actiua, quia hæc eſt communis Patri, & Filio, ergo ſola Paternitas eſt fundamentum talis negationis.

Prob. 2. Pater, & Filius ſunt eiuſdem naturæ, & eſsentiæ, ergo cum Pater dicatur ingenitus, & Filius genitus, & hæc nomina in ſignificatione opponantur, non poterunt

ad eſsentiam, vel ad ea, quæ eſſentialia ſunt ullo modo referre, ſed ad paternitatem. Prob. 3. Negatio, & affirmatio pertinent ad idem genus, ſed ingenitum ſignificat negationem cuiuſcunque proceſſionis; proceſſio autem in Diuinis idem eſt, ac relatio ſignificata per modum viæ, & originis; ergo ingenitum dicit relationem ratione poſitiui, quod non eſt aliud, quàm Paternitas ſub ratione principij, non autem ſub ratione perſonalitatis.

Arg. contra 1. conc. auct. D. Aug. 5. de Trin. c. 6. dicentis: *Ingenitum eſſe idem, ac non genitum, & non genitum idem eſſe, ac non Filium*: ſed Spiritus S. eſt non Filius, ergo eſt ingenitus, ac proindè non eſt ſola proprietas Patris.

Reſp. D. Aug. loqui de ingenito 2. modo, quem ſupra notauimus, non vero tertio modo, de quo in præſenti agitur.

Arg. 2. Eſſentia D. eſt ingenita tertio modo, quia non eſt producta, ergo ingenitum non conuenit ſoli Patri.

Reſp. conced. ant. & neg. conſ. quia eſſentia D. eſtò non ſit producta, eſt tamen communicata, quod de Patre dici non poteſt; undè ad hoc ut conueniat alicui proprietas ingeniti, exigitur quod non ſit communicatum. Vel reſp. diſting. ant. eſſentia D. eſt ingenita negatiuè conc. ant. quia generari ipſi non poteſt conuenire, immò repugnat; priuatiuè nego, ut Pater cui conuenire poteſt generari in ratione perſonæ.

Contra. Prima Perſona non eſt apta ad generari, ergo ingenitum conuenit tantum negatiuè, ſicut eſſentiæ.

Reſp. diſting. ant. non eſt apta ad generari, ut prima perſona eſt conc. ut perſona eſt, nego: Vnde pro adæquata notitia talis diſtinctionis aduertendum, quod quando dicitur priuatiuè, ſumitur pro priuatione ſimili priuationi, quæ à Philoſophis appellatur priuatio ſecundùm genus, non ſecundum ſpeciem; qua ratione talpa dicitur priuari viſu; quia inquantùm eſt animal non repugnat ei videre, licet repugnet ei videre, ut talpa eſt. Sic (ſi ità à vilioribus ad diuina explicationis gratia argumentari liceat) cum Pater D. ſit perſona D. cumque in genere perſonarum D. non repugnet produci, Filius namque, & Spiritus S. producuntur, hinc fit, quod productio non repugnat Patri, ut perſona D. eſt, ſed tantum quatenus Pater eſt, ideoque

que ratio ingeniti, prout eſt proprietas Patris ſumi debet priuatiuè.

Arg. 3. Proprietas dicit dignitatem, ſed ingenitum non dicit dignitatem, quia ſic Filius, & Spiritus S. tali dignitate carerent; ergo &c. Reſp. ex Scoto diſt. mai. Proprietas abſoluta dicit dignitatem, conc. relatiua, uti eſt ingenitum, nego mai.

Dices. Ingenitum non eſt proprietas relatiua, nec perſonalis; talis enim eſt poſitiua, ergo eſt proprietas abſoluta. Reſp. neg. ant. Nàm ingenitum ex D. Aug. eſt proprietas negatiua relatiua, lib. 5. de Trin. cap. 7. ubi habet: *Sicut enim genitus non ad ſe ipſum dicitur, ſed quod ex genitore ſit, ſic eſſe ingenitum eſt proprietas negatiua relatiua, quæ non conſtituit Perſonam Patris, ſed eam conſequitur.*

QVÆSTIO II.

Vtrum Pater æternus genuerit Filium neceſſitate naturali.

NOt. 1. Quod quatuor ſunt neceſſitates. 1. dicitur violentiæ, quæ accidit reluctante, ſeu repugnante natura; ut quandò lapis proijcitur ſurſum. 2 dicitur neceſſitas coactionis, quæ accidit reluctante voluntate. 3. eſt immutabilitatis, qua fit, ut oppoſitum non poſſit ſuccedere, ſuppoſita determinatione; licet abſolutè poſſit eſſe: tali neceſſitate vult Deus neceſſariò ad extrà quicquid ſemel voluit. 4. dicitur neceſſitas omnimodę ineuitabilitatis, & eſt, quandò aliquod ità neceſſariò eſt, ut non poſſit non eſse; ſic Deus ſe amat necesſariò. Verùm quia D. Bonau. aliter explicat iſtas neceſſitates, & quidem meo iudicio eleganter, & ſapienter; ideo ſit.

Not. 2. Quod ſecundùm D. Bonau. in 1. d. 6. ſunt ſex modi necesſitatis; quandoque enim eſt neceſſitas à principio diſconueniente, & hoc dupliciter: aut mouente contra naturam; & ſic eſt neceſſitas violentiæ: aut contra voluntatem, & ſic eſt neceſſitas coactionis. Aliquandò eſt neceſſitas à principio deficiente, & hoc duplex, aut eſt reſpectu eius, quo res nata eſt compleri, ſeu perfici, & hæc dicitur neceſſitas indigentiæ, puta cibi, & potus quantum ad

ad corpus, aut gratiæ, quantum ad Animam. Aut eſt reſpectu illius, quod oritur ex illo defectu, & ſic eſt neceſſitas ineuitabilitatis, ſicut in morte, & in primis motibus. Aliquandò denique eſt neceſſitas à principio conueniente, & ſufficiente, & hoc dupliciter, quia vel illa eſt conuenientia, & ſufficientia plenæ diſpoſitionis, & ſic eſt neceſſitas exigentiæ, ſicut in materia diſpoſita; aut eſt conuenientia, & ſufficientia plenæ perfectionis, & ſic neceſſitas immutabilitatis, quæ principaliter eſt in Deo; ipſe enim ſolus ſibi omninò conuenit, & ſufficit. Hęc autem immutabilitas non opponitur libertati, ſed vertibilitati, quæ nulla eſt in Deo. Naturale autem tribus modis accipi poteſt. 1. quatenus opponitur ſupernaturali. 2. quatenus opponitur artificiali. 3. quatenus opponitur libero, ſic ignis dicitur naturaliter calefacere, quæ omnia alibi explicata fuerunt, & præſertim in phyſica; ſit igitur.

Conc. Pater generat Filium neceſſitate non coactionis, non violentię, ſed exigentię, ſeu indefectibilitatis, ac proindè immutabilitatis, ut declaratur in ſecundo notabili.

Prob. conc. quoad 1. partem. Impoſſibile eſt Patrem non generare Filium: ergo neceſſarium eſt Patrem generare Filium; conſeq. tenet ex regula propoſitionum modalium. Prob. 2. pars. Memoria Patris eſt perfecta, & adæquata, ergo coexigit Verbum perfectum, & adæquatum, ac proindè neceſſariò generat. Prob. quod generetur naturaliter. Pater generat Filium per intellectum: ſed intellectus eſt principium naturale, ut oſtenſum fuit in ſuperioribus quæſtionibus, ergo &c.

Arg. contra conc. quod Pater non produxerit Filium neceſſitate naturali; & primò auctorit. Richardi dicentis, quod *in Patre eſt amor gratuitus, quo dat eſſe Filio, & Spiritui S.* ergo &c. Reſp. quod in amore gratuito duo ſunt conſideranda; primum eſt, quod dat liberè abſque exigentia meriti, vel naturæ, & ſic non attenditur amor gratuitus in Patre reſpectu Filij. Aliud eſt, quod dat liberaliter, non expectando retributionem, & ſic attenditur amor gratuitus reſpectu Filij. Ita Nicolaus de Niſe reſpondet.

Arg. 2. In diuinis nihil eſt inuoluntarium; ſed generatio Filij eſt æterna, & diuina, ergo non eſt inuoluntaria; ac proinde voluntaria, & non naturalis.

Reſp.

Reſp. diſting. mai. Quatenùs inuoluntarium eſt idem, ac coactio,& violentia conc. quatenùs inuoluntarium,eſt idem, ac naturale, & ſic nego.

Arg. 3. Si Pater neceſſariò genuit Filium, aut genuit ipſum æquè ſibi neceſſarium, aut non. Non ſecundum, quia Pater non eſſet æqualis Filio; neque primum, quia Pater eſt à ſe neceſſarius; Filius autem non à ſe eſt neceſſarius; ac proindè videtur eſſe contingens, ergo &c.

Reſp. Quod Pater genuit Filium æquè neceſſarium ſibi, cum eandem eſſentiam Pater communicet Filio, & per conſequens eandem neceſſitatem. Et licèt Filius non ſit ex ſe neceſſarius originaliter, ſeu principiatiuè, eſt tamen formaliter. Neque ſequitur non eſt ex ſe neceſſarius originaliter, ergo eſt ex ſe originaliter contingens; quia licet neceſſarium,& contingens ſimpliciter ſint immediata, non tamen cum illis determinationibus ex ſe, aut ex alio, aut ſimilibus; ut ait idem Nicolaus de Nyſe.

Arg. 4. Philoſophus 1. Poſt. tradit hanc maximam. Propter quod eſt unum quodque tale, & illud magis; ſed Filius non habet neceſſitatem niſi à Patre, ergo Pater eſt magis neceſſarius; ac proinde non ſunt æquè neceſſarij.

Reſp. Quod illa maxima intelligitur ubi eſt comparatio cauſæ ad effectum, quod non habet locum in diuinis. Vndè eſtò Pater non ſit magis neceſsarius, quàm Filius; tamen conceditur quod neceſſitas prius, & principaliter conuenit Patri, quàm Filio.

Arg. ultimò. Agens neceſſarium eſt imperfectum, quia non habet in poteſtate ſua dominium ſuæ actionis; ergo Pater non generat Filium neceſsariò.

Reſp. diſting. ant. Agens neceſsarium neceſſitate dependentiæ, & oppoſita libertati, conc. Agens neceſſitate indefectibilitatis, & fontalis fæcunditatis, quale eſt Pater æternus, neg. ant.

QVÆSTIO III.

Vtrum Pater æternus genuerit Filium voluntate antecedente.

NOt. Quod voluntas conſiderari poteſt duplici modo; primo pro actu primo, ideſt pro ipſa potentia voliti-

ua. 2. pro actu ſecundo, & hoc dupliciter, vel proût eſt principium elicitiuum, ſeù productiuum, vel proût eſt principium imperatiuum, hoc eſt, quatenùs imperat intellectui, vel ipſum applicet ad producendum.

I. Concl. Pater non generat Filium voluntate eliciente, ſeu principio productiuo; neque voluntate applicante parentem cum prole. Prima pars patet. Nam intellectus eſt principium adæquatum productionis Filij, & voluntas Spiritus S. tum quia ſi intellectus admitteret aliud principium, ſequeretur quod intellectus non eſset principium perfectum in ordine ad productionem Filij: ergo &c.

Prob. 2. pars. Intellectus eſt potentia naturalis, quæ ex ſe determinatur ad intelligendum: ergo non genuit Pater Filium voluntate applicante; alioquin intellectus eſſet ex ſe determinatus, & ab alio, quod dicit contradictionem.

II. Concl. Pater generat Filium voluntate antecedente, concomitante, & ſubſequente. Prob. quoad omnes partes. In illo ſigno, in quo præſupponitur prima perſona, antequam generet, non habet repugnantiam ad generandum Filium; ergo generat Filium voluntate antecedenti. Quando generat Filium, non generat inuitus, ergo generat voluntate concomitante. Poſtquàm genuit habet complacentiam de tali generatione, iuxtà illud S. Scrip. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: ergo genuit Filium voluntate ſubſequente.

Aduertendum tamen, quod quando dicitur Patrem genuiſſe Filium voluntate antecedenti, intelligitur de voluntate eſſentiali, quæ conuenit Patri, ut Deus eſt, ac proindè rectè infertur, ergo Pater, ut Deus vult generationem Verbi ante eius productionem, vult eam quando fit, & quando concipitur facta; eo modo accipiendo prioritatem, & poſterioritatem, quo alibi explicatæ fuerunt huiuſmodi prioritates, & poſterioritates.

Arg. contra 1. conc. Ab Arrianis hæreticis apud D. Auguſt. Pater aut genuit Filium volens, aut nolens; ſi nolens miſer eſt; ſi volens non eſt Filius naturæ, ſed voluntatis, ergo &c. Reſp. quod Pater genuit Filium ut volens, non quidem voluntate, ut principio quo, ſeu eliciente, nec voluntate deliberatiua, aut conſilij, ſicut produxit

crea-

creaturas, quas potuit non producere; ſed voluntate com placentiæ; placuit enim Patri hæc naturalis neceſſitas, qua Filium produxit.

Arg. contra 2. partem eiuſdem conc. Intellectus noſter non eſt ita determinatus ex ſe, quin aliquando determinetur à voluntate, ut patet unicuiq; noſtrum: ergo etiam voluntas eſsentialis, quæ eſt in Deo, ut Deus eſt, poteſt applicare intellectum Patris, ut ſe determinet ad productionem Verbi, quod eſt applicare parentem cum prole.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia intellectus noſter ad multa obiecta eſt indifferens, & maximè quando ſunt abſentia: at intellectus D. non eſt indifferens, ut intelligat, vel non intelligat eſſentiam D. ac proindè naturaliter ex ſe determinatur ad illam, & non à voluntate.

Contra. Non poteſt intelligi, cur voluntas illa eſsentialis præcedat niſi ut determinet Patrem ad generandum; ergo ſi Pater genuit voluntate antecedente, genuit etiam voluntate applicante &c. Reſp. neg. ant. Nam voluntas eſsentialis præcedit non ob rationem aſſignatam, ſed ratione ordinis actionum, ubi eſsentiales, & operatiuæ præcedunt notionales, & productiuas.

Arg. contra 2. conc. Nempè quod Pater non genuerit Filium voluntate antecedenti, & eſsentiali tantum. Pater, ut Pater genuit volens, aliter genuiſset inuitus: ergo genuit Filium voluntate antecedenti, notionali, & non eſsentiali; eò quia notionalis competit Patri, ut Pater eſt.

Reſp. diſt. ant. Pater, ut Pater genuit volens, nego; Pater, ut Deus, genuit volens, conc. ant. ſi enim Pater genuiſſet Filium voluntate notionali, volitio notionalis præceſſiſset intellectionem; ac proindè prius eſſet productus Spiritus S. quam Filius. Ad illud, quod infertur ergo inuitus genuit. Reſp. neg. conſeq. quia ſi genuiſset inuitus, genuiſset, vel contra voluntatem eſsentialem, vel contra notionalem; non contra primam, quia genuit voluntate eſsentiali, neque contra ſecundam, quia in illo ſigno, in quo genuit Verbum, nondùm intelligitur eſse actus notionalis.

Arg. 2. contra eandem partem. Si Pater prius vult generationem, quàm generet, ſequeretur, quod Pater prius

patu-

natura vellet ſe ipſum,quam ſit,& ſic pariter Filius, & Spiritus S. cum illa volitio ſit eſsentialis, & communis tribus; ſed hoc videtur manifeſtum abſurdum, ergo &c.

Reſp. diſt. ſeq. ſeù conſ. Pater prius natura vellet ſe ipſum, & ſic Filius, & Spiritus S. ut Deus ſunt, conc. conſ. ut Perſonæ ſunt, nego conſ. quæ reſponſio clarior euadet in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Verbum Diuinum procedat non ſolùm ex cognitione eſſentiæ Diuinæ ſed etiam ex cognitione Diuinarum proceſſionum.

NOt. Quod in hac quæſtione ſunt quatuor ſententiæ. Prima eſt Caiet. p. 1. q. 34. art. 3. & 4. dicentis, Verbum procedere non ſolùm ex cognitione eſſentiæ, & omnium attributorum, ſed etiam ex cognitione, non quidem intuitiua, ſed quaſi abſtractiua Verbi, & Spiritus S. Secunda eſt Vaſquez p. 1. diſp. 142. cap. 3. & 4. qui exiſtimat, Verbum procedere, tanquàm ex principio per ſe requiſito ex cognitione eſſentiæ, & omnium attributorum, & ex cognitione intuitiua Patris, & Filij; cognitionem autem intuitiuam Spiritus S. & cognitionem comprehenſiuam creaturarum poſſibilium eſſe purè concomitantem. 3. eſt Bannes, Zumel, Molinæ. Ruiz de Trin. diſp. 61. ſect. 3. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 3. Valent. p. 1. q. 7. de Trin. prout refert Maurus Ieſuita Scriptor recentior t. 1. lib. 2. q. 103. quam etiam ſequitur, eamque ſic explicat. Verbum procedere tanquam ex principio quò per ſe requiſito, non ſolum ex cognitione eſſentiæ, & attributorum, ſed etiam ex cognitione intuitiua omnium D. perſonarum; & probat hac ratione. Nam Verbum procedit tanquam ex principio quò per ſe requiſito ex cognitione omnium, quę Pater dicit per Verbum; ſed Pater per Verbum dicit non ſolum eſſentiam, & attributa, ſed etiam perſonas D. creaturas poſſibiles, & omnes veritates neceſſarias; ergo Verbum procedit tanquam ex principio quo &c. mai. prob. Nam Verbum procedit tanquam ex principio quo per ſe requiſito ex cognitione, qua Pater conſtituitur proximè

potens producere Verbum; ſed Pater conſtituitur talis per cognitionem, qua ſcit omnia, quæ debet dicere per Verb. ergo &c. min. patet; quia Verbum D. non eſt Verbum imperfectum, & inadæquatum, ſed perfectum, & adæquatum omnium, quæ Pater ſcit, ergo Pater non ſolùm dicit eſſentiam per Verbum, ſed etiam perſonas D. & cætera omnia. Quod ſi quis dicat. In eo ſigno, in quo procedit Verbum, non intelligitur ipſum Verbum; & tanto minus Spiritus S. ſupponitur exiſtere, ſed in eo ſigno, in quo obiectum cognoſcitur intuitiuè, intelligitur, & ſupponitur tale obiectum exiſtere: ergo in eo ſigno, in quo procedit Verbum, non intelligitur Pater cognoſcere intuitiuè.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. In eo ſigno, in quo obiectum cognoſcitur intuitiuè cognitione, quæ ſit imago talis obiecti, obiectum intelligitur, & ſupponitur exiſtere conc. Si cognoſcatur cognitione, quæ non ſit imago, ſed exemplar obiecti; obiectum ſupponitur exiſtere neg. mai. Cognitio namquè intuitiua, quæ eſt imago obiecti videt obiectum, ut exiſtens in ſigno priori ad cognitionem; at cognitio intuitiua, quæ eſt exemplar obiecti, videt obiectum ut exiſtens in ſigno poſteriori ad cognitionem; nam Pater videt Filium, & Spiritum S. exiſtere pro eo ſigno obiectiuo, pro quo verè exiſtunt, quod tamen ſignum eſt poſterius ſigno ipſius cognitionis, ita P. Maurus. Si inſtes, ergo Filius, & Spiritus S. procedunt ex ſe ipſis, negat conſeq. quia ſolum quod procedit à cognitione intuitiua alicuius obiecti, ut exiſtentis, quæ cognitio ſit imago talis obiecti ab ipſo procedens, eo ipſo procedit mediatè à tali obiecto, ut exiſtente; ſecùs autem ſi talis cognitio non ſit imago &c.

Quarta, & ultima opinio eſt Scoti; quem ſic intellexit Caiet. p. 1. q. 34. art. 3. Docuit Scotus, nec Verbum procedere ex ſcientia perſonarum D. & creaturarum poſſibilium, nec Spiritum S. ex amore earundem, tanquam ex principio, ſed ex ſcientia, & amore ſolius eſſentiæ, ut perfectæ per omnia attributa; ut potè, quæ ſpectant ad perfectionem eſſentiæ: Perſonas autem, & creaturas poſſibiles ſub eandem ſcientiam, ſeu amorem cadere neceſſariò, ſed ſolum concomitanter, ita colligitur ex ijs, quæ Doctor

ctor habet in 1. d. 2. q. 2. & diſt. 32. q. 2. & in 2. d. 1. q. 10.

Verum Scotiſtæ mentem Doctoris diligenter inueſtigando circa hanc difficultatem, quæ ab Herincx tom. 1. diſp. 2. q. 7. de proceſſionibus D. appellatur difficultas ſatis intricata, diſcordant inter ſe. Etenim quidam ut Baſſolius, Tatar. Viger. & Brancaſius à Maſtrio relati tom. 1. diſp. 7. de Trinit. q. 2. aſſerunt, Scotum docuiſſe Patrem in primo ſigno originis non cognoſcere, neque velle Filium formaliter, ſed virtute, eò quod cognoſcat, ac velit eſsentiam ſuam, cuius fæcunditas eſt radix Filiationis, & ſpirationis, vel Scotum modo dubitatiuo loqui, ut colligitur ex illis verbis. Aliter poſſet dici, quæ habet in 1. d. 11. q. un. ad argumenta principalia reſpondendo in fine. Quem ſenſum amplectitur, & explicat Cauellus in Scholio de voluntate antecedente non terminata ad ipſum Verbum, ſed ad eſsentiam, aut certè ob alia loca in ſpecie oppoſita Scotus eſt dubius, ut etiam ſentit Herincx: quamuis Maſtrius, quaſi eius mens eſset Scoti mens, negligat hunc ultimum ſenſum, velut veterum Scotiſtarum conſuetum effugium; nam adducta explicatione Baſſolis Scoti diſcipuli, Tatar. & Viger. dicentium Scotum modo dubitatiuo loqui; ait Maſtrius, ac ſi eſset omnium Scotiſtarum Magiſter; ſed ad conſuetum eorum effugium recurrunt ita loc. cit. art. 1. n. 61. ubi cum Smyſing. Fauent. Scherio, & alijs oppoſitum de mente Scoti ſuſtinet. Itaque ex dictis liquet arbitrarium eſse in via Scoti, qui vel dubius, vel problematicus in hac quæſtlone cenſetur fuiſse, unam, vel altetam opinionem ſequi. Quarè cum verior mihi appareat ſententia negatiua, nempè proceſſiones D. non cognoſci formaliter in primo ſigno, quo Pater producit Filium, ſed tantum radicaliter, ſeù virtualiter; ideòque ſit.

I. Conc. Proceſſionibus D. etiam comprehenſa generatione actiua, præſupponitur notitia, ſeu cognitio intuitiua ſolius eſſentiæ D. & idem pari ratione de amore, ſeu Spiritu Sancto. Prob. In priori ſigno ante omnes proceſſiones ſola eſsentia præſupponitur, ut obiectum cognoſcibile; non enim Pater præſupponitur generationi actiuæ, per quam conſtituitur Pater in eſse Patris; ergo productio Verbi, & Spiritus Sancti non præcognoſcuntur; undè D. Auguſt. lib. 4. ſuper Gen. ad lit. cap. 32. ait. *Nequè*

enim

enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda praecedant: & infrà. *Niſi enim prius ſit, quod cognoſcitur, cognoſci non poteſt*.

Confirmatur. Si Verbum procederet à cognitione intuitiua ſui ipſius, & Spiritus S. procederet etiam à ſe ipſo, & à Spiritu Sancto, quod eſt abſurdum; & idem de Spiritu S. eſt dicendum. Prob. ſeq. quod enim procedit à cognitione intuitiua alicuius obiecti, ut exiſtentis, eo ipſo procedit mediatè à tali obiecto, ut exiſtente, ergo &c.

Prob. etiam ex Rada ſic. Perſonæ D. in ſe ipſis non præſupponuntur Verbi productioni, ergo nec cognitio earum intuitiua ad eas in ſe ipſis exiſtentes terminata: ant. eſt euidens, quia tunc Verbum D. ſibi ipſi præſupponeretur, & exiſteret ante ſui productionem. Reſp. Maſtrius loc. cit. tale argumentum apertam continere fallaciam, quia ex poſterioritate originis, & à quo infertur poſteritas durationis, & in quo: etenim ex eo quod Pater Filium, & Spiritum S. origine præcedit, infertur illum, ut origine priorem non poſſe intueri ut in ſe ipſis exiſtentes Filium, & Spiritum S. origine poſteriores: quo diſcurſu apertè ſupponitur, Filium, & Spiritum S. non exiſtere in eo ſigno, quo exiſtit Pater, & hoc quia Pater illis duabus Perſonis eſt origine prior, quæ ſuppoſitio eſt omninò falſa.

At vereor, ne fallatur Maſtrius; non enim loquitur Rada, meo videri, de poſterioritate durationis, ſed de prioritate, & poſterioritate originis. Siquidem in eo ſigno, quo Pater prius origine intelligitur producere Filium, non adhuc intelligitur Filius; & tantò minus Spiritus S. quia ſicut tanquam obiectum primarium præſupponitur eſſentia cognita cognitione intuitiua, ſic in eodem ſigno cognoſcerentur Filius, & Spiritus S. ergo argumentum non continet apertam fallaciam, ſed potius reſponſio Maſtrij videtur inuoluere contradictoria. Quod confirmo diſcurſu Herincx loc.cit. qui reſpondens ad ſimilem tacitam obiectionem ſic loquitur: Nec ſatisfacit, quod alij reſpondent ad notitiam intuitiuam [qualis indubiè debet eſſe notitia D. Perſonarum] ſufficere, quod perſonæ omnes ſint præſentes eidem inſtanti reali, ſeu durationis; & ſi pro poſteriori ſigno originis; eo quod ſigna hæc non ſint ſigna, in quibus res ſint, inuoluentia, ſcilicet differentias præſentis, præteriti, & futuri, ſed ſint ſolum ſigna à quibus,

 ſeu

ſeu emanationes unius ab altero, quæ conſiſtunt cum ſimultate, tum temporis, tum naturæ. Non ſatisfacit, inquam, quia notitiæ intuitiuæ Perſonarum deberet exiſtentia, & præſentia earundem inſuper præſupponi, prout tamen non præſupponitur ob poſterioritatem originis. Deindè pari facilitate dici poſſet, etiam creaturas poſſibiles prius ratione cognoſcibiles, adeoque cognitas eſſe. Denique difficile tunc apparet, cur Deus videre nequeat æterna ſua Decreta prius ratione, quàm aliquid decernat, prout plerique nobiſcum putant, Deum videre non poſse. Hactenus Herincx.

II. Conc. Generationi paſſiuæ Verbi præſupponitur ſalte origine notitia Patris; non autem cæterarum Perſonarum: proceſſioni verò Spiritus S. præſupponitur cognitio utriuſque ſpirantis, nempè Patris, & Filij. Hæc, ut notat Herincx eſt conformis menti Doctoris, & colligitur ex pluribus locis, & preſertim ex quol. 14. Prob. 1. pars. Etenim generationi Verbi præſupponitur prioritatè originis Pater completè exiſtens, ac proindè pro iſto priori ſigno eſt cognoſcibilis, & conſequenter cognitus; at Verbum, & Spiritus S. pro iſto ſigno nec dum ſupponuntur eſſe, adeòque nec videri. Similiter ſecunda pars probatur. Quia Pater, & Filius ſunt origine priores proceſſione Spiritus S. & præſupponuntur ſpirationi actiuæ, ergo pro iſto priori poſſunt cognoſci, non autem Spiritus S. qui nec dum ſupponitur; ergo &c.

Arg. contra 1. conc. Intellectus paternus in illo primo ſigno perfectiſſimè comprehendit D. eſſentiam, & conſequenter intelligit quicquid eſt ibi ex natura rei, ſed ibi ex natura rei eſt duplex fæcunditas, nempè memoria, & voluntas fæcunda; ergo pariter debet videre Perſonas, quibus eſt communicabilis, cum implicet videre communicabilitatem, non viſis terminis. Reſp. cum Scotiſtis noſtram conc. defendentibus conc. mai. & diſt. min. eſt duplex fæcunditas; ac proindè communicabilis hac duplici fæcunditate, nempè generationis, & ſpirationis, neg. min. abſolutè communicabilem, ſeu radicalem, conc. min.

Contrà. Videns fæcunditatem potentiæ, debet videre modum talis fecunditatis, alioquin non perfectè, nec diſtinctè comprehenderet talem fæcunditatem, ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. ant. Nàm pro illo ſigno intelligitur ſolùm videre eſſentiam D. fæcundam, & communicabilem fundamentaliter, ſeu radicaliter.

Contrà. Implicat videre aliquid, ut communicabile, & non videre, cui ſit communicandum, & modum talis communicabilitatis; aliàs eſſet videre confusè, quod dicit imperfectionem in Deo, ergo debet videre diſtinctè id, cui eſt communicabile; ſed relatio non cognoſcitur diſtinctè, niſi cognitis terminis; quia aliter cognoſceretur, ut quid ad ſe, & abſolutè, ergo &c. Reſp. neg. ſuppoſitum; nàm in ſententia noſtra omnipotentia poteſt (ut dictum eſt in diſp. de omnipotentia, & dicemus infrà ſoluendo Thomiſtarum argumentum, quo nituntur probare, Verbum produci ex cognitione creaturarum, cum cognoſcatur omnipotentia, quæ reſpectum tranſcendentalem dicit ad omnes creaturas factibiles) abſolutè videri prout importat in Deo attributum, velut perfectionem abſolutam, abſque eo quod attingatur omnipotentia, prout dicit reſpectum ad omne poſſibile; ac proindè eadem diſtinctione ſoluitur obiectio de fæcunditate D. eſſentiæ.

Arg. 2. Verbum D. ſecundùm ſuum conceptum formalem, & primarium eſt Verbum, quo Pater adæquatè, & comprehenſiuè dicit eſſentiam: ergo procedit per ſe ex cognitione adæquata, & comprehenſiua D. eſſentiæ; ſed talis cognitio includit cognitionem adæquatam, & comprehenſiuam attributorum, Perſonarum, & etiam poſſibilium; ergo Verbum ſecundum ſuum conceptum primarium per ſe procedit ex cognitione adæquata.

Prob. ant. aſſumptum. Eſſentia D. per ſe ipſam eſt adæquata ratio attributorum, & perſonalitatum, ergo nequit comprehendi, quin cognoſcatur, quod eſt adæquata ratio omnium horum. Reſp. conc. antec. & conc. pariter conſeq. ad min. ſed talis cognitio &c. diſting. vel formaliter, vel radicaliter conc. formaliter quo ad perſonalitates, nego min. & ſic pariter reſp. ad probat. eſſentia eſt adæquata ratio, vel formaliter, vel radicaliter conc. formaliter quo ad omnia, neg. ant. quia in eo ſigno non oportet, quod videantur ab intellectu paterno perſonalitates, & maximè, quia ſe habent quaſi tanquam obiectum ſecundarium.

Quarè Scot. in 1. d. 10. q. un. in ſolutione ad ultimum principale arg. dupliciter reſpondet: prima reſponſio eſt talis, & fauet apertè noſtræ conc. Sicut v. g. ſi mihi offertur aliquod bonum honeſtum ad hoc, ut illud diligam, oportet illud bonum eſſe mihi præcognitum, non tamen eſt neceſſarium, quod dilectio, qua debet illud diligere, ſit mihi præcognita; quo exemplo adducto, reſpondet; quod licèt Eſſentia D. ad hoc quod Spiritus S. producatur, debeat præcognoſci à Patre, & Filio, quia habet rationem obiecti voliti, non tamen eſt neceſſe, quod actus productionis Spiritus S. ſit præcognitus à voluntate.

Reſp. 2. Aliter poteſt dici, quod Pater, & Filius priùs origine, quam producatur Spiritus S. videt eum intuitiuè, licèt non exiſtentem in ſe &c. Inter has duas reſp. Vigerius exiſtimat, priorem eſſe meliorem, quia Spiritus S. non continetur eminenter in eſſentia D. cum talis continentia dicat imperfectionem ex parte contenti; undè nullum ad intra ſic continetur; Paulus autem Scriptor cenſet ſecundam reſponſionem eſſe meliorem, quam tenet etiam Lychet. & ſequitur Bargius. Hinc patet, Scot. modo unam, modo alteram opinionem tenuiſſe &c.

Cæterum ſupereſt reſpondere ad fundamentum tertiæ ſententiæ, ſuperius relatæ; quod principaliter mihi videtur conſiſtere in illa diſtinctione de cognitione, ut eſt imago, & de cognitione, ut eſt exemplar; quæ quidem doctrina non apparet, poſſe ſubſiſtere. Ratio; quia in Deo non ſunt admittendæ Ideæ perſonarum, quæ licet ſint verè producibiles, non tamen factibiles; cum Pater D. non ſe habeat in ordine ad productiones ad intra inſtar artificis, cuius eſt reſpicere ideas, ſeù exemplaria, quæ ſunt in eius mente; & illis mediantibus ad opus factibile dirigi. Tum quia idea, ſeù exemplar habet rationem cauſæ exemplaris reſpectu ideati; diuina autem eſſentia non eſt cauſa Filij, & Spiritus S. Tum deniquè; quia ſicut homo non generat exemplariter alium hominem, & ſi illum cognoſceret, eo quod cognitio illa impertinenter ſe habet ad generationem; ſic perſonæ D. non procedunt ſecundùm principium repræſentatiuum, ſed ſecundùm principium fæcundum, ſeu ex naturali fæcunditate D. eſſentiæ.

QVÆ-

Vtrum concedendæ ſint huiuſmodi propoſitiones; Deus genuit Deum: Deus genuit alium Deum: Deus generat Deum pro Patre generante, & Deus non generat Deum pro Filio non generante.

NOt. 1. Quod in diuinis triplex eſt modus vocabulorum. Primo, quædam important diſtinctionem tantum. 2. quædam important omnimodam unionem. 3. quędam ſe habent medio modo. Prima vocabula non recipiuntur reſpectu nominum communium, quia perſonæ licèt ſint diſtinctæ, tamen ſunt unum in Deitate. Vnde non recipiunt nomina, vel vocabula importantia diſtinctionem, ideoque iſtæ non conceduntur: Deus diſtinguitur à Deo, vel Deus genuit alium Deum. Secunda vocabula pariter non admittuntur, quando ponuntur cum nomine diſtinctionis, undè hæc non conceditur: Deus genuit ſe Deum, vel Deus genuit ſe, & huiuſmodi. Tertia autem, quæ medio modo ſe habent, quia ſignificant diſtinctionem, & unionem, ſicut hæc: Verbum generatur à Deo, vel Deus generat Deum, vel Deus generatur à Deo, quia dicit diſtinctionem in perſona cum unitate in eſſentia admittuntur. Similiter hæc conceditur: *Pater generat alterum ſe*; iſtam enim ponit D. Aug. ad Maximin. *Pater mittens Filium miſit alterum ſe*, admittitur pariter à D. Aug. ſuper Ioan. hæc ex D. Bonau.

Not. 2. ex eodem D. Bonau. in 1. d. 4. q. 1. & 2. quod quatuor regulæ logicales traduntur pro intelligentia ſupradictarum propoſitionum, & etiam aliarum. 1. regula eſt, quod nomen abſtractum imponitur formæ à forma, puta albedo imponitur à forma albedinis, ſed nomen concretum imponitur à forma, non tamen formæ, ſed ſuppoſito, puta album ab albedine imponitur homini albo. Vndè ad propoſitum; eo quod Deus eſt terminus concretus à Deitate impoſitus perſonæ, ſiuè ſuppoſito, ideò reddit propoſitionem veram pro perſona, non pro forma Deitatis; cum dicitur: Deus generat Deum. Nomina autem hæc, videlicet eſsentia, Deitas cum ſignificent formam Deita-

tis, & pro illa ſupponant, & non pro perſona, ideò hæc eſt falſa: eſſentia generat eſsentiam, vel Deitas generat Deitatem, quia generatio non eſt formæ, ſed ſuppoſiti ex Ariſt. 2. de Anima. Regula 2. eſt, quod terminus habens plura ſuppoſita ſine diſtributione poſitus, ſtat determinatè pro illo, de quo verificatur ut cum dicitur homo currit, verificatur pro currente, & ex hac regula patet, quod in hac propoſitione: Deus generat Deum, verificatur pro perſona Patris; nam ly Deus ſtat pro Patre, & non pro Filio, & Spiritu S. Regula 3. eſt, quod termino habenti formam, non multiplicabilem ſine termino ſingulari, idem eſt proponere, vel poſt ponere negationem. Vndè tantum valet reuerà dicere. Petrus non currit; ſicut non Petrus currit; & hæc regula habetur in 2. Perhierm. Vndè patet, quod idem eſt dicere. Deus non generat, ac dicere non Deus generat Deum; eo quia Deus eſt terminus habens formam non multiplicabilem. Ratio autem aſſignatur à Scoto, ut refert Pelbart. in Roſar. t. 1. verb. generatio. Quia iuxtà Sophiſtas, iſta negatio non negat diſtributiuè, ac proindè ſenſus eſt. Non Deus generat Deum, ideſt. Nullus Deus generat Deum, & per conſ. nec Deus Pater, quod eſt falſum. Itaque clarè patet, quod Deus generat Deum, eſt vera, quia ſtat pro Patre ly Deus: falſa autem hæc, non Deus generat Deum, & iſta pariter eſt falſa. Deus non generat Deum. Regula 4. eſt, quod relatiuum refert antecedens ſub eodem modo ſupponendi, ſub quo antecedens præceſſit ipſum relatiuum, niſi faciat relationem ſimplicem. Vnde ſi arguatur ſic. Deus genuit Deum, aut ergo Deum, qui eſt Pater, aut Deum, qui non eſt Pater: Si Deum, qui non eſt Pater, ſequitur, quod Deus non eſt Pater, ergo nec generat. Reſp. quod non valet argumentum, quia dicendo: Deus genuit Deum, ly Deum ſupponit pro Filio; & ſic iuxta regulam iſtam, relatiuum, qui, debet referre pro Filio, & ità ſenſus eſt. Deus genuit Deum; qui Deus genitus, aut eſt Pater, aut non; ſed certum eſt, quod non, ergo ſtat pro Filio. Cum autem infertur, ergo Deus non eſt Pater, mutatur ſuppoſitio, & non valet, quia eſt ibi fallacia dictionis. Hæc D. Bonau. loc. cit.

I. Conc. Hæc propoſitio, Deus genuit Deum, ſalua eſ-

ſentiæ unitate recipitur, & conceditur tàm à Sanctis, quàm à Magiſtris, & ſignanter à S. Bonau. & à Scoto, nec non à D.Thoma. Vnde canitur in Symbolo. *Deum de Deo, lumen de lumine &c.* Ratio, quia terminus in concreto ſtat pro ſuppoſito, vel pro ſuppoſitis reſpectu actus, qui eſt ſuppoſitum, vel ſuppoſitis competit, ut dicendo homo currit; ſed ſic eſt in propoſito, quia Deus in concreto ſtat pro ſuppoſito, vel ſignificat ſuppoſitum, ideſt Deum Patrem reſpectu actus perſonalis; generare enim eſt actus perſonalis, qui competit Patri, ergo ſicut hæc eſt vera, Deus Pater genuit Deum Filium, ſic iſta Deus genuit Deum; ità Scot. in primo.

II. Concl. Iſta propoſitio, Deus genuit alium Deum eſt falſa de virtute ſermonis, ac proinde non admittitur ratio, quia ly alius eſt ibi adiectiuum cadens ſuper Deum; & ſic ſignificat alietatem in Diuinitate, ſed Diuinitas, vel Deitas eſt unica in Trinitate, & nullo modo plurificabilis; ergo non eſt admittenda talis propoſitio, quæ ſignificat alietatem naturæ D.

Confirmatur, quia ſicut nequit dici alium ens, nec alia entitas, ita nec alius Deus, nec alia Deitas: undè D.Thom. docet, quòd illud eſt ſimpliceter negandum apud fideles; quo conceſſo ſequeretur plures eſſe Deós, vel idem generaſſe ſe ipſum, quorum utrumque eſt impoſſibile: ſed ſic ſe habet hæc propoſitio, Deus genuit alium Deum: ergo &c.

Cæterùm quid ſit dicendum de alijs duabus propoſitionibus, nempe Deus generat Deum pro Patre generante, & Deus non generat Deum pro Filio non generante, clarè conſtat ex tertia regula ſuperiùs aſſignata.

Arg. contra 1. conc. Hæc propoſitio, Deus genuit Deum, ſi eſt vera; vel genuit alium Deum, vel genuit ſe ipſum: non ſecundum quia Auguſt. 1. de Trinit. ait quòd nihil gignit ſe ipſum; ergo primum, ergo ſi genuit alium Deum, erunt plures Dij, quod eſt falſum: ergo &c.

Reſp. ex Scoto, quod quando dicitur: aut genuit ſe Deum, aut alium Deum, neutra pars eſt concedenda, cum utrumque ſit impoſſibile. Si dicatur quærendo, aut genuit eundem Deum, aut alium Deum, tunc unum, vel alterum dandum eſt, quia ex Ariſt. 4. metaph. cum idem, & diuerſum diuidant ens omne immediatè, reducuntur ad contradictoria: ergo &c.

 Reſp.

Reſp. Scotellus cum Scoto; concedi poſſe, quod genuit eundem Deum, quia genuit Filium, qui eſt idem Deus: At non benè infertur, ergo genuit ſe Deum; immò ſic inferendo committitur fallacia dictionis, quia commutatur quale quid in hoc aliquid, nàm cum dicitur genuit eundem Deum, nulla eſt ibi reciprocatio, cum autem dicitur: genuit ſe Deum, ibi eſt reciprocatio, nàm prima propoſitio affirmat genuiſſe eundem in Deitate. 2. verò importat eundem in eſſentia, & in ratione ſuppoſiti, ac proinde eſt fallacia conſequentis, & figuræ dictionis.

Arg. hæc propoſitio: Deus Pater genuit alium, admittitur à Doctoribus; aut ergo alium Deum, aut alium non Deum: ſed conſtat, quod non genuit alium non Deum, ergo genuit alium Deum.

Reſp. D. Bonau. loc. cit. quod in illa mai. non eſt ſufficiens diuiſio per contradictoria; nam ad hoc, quod ſit vera contradictio oportet, quod negatio cadat ſupra totum, dicendo ſic. Aut genuit alium Deum, aut non alium Deum; undè dicit Scotus. Si dicatur lapis eſt lignum album, vel lapis eſt lignum non album, utraque eſt falſa, nec eſt contradictio; ſic in propoſito, iſtæ ſunt falſæ, Deus genuit alium Deum, vel Deus genuit alium non Deum, ob rationem aſſignatam.

Contra. Deus Pater genuit alium, & Deus Pater genuit Deum, ergo genuit alium Deum.

Reſp. D. Banau. quod non valet, nam eſt fallacia accidentis, ſicut dicendo. Eſt bonus, & eſt Citharedus, ergo eſt bonus Citharedus, eſt fallacia accidentis ſecundum Ariſt. 2. Elench. Quando id, quod diſſimiliter ineſt, aſſignatur, ſimiliter in eſſe rei ſubiectæ, & accidenti eius, ſicut eſt in propoſito; Deitas enim, & alietas diſſimiliter ſunt in Deo, quia Deitas ſecundùm eſsentiam: alietas ſecundùm perſonam. Plura alia eſſent in hac materia aduertenda; at remittenda merito ſunt ad quæſtionem, in qua agetur de modo loquendi in ijs, quæ ſpectant ad inæffabile myſterium Trinitatis, quæ erit ultima huius 1. part.

DIS-

De perſona Filij,

QVÆSTIO I.

Vtrum nomen Filij, & nomen Verbi ſint nomina propria ſecundæ Perſonæ Diuinæ.

NOt. 1. Quod nomina, quæ perſonis D. conueniunt, alia ſunt propria, alia appropriata. Propria ſunt, quæ ità competunt uni perſonæ, ut alteri conuenire non poſſint; ſic ſe habent reſpectu primæ perſonæ nomina Patris, ingeniti; reſpectu ſecundæ perſonæ, Filius, Verbum, & imago; reſpectu tertiæ perſonæ Spiritus, & amor. Nomina autem appropriata ſunt illa, quæ licet omnibus tribus perſonis conueniant, tamen alicui earum præcipuè approprientur, ob ſpecialem eius rationem producendi, aut procedendi. Sic potentia appropriatur Patri, eo quia habet à ſe, & per ſe voluntatem, quæ eſt principium productionum ad intra, & ad extra; ſic ſapientia appropriatur Filio propter modum procedendi, procedit enim per intellectum; ſic tandem bonitas appropriatur Spiritui S. quia producitur per voluntatem, in qua reſidet bonitas; & quicquid habet rationem bonitatis.

Not. 2. Quod nomen Filij dupliciter ſumitur, nimirùm latè, & propriè, primo modo dicitur Filius per adoptionem, ſic Iuſti vocantur Filij Dei: 2. modo dicitur Filius per naturam. Filius autem per naturam adhuc poteſt dupliciter ſumi propriè, & impropriè. Impropriè ſumitur pro quocunque ente ab alio producto, & in hoc ſenſu homines, & Angeli dici poſſunt Filij Dei; propriè autem ſumitur pro producto à viuente ſimili in natura, ſaltem ſpecifica, ſic homo productus ab homine dicitur filius eius. Quoniam verò ex hac definitione ſequeretur, quod Equus eſſet filius, quatenus productus ab Equo, ideò addendum eſt, quod proprijſſimè Filius ſumatur pro producto in natura intellectuali, & per hanc particulam excluduntur à ratione Filij bruta à brutis producta. Vnde cum Deus ſit natura intellectualis, Perſona producta dicitur

Fi-

Filius Perſonæ producentis, in humanis pariter eſt eadem ratio Filij.

Not. 3. Quod inter alios hæreticos D. Verbum negantes recenſentur Alogiani, qui admittebant tantum Verbum per metaphoram, non verò ſecundum eſſe reale, & proprium D. Perſonæ. Ideòque dicti ſunt Alogiani, ideſt ſine Verbo. Vnde aſſerebant Verbum eſſe excellentem creaturam, quæ ob eximiam ſapientiam ſibi communicatam, dicta fuit Verbum; ſicut Io: Baptiſta appellatus fuit Vox: In eadem ſententia erant Ariani. Cæterùm Durandus in 1. d.27. q.3. putat, nomen Verbi eſſe eſſentiale, ſed appropriatum Filio, ſicut nomen ſapientiæ, & hoc dicit, quia opinabatur Filium non procedere à Patre per intellectum, ſed per naturæ fœcunditatem; ſed quicquid dicat Durandus, cuius opinio non recipitur à Theologis, nihil refert.

Not. 4. Quod præter ea, quæ alibi tradita ſunt ad cognitionem Verbi D. oportet obſeruare, quod hoc vocabulum, Verbum in Diuinis denotat duplicem reſpectum. Primò, & principaliter ſignificat relationem expreſſi ad exprimentem; & talis reſpectus eſt realis, ideoque dicitur proprietas Filij. Secundò connotat reſpectum declaratiui ad declarata, ideſt ſignificat reſpectum notitiæ ad illa, quæ per eam cognoſcuntur, ſiue illa ſint Diuina, ſiue creata; nam Verbum D. declarat ipſas Perſonas Trinitatis, eſſentiam D. & creaturas. Vndè D. Auguſt. ait, quod Verbum declarat ſe; & iſte eſt reſpectus rationis, idem enim habere poteſt rationem declaratiui reſpectu ſui ipſius; omnis autem reſpectus, qui eſt ad ſe ipſum, eſt rationis: & licet Verbum connotet reſpectum ad creaturas; tamen ille reſpectus non eſt proprietas perſonalis, nec includitur in perſonali proprietate Filij, cum ſit reſpectus rationis; immò omnis reſpectus in Diuinis ad creaturas eſt communis tribus Perſonis, ſed aliqua appropriantur Filio propter modum ſuæ emanationis; ut hic reſpectus, quem dicit Verbum: deindè etiam reſpectus, quem dicit ars ad artificiatum, hinc Auguſt. dicit. *Verbum eſt ars omnipotentis Dei plenum omnium rationum viuentium*. Inſuper aduerte, quod Verbum creatum diffinitiuè eſt actualis notitia ex Scoto; non autem Verbum D. notitia enim ſibi conuenit

uenit in 2. modo dicendi per ſe. Item Filius, & Verbum eandem relationem per ſe ſignificant, & differunt tantùm connotatiuè; Filius enim connotat naturam viuentem in communi; Verbum verò notitiam actualem, & expreſſam. Vndè Verbum non eſt actualis notitia per proprietatem, ſed per appropriationem, eò quia Verbum ex modo ſuæ emanationis procedit ab intellectu ad modum notitiæ actualis.

I. Conc. Nomen Filij eſt proprium ſecundæ Perſonæ; Hæc habetur expreſsè in Sac. Scrip. nàm pſalm. 2. dicitur. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Matt. c. 18. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* & plura alia, quæ ad probandam Filij generationem relata, & adducta ſunt ſuperiùs, faciunt ad probandam iſtam concluſionem. Etenim cum procedat ſecunda Perſona à prima in ſimilitudinem naturæ, habet eſse per generationem; & quia eſt per generationem eſt Filius, ergo &c.

II. Conc. Nomen Verbi eſt proprium ſecundæ Perſonæ. Sic Sac. Script. Io. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Verbum caro factum eſt*: In epiſt. pariter S. Io. c. 4. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritum S.* Ratio eſt, quia quicquid producitur per memoriam fæcundam eſt propriè Verbum: ſed ſecunda Perſona ita producitur, ergo nomen Verbi illi propriè conuenit. Accedit etiam auctoritas tàm Ss. PP. quam Conciliorum, ut videre eſt apud Doctores.

Arg. contra 2. conc. auct. D. Aug. 9. de Trin. c. 10. ubi docet, quod Verbum eſt cum amore notitia; ſed hæc ſunt eſſentialia, & communia tribus, ergo Verbi nomen non eſt proprium perſonæ ſecundæ. Reſp. D. Aug. loqui de Verbo noſtro; quod ſi contendas loqui etiam de Diuino; reſp. Aug. de notitia ingenita loqui; non de genita.

Contra. Pater intelligit ipſas res, ac ipſemet Filius; ergo eius notitia dicetur Verbum, ſed talis notitia eſt ipſe Pater, ergo Pater erit Verbum Filius.

Reſp. conc. ant. & neg. conſeq. Ratio eſt, quia non quæuis notitia Dei dicitur Verbum, ſed tantum illa, quæ eſt genita, & à generante realiter diſtincta; notitia autem Patris, cum ſit eſſentialis, & ingenita eſt identificata ipſi Patri, & ceteris D. perſonis.

Con-

Contra. Filiatio eſt proprietas conſtitutiua ſecundæ perſonæ ex Aug. lib. de fide ad Petrum cap. 2. ergo Verbum non poteſt eſſe proprietas eiuſdem, quia unius conſtituti eſt unum formale conſtitutiuum.

Reſp. diſting. ant. Filiatio eſt proprietas diſtincta, vel realiter, vel formaliter à proprietate Verbi, nego: connotatiuè concedo. Itaque eadem perſona D. dicitur Filius, & Vebum, quatenùs diuerſa connotat, ut ſupra notauimus. Vndè D. Aug. 7. de Trinit. c. 4. *Eò Verbum, quò Filius, & vtrumque relatiuè dicitur.*

QVÆSTIO II.

Vtrum nomen imaginis ſoli ſecundæ perſonæ D. conueniat.

NOt. Quod imago ſumi poteſt aliquando impropriè, & ſic dicitur exemplar ad cuius ſimilitudinem aliquid producitur, ſicut Auguſt. dicit lib. de fide ad Petrum. Quod Trinitas D eſt imago, ad quam factus eſt homo. Imago autem propriè ſic deſcribitur: eſt ſimilitudo totalis producta, ſeù expreſſa ad imitationem producentis. Dicitur ſimilitudo loco generis; nam ſecundum D. Auguſt. Omnis imago eſt ſimilitudo, ſed non è contra, ouum enim eſt ſimile ouo, non tamen eſt imago. Dicitur totalis ad differentiam veſtigij, nàm veſtigium repræſentat ſolùm partem, ut veſtigium pedis, vel manus; imago totum. Dicitur producta; & ideò excluditur Pater à ratione imaginis ipſius Filij; non enim Pater eſt productus. Ponitur denique ad imitationem producentis, ut indicetur quod producens intendat producere ſibi ſimilem. Vndè ignis productus ab alio igne, canis ab alio cane non dicuntur imago; quia neque ignis, neque canis intendunt producere ſibi ſimilem, cum neutrum ſit agens intentionale; eſtò ex ordine naturæ ad hoc propendant. Quoniam verò ſimilitudo eſt triplex, nempè obiectiua, exemplaris, & naturalis; ideò triplex eſt imagò. 1. dicitur intentionalis, & eſt ſpecies ab obiecto deducta, in ſenſu, vel in intellectu recepta, quæ repreſentat obiectum; vndè ſpecies vocantur imagines rerum. 2. dicitur artificialis, & eſt ſimilitu-

litudo alicuius artificiati facta ad imitandum exemplar. Sic imago Cæſaris ad Cæſarem repreſentandum. 3. dicitur naturalis, quæ eſt ſimilitudo producti naturaliter ad ſuum producens in identitate naturæ, ſiuè ſpecifica, ut in humanis, ſiue numerica, ut in Diuinis, & ſic Filius eſt imago naturalis Patris, quia eſt productus per modum naturæ, & ex modo ſuæ productionis ſimilis eſt Patri producenti; quod à Græcis non exigebatur ad rationem imaginis, ideoque apud ipſos benè dicitur Spiritus S. imago, non autem apud Latinos, ut benè aduertit Nyſe q. 4. de perſona Filij &c.

Concl. Nomen imaginis eſt proprium ſecundæ perſonæ. Hæc expreſſè traditur à S. Scrip. ut ad Coloſ. 1. *Imago Dei inuiſibilis*: & ad Hebr. 1. *Splendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius*. Vndè Ambroſ. docet: *Solus Filius eſt plena imago Dei*: & D. Aug. habet. *Non poteſt dici Verbum de Verbo, nec imago de imagine, ſicut dicitur Deus de Deo, quia non ſimul ambo imago, ſed ſolus Filius*, ità lib. 6. de Trinit.

Prob. ratione. Solus Filius eſt ſimilitudo expreſſa ad imitationem producentis, ideſt Patris, ergo ſolus Filius eſt Patris imago. Prob. ant. Nam hoc neque Patri conuenit, cum productus non ſit; neque Spiritui S. quia non eſt productus ad imitationem Patris, & Filij; eſtòab utroque procedat per voluntatem, quæ ex ſui natura non tendit ad producendum ſibi ſimile, ut alibi oſtenſum fuit; ergo reſtat, quod ſolus Filius ſit imago, quia illi ſoli competit talis productio in ſimilitudine producentis ex natura potentiæ intellectiuæ.

Arg. 1. Si ratio imaginis conueniret Verbo; ergo eſſet ſimilis Patri; ſed hoc non apparet verum, ergo &c.

Prob. min. Quia ſi eſſet ſimilis, vel eſſet ſimilis in perſona, vel in eſſentia: non in perſona, quia ſunt diſſimiles perſonæ, nec in eſſentia, quia Pater, & Filius ſunt idem in eſſentia; & unum, & idem non eſt ſibi ſimile, ergo &c.

Reſp. Quod ſunt ſimiles in eſſentia; quæ cum ſit una, & eadem in tribus D. perſonis non tollit ſimilitudinem, ſed auget, ut declaratum fuit ſupra de relationibus communibus in Diuinis. Vnde ſi una, & eadem albedo eſſet in duobus parietibus, adhuc dicerentur ſimiles per eandem albedinem; ac proindè identitas formæ non tollit ſimilitudinem.

Arg. 2. auct. D. Damaſc. dicentis, etiam Spiritum S. eſſe imaginem, & idem tradunt etiam multi SS. Patres, ut videri poteſt apud Doctores, & ſignanter apud noſtrum Fraſſen, ergo non ſoli Filio competit &c.

Reſp. D. Damaſc. atque alios Patres nomine imaginis intellexiſſe perfectam ſimilitudinem in natura, & hæc eſt imago impropriè dicta; nam ad veram imaginem exigitur, ut ſimilitudo habeatur ex vi proceſſionis; & ſic ſolus Filius eſt propriè imago.

QVÆSTIO III.

Vtrum Verbum D. producatur ex cognitione creaturarum.

NOt. 1. Quod creaturæ omnes, & ſecundum eſſe poſſibile, & ſecundum eſſe futurum à Deo cognoſcuntur, nàm per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ intelligit, & cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, quæ tamen nunquàm producentur, & per ſcientiam viſionis cognoſcit creaturas futuras. Quarè meritò hic quærimus. An Verbum D. ante ſuam productionem præſupponat cognitionem creaturarum, tàm poſſibilium, quàm futurarum, immò & exiſtentium; eadem pariter quæſtio currit de productione Spiritus S. An ſcilicet Spiritus S. præſupponat amorem creaturarum.

Not. 2. Quod Scotus docet, dari in Diuinis duo inſtantia naturę, in quorum primo complentur omnia, quę ſunt ad intra; & in 2. omnia, quæ ſunt ad extra. Primum habet adhuc duo inſtantia in 1. complentur omnia eſſentialia, qualia ſunt intellectio, volitio; & in 2. complentur omnia notionalia, nempè generatio Verbi, & ſpiratio Spiritus S. Primo inſtanti correſpondet primum obiectum D. intellectus, hoc eſt eſſentia D. ſimul cum omnibus eſſentialibus: ſecundo inſtanti correſpondet obiectum ſecundarium, quale eſt creatura, ſiuè poſſibilis, ſiuè futura, ſiuè exiſtens, ſiuè non; quæ Doctor latè explicat in 2. diſt. 1. quæſt. 1.

Not. 3. ex Scoto quol. 8. art. 3. quod alio modo eſt neceſſarium illud, quod neceſſariò requiritur, & hoc ſiuè præexiga-

xigatur, ſiuè coexigatur ad eſſe neceſſarij à ſe; & alio modo eſt neceſſarium illud, quod ad eſſe neceſſarij conſequitur, & loc. cit. ſubdit Doct. hoc tantùm ſecundo modo eſse neceſſariam creaturam in eſse cognito, & poſſibili; nàm præexigentia dicit quandam prioritatem, coexigentia ſimultatem, conſecutio verò poſterioritatem. Vndè ad eſse Dei præexigitur eſſentia, coexigitur Perſona; creatura verò in eſse cognito, & poſſibili, neceſsariè conſequitur, & concomitatur. Hinc rectè infertur, quod longè maior eſt neceſſitas Deitatis, & Perſonæ D. quam neceſſitas creaturarum: Alioquin creaturæ eſſent æqualis neceſſitatis, ac Deitas, & Perſonæ D. quod eſt falſum.

Not. 4. Quod duæ ſunt famoſiores opiniones circa propoſitam quæſtionem. Altera Thomiſtarum, altera Scotiſtarum; Thomiſtæ enim putant Verbum D. procedere ex cognitione, nedùm eſſentiæ D. ſed etiam creaturarum, & ſic pariter Spiritum S. ſpirari ex amore creaturarum. Et quamuis in hoc Thomiſtæ conueniant, diſcrepant tamen circa cognitionem, & amorem creaturarum actualium, & futurarum. Nàm Valentia p. 1. q. 34 Zuniga diſp. 9. dub. 7. Ruiz diſp. 63, ſect. 4. Arriaga diſp. 52. ſect. volunt, Verbum nedum procedere ex cognitione omnium poſsibilium creaturarum, ſed etiam futurarum: & Spiritum S. pariter ex amore earumdem. Alij communiter tenent, Verbum non præſupponere cognitionem creaturarum actualium, ſed tantum poſſibilium; neque Spiritum Sanctum ſupponere amorem liberum creaturarum actualium ob contingentiam ex parte obiecti, à qua pendere nequeunt D. origines, cum ſint omninò neceſſariæ. Ità Caiet. p. 1. q. 34. Nazar. ibid. qui aſſerit, eſse communem opinionem Thomiſtarum. Scotiſtæ verò docent, neque Verbum D. præſupponere cognitionem creaturarum quomodocunque, ſiuè in eſse poſſibili, aut in eſse cognito, ſiue in eſse futuro, ſiue in eſse actuali. Neque pariter Spiritum S. earumdem amorem ullo modo præſupponere. Vndè ſit.

Concl. Productio Verbi D. & ſpiratio Spiritus S. non ſupponunt cognitionem, & amorem creaturarum, tàm futurarum, quàm poſſibilium, nec ex illis tanquàm ex obiectis fæcundantibus intellectum, & volantatem D. oriuntur. Hæc quoad utramque partem eſt Scoti in 1. d.

18.

18. q. un. & quol. 14. & in 2. d. 1. q. 1. quem ſequuntur omnes Scotiſtæ.

Prob. 1. à Scoto in 2. diſt. cit. Diuinus intellectus, & D. voluntas priùs terminantur ad eſsentiam D. quam ad creaturas ſub eſse poſſibili, vel futuro; ſed in illo inſtanti priori utraque potentia D. eſt fæcunda ad productionem Verbi, & Spiritus S. ergo &c. mai. patet, quia eſſentia D. eſt obiectum primarium, eſse poſsibile creaturarum eſt obiectum ſecundarium; min. pariter eſt euidens ex dictis alibi. Prob. 2. Principium productionis neceſſariæ prius eſt, quàm principium productionis contingentis: ſed principium productiuum Perſonarum D. eſt neceſſarium, creaturarum autem ſaltem futurarum eſt contingens; ergo &c. Prob. mai. Omnis productio egrediens à ſuppoſito præſupponit ſuppoſitum à quo egreditur, ſed productio creaturarum futurarum producitur à tribus D. Perſonis; ergo prǽſupponuntur Perſonæ ad earum productionem. Prob. 3. etiam quoad eſse poſſibile. Infinitum ſimpliciter non poteſt præexigere finitum, ſed potiùs è contra; ergo cognitio creaturarum non præcedit productionem Perſonarum.

Confirmatur. Nàm ſublato priori tollitur poſterius, & non è contra, ergo ablato ente finito non tollitur productio Verbi; ac proindè prius eſt productio Verbi, quàm eſse creaturarum. Prob 4. illud per ſe ad productionem Verbi, & Spiritus S. non concurrit quo ſublato, non minus illæ D. perſonæ ſubſiſterent, ſed ſi per impoſſibile non daretur creaturarum, tàm futurarum, quàm poſſibilium cognitio, & amor; non minus D. perſonæ producerentur, ergo earum productio non præſupponit notitiam, & amorem creaturarum: mai. patet: min. prob. ex D. Anſelmo in monol. c. 30 ubi ait: *Siue Deus cogitetur, nulla alia exiſtente eſſentia, ſiuè alijs exiſtentibus; neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo;* & cap. 21. *Si nihil vnquàm aliud eſſet, niſi ſummus ille Spiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſſitate eſſe;* ergo apertè docet, Verbum D. etiam ſi nulla foret poſſibilis creatura, ſubſiſtere.

Confirmatur. Etenim ridiculum, & abſurdum videtur, dicere, ideò Deum eſſe, & Verbum D. ideò procedere, quia muſca, aut formica eſt poſſibilis, ergo etiam ridiculum eſt di-

eſt dicere, quod ſi hæc, vel illa creatura, quæ poſſibilis eſt, impoſſibilis redderetur, Verbum D. intrinſecè inuariatum non maneret. Præterea. Magis neceſſarium à minus neceſſario dependere non poteſt; ſed Verbum D. eſt magis neceſſarium, quàm creatura poſſibilis; ergo Verbum D. in ſui productione à poſſibilitate creaturæ dependere non debet, ac proindè neque ex illarum cognitione procedere.

Plures reſponſiones, & variæ à diuerſis Thomiſtis adhibentur pro ſolutione noſtrarum rationum, quas omnes recitat Maſtrius in 1. diſp. 7. de Trinit. q. 2. art. 4. Vndè ego breuitatis cauſa adducam tantùm reſponſionem Suarez, & Faſſoli, & quorundam aliorum, qui intrepidè audent aſſerere, quod ſi lapis non eſſet poſſibilis, Deus non eſſet Deus, eique deeſſet aliqua intrinſeca perfectio factiua lapidis. Verùm huiuſmodi reſponſiones non videntur idoneæ; nec ſatis Diuini eſſe decorem ſaluare: Quam enim neceſſariam connexionem cum lapide, cum formica, tanquàm cum principio ſecundum eſſe intelligibile poteſt habere infinita Dei, vel Verbi D. perfectio? Quarè Lezana ad euitandum abſurdum huius aſſerti: quod ſi formica, vel lapis non eſſet, neque Verbum D. produceretur, dicit, non conſiderari Dei omnipotentiam pro reſpectu iſtius, vel illius creaturæ poſſibilis, ſed indeterminatè, & vagè, quia omnipotentia D. petit, ut aliquæ creaturæ ſint poſſibiles. Quæ reſponſio reijcitur pariter à Maſtrio n. 91. ut inſufficiens.

Reſp. Thomiſtæ ad 2. rationem deſumptam ex maiori, vel minori neceſſitate, & conſequenter de dependentia Verbi D. à creaturis, concedendo creaturas in eſſe poſſibili, eſſe minus neceſſarias; at negant, ſequi, quod Verbum D. dependeret à poſſibilitate creaturarum, ſed ſolum cum illis neceſſariò connectatur.

Contra. Eò ipſo, quod Verbum D. ità neceſſariò cum poſſibilitate creaturarum connectitur, ut ſine illis ſubſiſtere nequeat, à creaturis dipendet: ergo reſponſio ſe ipſam conuincit. Prob. ant. Illa mutuò inter ſe dependent, quæ mutuò ſe ſe inferunt, & auferunt: ſed admiſſa neceſſaria connexione inter productionem Verbi D. & poſſibilitatem creaturæ ſe ſe mutuò inferrent, & auferrent; ergo ſi

Verbum D. ſine creaturis procedere, ac ſubſiſtere non poſſit, ſequitur, quod ab illis dependet.

Confirm. maximè de creaturis futuris. Quia Verb. D. eſt ſimpliciter neceſſarium, ergo eius proceſſio eſt ſimpliciter neceſſaria; at creaturæ futuræ non ſunt neceſſariæ, ſed contingentes: potuiſſet enim Deus pro libito decernere, vel non decernere earum futuritionem: ergo &c.

Arg. 1. contra noſtram conc. Verbum D. eſt expreſſiuum omnium, quæ repræſentantur in ſcientia Dei, ergo eorum cognitionem ſupponit: ſed creaturæ omnes repreſentantur in eſſentia Dei, ergo &c. mai. Prob. auct. D. Aug. lib. 15. de Trinit. ubi ſic ait. *Nouit itaque omnia Deus Pater in ſe ipſo, nouit in Filio, ſed in ſe ipſo tanquàm in ſe ipſo, in Filio autem tamquàm in Verbo ſuo quod eſt de omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo.* Idem videtur tradere Zeno Veronenſ. ſerm. 1. de æterni Verbi generat. *Naſcitur de toto totus de perfecto perfectus, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, ergo &c.

Reſp. 1. diſting. mai. Pro illo inſtanti, quo ſunt repræſentabilia, conc. mai. inſtanti antecedenti generationem Verbi, nego mai. Vndè cum creaturæ non repræſententur in primo inſtanti, ſed in poſteriori, hinc fit, quod Verbum non procedit ex cognitione creaturarum.

Reſp. 2. diſting. min. Creaturæ ſunt in eſſentia D. virtualiter, & eminenter, conc. min. formaliter, & ſecundùm eſſe poſſibile, cognitum, & futurum, nego. Quarè eſtò creaturæ ſupponantur in eſſentia D. ſecundùm eſſe virtuale, non tamen dici poſſunt concurrere ad productionem Verbi, & Spiritus S. in ratione obiecti, quia illud eſſe virtuale nil aliud eſt, niſi ipſamet eſſentia D.

Contra. Verbum D. eſt infinitum in ratione Verbi, ergo eſt etiam infinitè repræſentatiuum omnium creaturarum poſſibilium pro quocunque inſtanti, quo eſt Verbum: ſed in illo priori inſtanti originis producitur Verbum ſub ratione formali Verbi, ergo repræſentare debet quidquid eſt repræſentabile: ſubſumo min. ſed creaturæ ſunt repræſentabiles, ergo eas exprimere debet, ac conſequenter earum cognitionem pro eo inſtanti ſuę generationis ſupponere debet.

Reſp. diſting. ſeq. mai. Debet repræſentare omne, quod eſt reprę́ſentabile pro illo inſtanti priori, quo eſt Verbum

conc.

conc. quod non dum eſt repræſentabile pro illo inſtanti, nego. Itaque cum creaturæ non ſint poſſibiles, ſeu non concipiantur poſſibiles, aut futuræ pro omni inſtanti, quo eſt Verbum formaliter, ſed tantùm pro inſtanti ſequenti proceſſiones D. ſequitur quod Verbum D. non habeat illas repræſentare niſi in inſtanti ſequenti.

Contra. Verbum ex ratione formali Verbi non poteſt repræſentare, niſi ea, à quibus procedit; ergo vel Verbum D. nullo modo repræſentat creaturas pro quolibet inſtanti poſteriori, vel ab eis procedit; ſed aſſerere, Verbum D. non repræſentare creaturas eſt apertè contra ſententiam D. Auguſt. ergo &c.

Reſp. diſting. ant. Verbum creatum ob ſuam limitationem non poteſt exprimere, niſi ea, à quibus procedit, conc. ant. Verbum D. nego: Et ratio eſt, quia cum Verbum D. habeat infinitam vim repræſentandi, exprimere poteſt quicquid eſt repræſentabile pro eo inſtanti, quo repræſentabile eſt; ideoque dicitur ſpeculum ſapientiæ cap. 7. Verbum enim D. ut ſpeculum in priori inſtanti repræſentat creaturas ſecundum eſſe virtuale, in poſteriori ſecundum eſſe formale &c. & hæc eadem doctrina militat de productione Spiritus S.

Arg. 2. Verbum D. procedit ex cognitione comprehenſiua D. eſſentiæ, & omnipotentiæ, ac proindè ex cognitione eorum omnium, ſine quibus omnipotentia comprehendi non poteſt; ſed omnipotentia comprehendi nequit non cognitis creaturis ſub ratione ſaltem poſſibilium, ergo &c. mai. patet, & min. etiam eſt euidens, quia virtus cauſæ comprehendi non poteſt, niſi cognoſcantur omnes effectus, quos talis cauſa producere valet,

Reſp. diſting. mai. Procedit ex cognitione comprehenſiua intenſiua, hoc eſt infinita, & adequata obiecto infinito per ſe mouenti &c. conc. cognitione extenſiua, nego. Non enim pro illo priori inſtanti, quo producitur Verbum terminari habet cognitio ad obiecta ſecundaria ſecundum eſſe formale, ſed tantùm virtuale. Ad illud de omnipotentia; dicendum, quod non neceſſariò exigitur, quod cognoſcantur formaliter, & actu omnes effectus, ad quos ſe extendi poteſt, ſed ſufficit, quod cognoſcantur virtualiter, ſeu habitualiter, & ità in illo priori inſtanti

originis, quo Pater producit Filium, etiam cognoſcit omnipotentiam ſuam eſſe infinitæ virtutis, ac proindè illam comprehendere dicitur intenſiuè, & non extenſiuè.

Arg. 3. Aut Pater æternus in inſtanti generationis Filij cognoſcit creaturas, aut non; ſi cognoſcit, ergo cum in eo inſtanti Filius procedat, creaturæ obijciuntur intellectui D, ac proindè ex illis Filius procedit. Si non cognoſcit, ergo aliquid addiſcit in generatione Filij, quod in priori inſtanti neſciebat, quod eſt abſurdum.

Reſp. Quod in illo priori inſtanti, nec Pater concipit creaturas, neque creaturæ obijciuntur intellectui D. ſed in poſteriori inſtanti, hoc eſt completa proceſſione D. perſonarum. Neque exindè ſequitur abſurdum; ſicut ex eo, quod in illo priori inſtanti generationis, non dum concipiatur producere Spiritũ S. qui producitur in poſteriori inſtanti, vel ſigno originis; ſequitur ullum abſurdum.

Arg. ultimò. Quicquid Verbum habet; accipit à Patre per generationem iuxtà illud Matt. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*; & Io: 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris*: ſed Verbum D. habet cognitionem creaturarum, ergo eam accepit à Patre, ergo Pater in priori inſtanti generationis habet cognitionem creaturarum, & conſequenter Filius procedit ex cognitione earum.

Reſp. diſting. mai. Accipit à Patre, vel formaliter, & ex vi ſuæ proceſſionis; vel concomitanter, & identicè, nimirum ratione naturæ D. ſibi communicatę cum omnibus ſuis perfectionibus eſſentialibus, ſeu attributis, conc. mai, Accipit tantùm ex vi ſuæ generationis nego. Itaque Verbum D. habet cognitionem creaturarum à Patre, quatenùs ab eo accipit naturam D. & intellectum, & voluntatem, & cæteras perfectiones Diuinas.

DIS-

DISPVTATIO VI.

De Perſona Spiritus Sancti.

QVÆSTIO I.

Vtrum Spiritus S. procedat à Patre, & à Filio.

NOt. 1. ex Doct. Seraphico in 1. d. 10. art. 2. q. 1. & ex Scoto in 1. d. 18. q. un. quod Spiritus dici poteſt dupliciter. 1. à ſpiritualitate, & hoc modo eſt nomen abſolutum, commune toti Trinitati; ſingulæ namque perſonæ, & Spiritus, & Sanctæ dicuntur, & ſunt. 2. Spiritus dicitur à ſpiratione, & idem eſt ac ſpiratus, ſeu id, quod ſpiratur, & ſic conuenit illi ſoli perſonæ, quæ procedit per modum amoris, & ſpiratur unica voluntate Patris, & Filij. Spirare enim in ſpiritualibus eſt ſolius amoris. Vndè homines in uno malo concordes dicuntur conſpiratores, non quia idem cogitant, ſed quia idem malum ſimul appetunt, & volunt. Ex quo patet Spiritum ſecundo modo ſumptum, ut ſpiritum referri ad ſpirantem, ſiue ſpiratorem, ut etiam notauit Io: Theologus in Concil. Florent. ſeſſ. 21.

Not. 2. Quod fuit vetus, & graue diſſidium inter Græcos, & Latinos de proceſſione Spiritus S. Nàm Græci contendebant Spiritum S. non procedere à Filio, ſed tantùm à Patre. Multi fecerunt Theodoretum Authorem huius opinionis; ſed cum ipſe vidit illius Auctores eſſe damnatos à Concil. Epheſino, ſtatim ad mentem Eccleſiæ reuerſus eſt, elapſiſque pluribus annis, tempore Pipini Regis Francorum reuixit ſchiſma ſub annum Domini 767. Et Synodus Prouincialis habita fuit Gentiliaci propè Lutetiam, quàm Synodum aliqui vocant Pariſinam. Et tunc hæc hæreſis per Græciam cæpit graſſari, adeòut nec ab ea immunis fuerit Theophilactus, qui eo tempore viuebat. Poſteà Michael Patriarcha Coſtantinopolitanus eò impudentiæ deuenit, ut publicè iactaret, Pontificem Romanum eſſe excommunicatum, eò quia in Symb. Nicæno addiderit (Filioque) Immò iuſſit idem Patriarcha, ut omnes Eccleſiæ Latinorum clauderentur, ſicut fieri ſolet tempore in-

re interdicti. Quamuis autem ſæpè reconciliati fuerint Græci cum Eccleſia Latina, ut in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. Deindè opera D. Bonau. in Concil. Lugdunenſi, ubi Symbolum cum additione (Filioque) tèr grecè, terque latinè in plena Concilij Congregatione cantatum fuit; & rurſus in Concil. Floren. ſemper tamen ſunt reuerſi ad vomitum, ut narrat Spondanus in Annalibus Eccleſiaſticis, ſit ergo.

Concl. Catholica. Spiritus S. à Patre, Filioque procedit. Hæc eſt de fide definita in ſex Concilijs celebratis Toleti. Deindè Æcumenico Concilio ſub Innoc. III. & refertur cap. firmiter de ſum. Trinit. Rurſus Lugdunenſ. & refertur cap. un. eodem tit. in 6. quibus Græci interfuerunt, & ſubſcripſerunt. Poſteà in Florent. & denique in Trident. ſeſſ. 3. in confeſſione fidei.

Prob. ex S. Scrip. in qua eſtò non habeatur explicitè proceſſio Spiritus S. à Patre, Filioque tamen habetur ęquipollenter; ut Ioan. cap. 15. & 16. vbi dicitur Spiritum S. mitti à Filio; ſed miſſio in Diuinis non eſt niſi perſonæ procedentis à perſona producente: ergo &c. Item Ioan. 16. de Spiritu S. dicit Chriſtus: ***Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis***, ergo ſcientia, quam annunciat, accipit aliquo modo à Filio: & ibidem habetur. ***Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet***. Omnia, inquit, intellige excepta Paternitate, ut explicat Florent. Concil.

Prob. ratione theologica Scoti. Suppoſitum habens perfectum principium productiuum alicuius termini, antequam intelligatur terminus productus, poteſt eodem principio uti, & hunc terminum producere; ſed Filius Dei ſic ſe habet, ergo Filius per voluntatem velut principium Spiritus S. poteſt producere, ergo producit Spiritum S. Prob. mai. Ideò Pater, & Filius, & Spiritus S. concurrunt ad creaturas producendas ad extrà, quia Filius, & Spiritus S. habent voluntatem, quæ eſt principium productiuum creaturarum ad extra, antequam intelligantur creaturæ productæ: ergo cum Filius habeat voluntatem fæcundam, antequam intelligatur Spiritus S. productus à Patre, conſequenter producit ſimul cum Patre Spiritum S. eadem voluntate. Prob. min. Inter actiones productiuas intel-

intellectus, & voluntatis eſt talis ordo, ut Pater prius dicat Verbum, quàm voluntas ſpiret; ergo Pater prius per intellectum fæcundum producit Verbum, quàm per voluntatem ſpiret Spiritum S. ſed Pater communicat Verbo omnes perfectiones; ergo &c.

Arg. contra conc: Quod productum eſt non poteſt produci, ſed Spiritus S. producitur à Patre in primo ſigno originis, ergo non poteſt produci à Filio in ſecundo ſigno originis. Reſp. diſting. mai. Quod productum eſt in ordine durationis, ubi eſt præteritum, conc. in ordine originis, qualis eſt inter D. Perſonas, nego; eò quia à Patre produci in primo ſigno originis nil aliud indicatur niſi producere à ſe; & Filium in ſecundo ſigno originis producere à Patre, & non à ſe.

Arg. 2. Spiratio paſſiua eſt tantùm in una Perſona, ergo etiam ſpiratio actiua in una ſola, quæ cum ſit in Patre non poteſt eſſe in Filio. Reſp. neg. conſeq. & ratio eſt, quia licet idem non poſſit produci pluribus productionibus diſtinctis, nec etiam plura ſuppoſita eadem productione, tamen plura ſuppoſita eadem productione producere poſſunt idem ſuppoſitum.

Arg. 3. Si Pater, & Filius ſimul producunt Spiritum S. ſequeretur, quod inter eos eſſet maior germanitas, quàm inter Spiritum S. & quemlibet illorum; ſed hoc eſt falſum, ergo &c. Reſp. neg. ſeq. mai. quia germanitas non attenditur niſi penes conſubſtantialitatem huius ab hoc. Vndè Pater, & Mater non acquirunt aliquam germanitatem ex productione Filij.

Arg. 4. Ex Verbo noſtro non procedit amor, quia notitia nullam habet cauſalitatem reſpectu amoris, ergo nec ex Verbo D. procedit Spiritus S. qui producitur per modum amoris. Reſp. conc. ant. & neg. conſeq. & ratio eſt. Quia imperfectionis eſt in Verbo creato, quod non communicetur ei eadem natura cum mente, & voluntate: at Verbo D. communicatur eadem natura, eadem mens, & voluntas, quæ eſt in Patre; ideo &c.

Arg. ultimò auct. Ss. Patrum. D. Dionyſ. dicit: ***Solum Patrem eſſe fontem Diuinitatis***: Nazianzenus ait; ***Quod habet Pater, habet Filium, excepta cauſalitate*** D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 2. ſic habet; ***Spiritum S. ex Patre dicimus, ex Filio non dici.***

dicimus: ergo &c. Reſp. D. Dionyſ. nil aliud velle, niſi Patrem eſſe primum principium communicatæ Diuinitatis Filio, qui eſt principium de principio. Nazianzenum per cauſalitatem intelligere potentiam generatiuam, quàm Pater non communicauit Filio, non autem ſpiratiuam. Ad D. Damaſc. D. Thomas reſpondit, ipſum fuiſſe in errore Græcorum, non fuit tamen hæreticus, quia oppoſitum non dum erat ab Eccleſia definitum. Cæterùm alij áſſerunt, D. Damaſc. non fuiſſe in tali errore, quia cap. 11. eiuſdem lib. docet, Spiritum S. eſſe à Patre per Filium, non poteſt autem eſſe per Filium, ſicùt per principium productiuum, aut ſicùt per inſtrumentum, vel cauſam mediam, ſed benè per ſuppoſitum, cui Pater dat eandem vim productiuam, ac proindè quatenùs Filius influit in productionem eius. Itaque ſic explicanda eſt auctoritas Damaſc. Spiritum S. à Patre dicimus tanquàm à primo principio, & à Filio non dicimus tanquàm à primo, ſed tanquàm à ſecundo.

Dices. In Concil. Nicæno ſolum poſitum fuit: *Credo in Spiritum S.* In Concil. Conſtantinopolit. additum fuit: *Qui ex Patre procedit*: In Concil. verò Epheſino, & Chalcedonenſi prohibitum fuit, ne quid adderetur Concil. Nicæno, & Coſtantinop. ergo addi non debuit illa particula (*Filioque*) nec conſequenter credi.

Reſp. Prohibitum fuit aliquid addere, diſting. contrarium doctrinæ aliorum Conciliorum conc. Aliquid eorum doctrinæ magis expreſsum, & eis conſonum, nego. Etenìm ſicut conſtat Concil. Conſtantinop. ſine ſcrupulo addidiſſe Niceno (*Qui ex Patre procedit*) ità licuit poſterioribus Concilijs addere particulam (*Filioque*) pro temporum, & hæreſum occaſione, ubi Eccleſia magis explicat ea, quæ ſunt credenda.

Dices rurſus: Leo III. Pontifex, poſt iſtam additionem factam iuſſit, Symbolum deſcribi in lamina argentea ſine illa additione (*Filioque*) & retrò Altare D. Petri collocari. Reſp. id feciſſe, non quod reprobaret illam particulam, ſed ut poſteris relinqueret memoriam Symboli Conſtantinop. una cum illis, quæ fuerunt conſtituta ab illo Concil. ſine gloſsa. Expedit namque quod Eccleſia certa antiquitatis teſtimonia habeat, ut conſtet, quid unoquoq; tempore ſtabilitum fuerit.

Quæ-

Quæres. An Pater, & Filius ſint priùs natura, & origine, quàm ſpirent Spiritum S. Reſp. Pater, & Filius ſunt priores Spiritu S. nedum origine, ſed etiam natura: prima pars patet, quia Pater, & Filius ſunt à quo eſt Spiritus S. Quod autem ſint priores natura probatur. Nàm quandocunque aliqua duo ſunt ſimul natura, quicquid eſt priùs natura uno, eſt prius natura reliquo; ſed ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua ſunt ſimùl natura, & Pater, & Filius ſunt priores natura ſpiratione actiua, ergo etiam ſunt priores natura ſpiratione paſſiua, & per conſequens Spiritu Sancto.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſi Spiritus S. non procederet à Filio diſtingueretur realiter ab eo.

NOt. Quod fide certiſſimum eſt, de facto, Spiritum S. diſtingui realiter à Filio, quia ab illo producitur. Verùm proponitur quęſtio; An dato per impoſſibile, quod Spiritus S. à Filio non procederet, adhuc ab illo realiter diſtingueretur. Non abſurdè proponitur hæc quæſtio; quidquid dicat Gofredus; valet enim ad inquirendum præciſum, & proprium diſtinctiuum Perſonarum Diuinarum, licet fundetur in ſuppoſitione, ſeù hypotheſi impoſſibili. Impoſſibile namque eſt, quod homo non ſit animal, poteſt tamen quæri. Vtrum ſi per impoſſibile homo non eſſet animal, eſſet tamen à bruto diſtinctus: reſpondendum affirmatiuè, quia homo, & brutum non diſtinguuntur per animalitatem. Similes autem quæſtiones ſunt uſitatæ Doctoribus, immò & Patribus. Quare præſens quæſtio naſcitur ex eo quod D. Bonau. & D. Thom, & alij paſſim contra Græcos probent Spiritum S. procedere à Filio; quia alioquin non diſtingueretur realiter ab eo. Vndè multi Doctores putant in tali hypotheſi fore unicam Perſonam, quæ ſimul eſſet Filius, & Spiritus Sanctus, & conſequenter ſolum fore duas Perſonas realiter diſtinctas; hac ratione ducti; eò quod exiſtiment unicum, & adæquatum fundamentum diſtinctionis realis unius Perſonæ ab altera, eſſe ſolam oppoſitionem correlatiuam

pro-

producentis, & producti. Sed hoc non obſtante ſit.

Concl. Si Spiritus S. non procederet à Filio adhuc diſtingueretur realiter ab eo; eſtò fateamur, tunc ſublatam fore aliquam ſecundariam rationem diſtinctiuam, nempè originationem Spiritus S. à Filio; hæc eſt Scoti, & Scotiſtarum in 1. d. 11. q. 2. contra Thomiſtas oppoſitum ſentientes; immò D. Thomas fuit Scoto occaſio mouendi hanc quæſtionem; nàm examinando rationem D. Thomæ dicentis, quod ſi Spiritus S. à Filio non procederet, non diſtingueretur à Filio realiter, eam Scotus iudicauit inualidam.

Prob. concl. auctoritate Ss. Patrum dicentium, Spiritum S. diſtingui à Filio, non quia præcisè ab eo procedit, ſed quia ipſius emanatio eſt alterius rationis ab emanatione Filij. Sic D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 14. ait. *Exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus; & ideò non dicitur Filius, quia nec natus eſt, ſicut Vnigenitus*: hoc idem habet D. Anſel. in epiſt. contra Græcos, & præſertim cap. 9. ubi ſic loquitur. *Si per aliquid Filius, & Spiritus S. non eſſent plures, per hoc tamen eſſent diuerſi, quia alter naſcendo, alter procedendo exiſtit*; ſed data ſuppoſitione noſtra impoſſibili productio Filij, & Spiritus S. adhuc eſſent diuerſæ rationis; ergo etiam ſi unus ab alio non eſſet, non minus diſtinguerentur realiter. Prob. à Scoto ſic. Omne, quod eſt primum principium eſſendi, eſt etiam principium primum diſtinguendi; ſed data hypotheſi, quod Spiritus S. non procederet à Filio, adhuc Filius filiatione eſſet Filius, & Spiritus Sanctus ſpiratione eſſet Spiritus, ergo adhuc diſtinguerentur realiter filiatione, & ſpiratione, quamuis Spiritus S. non procederet à Filio. Prob. min. per quod aliquod formaliter conſtituitur, per illud diſtinguitur, quia per illud eſt formaliter tale ens; ſed per quod aliquid eſt formaliter tale ens, per illud eſt unum, & per quod eſt unum per illud eſt indiſtinctum in ſe, & diſtinctum à quocunque alio; ergo idem eſt principium eſſendi, & diſtinguendi, ſeu idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, ergo filiatio, quæ eſt ratio conſtitutiua Filij, ſublata ſpiratione, eſſet etiam ratio diſtinctiua à Spiritu S. & ſic pariter ſpiratio paſſiua reſpectu Spiritus S. Prob. 2. ſi per impoſſibile Pater non ſpiraret, nec produceret Spiritum S. ſed ſolus Fi-

Filius, adhuc tamen Pater à Filio, & Spiritu S. realiter diſtingueretur per paternitatem, quæ non eſſet in Filio, nec in Spiritu S. ergo ſimiliter ſi Filius non ſpiraret Spiritum S. adhuc diſtingueretur.

Accedit etiam ratio Eccl. Græcæ, ſeù illius Doctorum, qui, cum nondum hæc veritas eſſet ab Eccleſia Romana definita de proceſſione Spiritus S. à Filio, contendebant Spiritum S. non procedere à Filio, & tamen admittebant Spiritum S. eſſe Perſonam realiter diſtinctam à Filio; ergo &c. Accedit etiam auct. D.Thomæ, qui in quol. 4. art.3. ſtat pro noſtra conc. ubi ſic docet concludendo: ſic ergo dicendum, quod Filius ſua filiatione diſtinguitur quidem à Patre ſecundùm oppoſitionem relatiuam filiationis ad paternitatem, ſed à Spiritu S. diſtinguitur filiatione, per quod Spiritus S. non habet filiationem, quam Filius habet; ergo fatetur D. Thom. Spiritum S. fore à Filio diſtinctum, & ſi ab eo non procederet.

Reſp. Thomiſtæ. Idcircò paternitatem diſtingui à ſpiratione paſſiua, non quia eſt ipſi diſparatá, ſed quia identificatur omnimodè cum ſpiratione actiua, quæ correlatiuè opponitur ſpirationi paſſiuæ. Verùm huius reſponſionis inſufficientia apertè conſtat; nàm ſi hoc ſufficiat, ſpiratio actiua non poterit eſſe in Filio, quod eſt falſum; ac proindè falſum eſt, ſpirationem omninò identificari, & hac ratione opponi &c. Plura videri poſſunt apud noſtros Scotiſtas, quæ conſultò ommitto; ne breuitatis limites tranſeam; tùm quia ad huius tractatus finem propero.

Arg. 1. contra noſtram conc. Ss. Patres tradunt, perſonas diſtingui per origines, vel etiam per ſolas origines, ergo ſi Spiritus S. non originaretur à Filio, non diſtingueretur ab eo. Reſp. diſting. auct. Ss. Patrum: perſonæ diſtinguuntur per origines, vel per ſolas origines oppoſitas, aut diſparatas conc. oppoſitas tantùm nego. Vndè origines ſunt in duplici differentia, aliæ namque ſunt oppoſitę correlatiuè, ut generatio actiua, & generatio paſſiua; aliæ verò ſunt non correlatiuæ, quæ dicuntur à Scotiſtis diſparatæ, ut generatio paſſiua, & ſpiratio paſſiua, & ſic patet reſponſio, quia ſemper unus eſſet productus per intellectum, alius per voluntatem, alius haberet relationem geniti, alius ſpirati, quæ ſunt relationes diſparatæ, & in-

com-

compoſſibiles in eadem perſona, ſeu ſuppoſito.

Arg. 2. Relatio eo modo diſtinguit, quo conſtituit; ſed conſtituit tantum in ordine ad terminum, ergo tantùm à termino diſtinguit ſubſumo min. ſed Spiritus S. in noſtra hypotheſi non haberet correlationem Filiationis, quia non eſſet terminus correlationis eius, ergo Filius per Filiationem, quatenùs relatio eſt, non poteſt diſtingui à Spiritu Sancto.

Reſp. admiſſa mai. & diſting. min. conſtituit in ordine ad terminum, quem reſpicit tantùm per modum correlatiui proprij, ſicùt Pater habet pro correlatiuo Filium, nego; quem reſpicit per modum termini aliquo modo alio à correlatiuo conc. ſimiliter diſtinguo ſubſumptum in tali caſu, ſeu hypotheſi Spiritus S. non haberet Filiationem pro termino, quem reſpicit per modum producentis, conc. quem reſpicit pèr modum perſonæ à ſe realiter diſtinctæ, nego. Stat enim ſemper, quod Filius per Filiationem haberet eſſe.

Contra. Si ad diſtinctionem perſonarum ſufficiunt relationes diſparatæ, ſequeretur quod Paternitas, & ſpiratio actiua conſtituerent duas perſonas, ſed hoc eſt falſum, ergo, & antecedens. Reſp. ex Scot. neg. ſequel. mai. & ratio eſt, quia diſpar eſt ratio de generatione actiua, & ſpiratione actiua cum generatione, & ſpiratione paſſiua; duæ enim productiones actiuæ reſpectu diuerſorum terminorum non repugnant in eodem ſuppoſito; ſecùs verò de paſſiuis; nàm ſequeretur, quod in una perſona eſſent duæ paſſiuæ productiones totales, quod repugnat.

Arg. 2. auct. D. Anſ. quæ ab omnibus Theologis recipitur; omnia in Diuinis ſunt unum, ubi non obuiat relationis oppoſitio; ità lib. de proceſſ. Spiritus S. c. 3. ergo &c.

Reſp. noſter Herincx, Anxioma verificari de facto; non autem de caſu impoſſibili. Deindè etiam in iſta hypotheſi impoſſibili obuiaret relationis oppoſitio ad mentem Anſel. ideſt oppoſitio relationum, ſeu repugnantia orta ex relationibus, eſtò non eſſet oppoſitio correlatiua, quia ſufficit oppoſitio diſparata; itaque non omnes relationes diſparatæ perſonas diſtinguunt, ſed ſolum oppoſitæ, cuiuſmodi non ſunt Paternitas, & ſpiratio actiua; de quibus aduerſarij urgent contra nos.

Arg.

Arg 3. Vbi mutua origo non obuiat, identitas eſt maior perfectio, ergo eſt aſſerenda in hypotheſi.

Reſp. cum Herinex neg. ant. Sicùt enim non eſt maior perfectio, quando obuiat origo mutua, eo quod identitas, tunc ſit impoſſibilis; ſic nec in iſta hypotheſi, ubi obuiat oppoſitio, ſeu repugnantia, vel incompoſſibilitas relationum diſparatarum, eo quia repugnaret pariter identitas Filij, & Spiritus S.

Arg. denique auct. diuerſorum Concil. ſed ut aduertit Herincx, verba Concil. male ab Aduerſarijs citantur, & rectè citata non repugnant noſtræ doctrinæ. Adducuntur verba Florent. in formula confeſſ. fidei ſeſſ. ult. ſic. Nam credentes Spiritum S. ex Filio nequaquàm procedere, neceſſe eſt, ut intelligant, Spiritum S. ex ſolo Patre procedere; ac conſequenter non eſſe Filium (obijcientes citant) ac conſequenter eum eſse Filium. Poteſt autem particula, conſequenter, intelligi dupliciter. 1. ut ſit idem, quod inſuper, ulterius, aut æquiualens. 2. ut habet vim conſequentiæ, quaſi diceret, negantes proceſſionem Spiritus S. à Filio, neceſsariò admittunt proceſſionem Spiritus à ſolo Patre; & conſequenter non eſse, ideſt, non dari Filium in Diuinis, cum non fuiſset ei communicata Deitas cum omni perfectione, & voluntate ad ſpirandum fæcunda; proùt communicari debuiſset. Ità Herincx. Itaque reuera non eſſet Filius, nec Spiritus S. ſi iſte ab illo non procederet; ſed ſuppoſitio noſtra eſt de impoſſibili; idcircò quærimus, ſi per impoſſibile eſſent Filius, & Spiritus S. & Filius non produceret Spiritum S. utrùm diſtinguerentur inter ſe: quod ex dictis ſatis conſtat. Cæteræ auctoritates SS. Patrum, & Concil. videri poſſunt apud Fraiſen, Macedo, & Maſtrium &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum productio Spiritus S. ſit neceſſaria, & libera ſimul.

NOt. 1. Quod à Phyloſophis quatuor operandi modi diſtinguuntur, nempè, liberè, naturaliter, contingenter, & neceſſariò; quorum duo priores, ità inuicem opponun-

ponuntur; ut ſimul conſiſtere non poſſint in eodem principio, & reſpectu eiuſdem effectus, ſicut nec duæ differentiæ diuidentes idem genus ineſſe poſſunt eidem ſpeciei. Poſteriores autem modi operandi non ſic opponuntur ad inuicem; idem namque principium agere poteſt neceſſariò, & contingenter ſimùl; etenim actio dicitur neceſsaria, quæ non poteſt non ſequi, undecunque prouèniat neceſſitas, ſiuè ex libera determinatione principij, ſiuè aliundè. Actio verò contingens eſt, quæ poteſt non ſequi, ſiuè impediatur ab extrinſeco, ſiuè ſuſpendatur ex libera determinatione voluntatis. Ex quò fit, ut contingentia, & neceſſitas ſtare poſſint cum modo operandi naturaliter, & liberè. Ex eo enim, quòd aliquid ſit liberum non ſequitur illud non eſſe neceſsarium, immò quò maior eſt libertas, eò maior eſt neceſſitas, nàm, ut inquit S. Anſel. lib. de lib. arb. c. 5. *Quod decet, & expedet, ut hoc amittere nequeant; liberior eſt, quàm ille, qui ſic habet hoc ipſum, quod poſſit perdere*; & ſubdit, *Liberior igitur eſt voluntas, quæ à rectitudine declinare non poteſt*; & idem docet D. Aug. in Enchirid. c. 105.

Not. 2. Quod proceſſio Spiritus S. ſi lato modo loquamur, dici poteſt naturalis, partim quatenùs oritur ex naturæ D. fæcunditate, partim quatenus neceſsaria eſt: & pariter non libera dici poteſt, loquendo de libero ſtrictè, ideſt de libertate indifferentiæ; quæ in Diuinis ad intrà non habet locum. Et in hoc ſenſu loquuntur Principes Theologorum D. Bonau. 2. d. 25. D. Thom. q. 10. de potentia art. 2. ad 5. Scot. in 1. d. 10. & quol. 16. ubi docet, voluntatem D. eſse liberam libertate eſsentiali, & dominij; quatenùs ex ſe eligibiliter dirrigit, & ſe determinat. Agens verò naturale, ut contradiſtinguitur à voluntario, & libero, ab Aucthore naturæ determinatur; & in finem dirrigitur.

Concl. Productio Spiritus S. non eſt naturalis, ſed neceſsaria, eſt tamen libera libertate eſsentiali. Eſt Scoti in 1. d. 10. & alibi. Prob. 1. Spiritus S. procedit per voluntatem, ſeu per proprium modum operandi voluntatis, ſed proprius modus operandi voluntatis eſt liber, ergò procedit liberè: mai. patet; min. probatur, libertas eſt de intrinſeca ratione voluntatis, adeòut non magis repugnet hominem concipi ſine animali rationali, quàm volunta-

tem

tem ſine libertate, ergo quicquid à voluntate, tanquàm à principio quò producitur, liberè producitur, ac proindè productio Spiritus S. eſt libera, & ſi neceſsaria. Tùm quia procedit Spiritus S. ut amor, & ut donum. Vndè D.Aug. lib. 15. de Trinit. inquit. *Non quomodo natus, ſed quomodò datus*. Prob. 2. Ideò aduerſarij negant, Spiritum S. procedere liberè, quia contendunt, nullam libertatem cum neceſsitate conſiſtere, & omnem libertatem eſse, vel contrarietatis, vel ſpecificationis, vel contradictionis, ſeu exercitij; ſed hoc eſt falſum, ergo & illud undè ſequitur. Prob. min. 1. Actus amoris, & deſiderij, quo appetimus fælicitatem eſt ſine dubio liber, ſed non eſt liber libertate ſpecificationis, quia non poſsumus odire fælicitatem; ergo ille actus ſimùl eſt neceſsarius, & liber libertate eſsentiali, quæ deſcribi ſolet. Potentia volitiua ex plena deliberatione abſque coactione, & violentia, eligibiliter,& delectabiliter agens.

Prob. 2. Chriſtus liberè mortuus eſt iuxtà illud Ioan.10. *Nemo tollit animam meam, ſed ego pono eam*; ſed Chriſtus non potuit non acceptare mortem ſibi à Patre imperatam;ergo ſimùl liberè, & neceſsariò mortuus eſt; non quidem libertate ſpecificationis, nec exercitij, ergo libertate eſsentiali; immò etiam libertate à neceſsitate, de qua latè part. 2. diſp. de merito, & part. 3. diſp. de merito Chriſti.

Confirmatur. Quia perfectiſſimus modus operandi, quem concipere poſſumus, tribuendus eſt D. voluntati; ſed modus operandi liberè,& neceſſariò eſt omnium perfectiſſimus, ergo &c. Prob. min. Bonum quò firmiùs poſſidetur, eò melius, at certum eſt, quod liberè operari ſit bonum principio libero; ergo quo firmius poſſidetur, eò melius, ac proindè aſſignandus eſt D. voluntati talis modus liberè operandi, & neceſſariò.

Arg. 1. contra conc. Spiritus S. procedit à principio determinato ad unum; ergo eius proceſſio eſt naturalis; ant. patet, quia Spiritus S. non poteſt non eſſe. Reſp. diſting. ant. à principio determinato ad unum ex propria, & voluntaria determinatione,conc. ex determinatione per formam naturalem, ſicut determinatur grauè ad deſcendendum, nego ant.

Arg. Theologi Morales docent,hominem non mereri in

his

his quæ facit neceſſariò, ergo neceſſarium non poteſt eſſe liberum. Reſp. Non mereri hominem, quia requiritur libertas moralis ad merendum, quæ non ſtat cum neceſſitate; ſecùs autem de libertate eſſentiali, quæ ſolam coactionem excludit.

Quæres 1. An Pater, & Filius ſint unum principium Spiritus S. & proindè dicendi ſint unus ſpirator, vel duo ſpirantes, vel duo ſpiratores.

Reſp. ex Scoto. Quod Pater, & Filius ſunt unicum principium Spiritus S. Tum quia, ut inquit D. Auguſt. 5. de Trinit. c. 14. *Sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatus; ſic relatinè ad Spiritum S. vnum principium.* Tùm quia ſicut Pater gignendo Filium communicat ei eandem eſſentiam, ità etiam eandem vim ſpiratiuam; ergo &c.

Reſp. 2. Quod Pater, & Filius nequeunt dici duo ſpiratores, benè tamen duo ſpirantes, ut docet Scotus in 1. d. 12. q. 1. ubi inquit: Quia terminus pluralis, duo, iunctus nomini (ſpirator) ſignificat vim ſpiratiuam in Patre, & in Filio, eſſe diſtinctam, & duplicem, quia vocabulum ſpirator formaliter deſignat vim ſpirandi, ſecùs autem dicendum de participio (ſpirante) eò quod ſignificat Perſonam habentem illam vim ſpiratiuam; itàut ſicut ſunt duæ Perſonæ producentes Spiritum S. ità poſſunt dici duo ſpirantes, hoc eſt duæ Perſonæ habentes eandem vim ſpiratiuam. Ratio autem diſparitatis eſt, quod ad pluralitatem nominum ſubſtantiuorum concretorum non ſufficit pluralitas ſuppoſitorum, ſed etiam requiritur pluralitas ſuppoſitorum, ſed etiam requiritur pluralitas formarum. Ad pluralitatem verò adiectiuorum, & participiorum ſufficit pluralitas ſuppoſitorum. Hinc verè ſunt iſtæ propoſitiones: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt unus Creator, una cauſa, unus Gubernator &c. ſimiliter veræ ſunt iſtæ: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt tres creantes, gubernantes &c.

Quæres 2. Quomodò intelligenda ſit hæc propoſitio: Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu S.

Reſp. Quod hæc propoſitio eſt D. Aug. in lib. de Trin. & eſt communiter recepta (eſtò infundatè dixerit Suarez, D. Aug. eam retractaſſe in ſimili propoſitione. Pater eſt ſapiens ſapientia genita, cum eadem appareat ratiò) Ità D. Bonau. in 1. d. 32. art. 1. q. 1. Scot. d. 32. q. 1, D. Thom. 1. 1,

q.37. art.2. Et ſumitur ex Patribus, & non ex ſolo D. Aug. aſſerentibus; quod Pater, & Filius ament ſe amore, qui ab ipſis procedit. Quod Spiritus S. ſit amicitia Patris, & Filij, ſit ipſa dilectio, quam Pater habet in Filio, & viciſſim, ſit vinculum Trinitatis, ſit denique unitas Patris, & Filij; quia, ut inquit D. Aug. 6. de Trinit. c. 5. *Charitas eſt, quâ genitus à gignente diligit, genitoremque ſuum diligit*; Nihilominùs difficilis videtur congrua huius propoſitionis explicatio. Vnde omiſſis aliorum declarationibus.

Dicendum cum Scoto loc. cit. & cum D. Bonau. & alijs, quod diligere ſumitur partim eſſentialiter, & partim notionaliter ſicut, dicere, in hac propoſitione: Pater dicit Verbo. Quarè ſenſus eſt: Pater, & Filius producunt Spiritum S. qui eſt amor Patris, & Filij; ſiuè Pater, & Filius principiatiuè ſe diligunt Spiritu S. formaliter autem amore eſſentiali; Nàm ſicut dicere importat habitudinem ad rem dictam, ſeù id, quod verbo manifeſtatur, & connotat etiam habitudinem ad dicentem, ſeù ad Verb. proferentem; ſic in præſenti diligere importat habitudinem ad rem dilectam, quæ non eſt realis, nec propria, ſed appropriata Spiritui S. connotat autem habitudinem ad diligentem, ſeu ad illum, qui ſpirat.

Ratio verò cur potiùs dicatur Pater, & Filius diligere Spiritu S. quam Pater ſapere ſapientia genita eſt, quia ſapere non accipitur niſi eſsentialiter; at diligere ſumi poteſt etiam notionaliter. Ratio pariter, cur potiùs dicatur Pater dicere, quam generare Verbo, ſimiliter Pater, & Filius diligere, quam ſpirare Spiritu S. eſt, quia dicere, & diligere ſunt actiones, quæ non ſolum important ordinem ad terminum per ipſas productum, ſicut generare, & ſpirare, ſed inſuper important ordinem ad obiectum, quod dicitur, aut diligitur; quod quidem obiectum reſpicitur etiam à principio productiuo, aut ab agente, mediante termino producto; reſpicitur, inquam effectiuè, quatenùs producit terminum, qui reſpicit obiectum formaliter. Tali autem actioni competit enuntiari utrumque reſpectum ponendo obiectum repræſentatum, vel amatum in accuſatiuo, & terminum in ablatiuo. v. g. intellectus verbo dicit tale obiectum, voluntas amore diligit tale obiectum.. Itaque eo modo, quo rectè dicitur Pater di-

cere ſe, & alio Verbo,ſeu per Verbum dicitur ſimiliter Pater, & Filius diligere ſe Spiritu S ſeu per Spiritum . qui eſt Amor ſubſiſtens, ſeu perſonalis; & appropriatè amor Patris, & Filij. Vndè ſicut Pater omnia, quæ ſunt in ſua ſcientia dicit Verbo; ſic Pater, & Filius diligunt Spiritu S. non ſolum ſe, ipſumque Spiritum S. ſed etiam creaturas, quatenùs Spiritus S. procedit ab illis, ut Amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater, & Filius amant ſe, & omnia alia. Verùm hæc propoſitio Pater, & Filius diligunt creaturam Spiritu S. non eſt ità propria, ut docet Scot. in 1. d.32. q.1. ad ult. Immò non facile uſurpanda ſine ſufficienti declaratione; ut cum alijs tradit Herincx p.1. diſp.2. de proceſſ. q. 6. Videndus etiam Pater Macedo in tom.1. collat.9. diff.1. ſect.4.

QVÆSTIO IV.

Vtrum nomina Amoris, & Doni competant Spiritui S.

NOt. 1. ex D. Bonau. in 1. d. 10. art. 2. q. 1. quod dilectio, ſeu Amor in Diuinis poteſt ſumi tripliciter, nempè eſſentialiter, notionaliter, & perſonaliter. Amor primo modo denotat vitalem tendentiam in rem amatam, & ſic eſt communis tribus Perſonis, ac proindè rectè dicitur Pater eſt charitas, ſeù Amor, & hæc eſt primæua nominis ſignificatio. Amor notionaliter idem eſt, quod actus ſpirandi, ſeù ſpiratio actiua, & huic in productione Verbi correſpondet dictio; & ſic eſt communis Patri, & Filio; eſtò non ſoleat vocari Amor, ſeu charitas. Denique Amor perſonaliter ſumptus ſignificat Amorem productum, qui in Diuinis eſt Perſona Spiritus S. & in hoc ſenſu competit propriè Spiritui S. & huic correſpondet in Filio nomen Verbi, quod ſignificat terminum productum per intellectum, ſicut Amor per voluntatem.

Not. 2. Quod donatio ſumitur hic, prout deſcribitur à Phyloſopho 4. Top. c.4. Eſt datio irredibilis, ideſt gratuita, & liberalis, neque facta intuitu compenſationis. Vndè tria concurrunt ad rationem doni. 1. Res apta donari, quæ appellatur donum. 2. Donans, qui poſſit aliquid tribuere. 3. Donatarius, cui aliquid in debitum, ſeu liberali-

ter

ter tribui poſſit. Et ſicut Amor multipliciter ſumitur, ſic pariter donum. Vndè ſi ſumatur eſſentialiter, & in hoc ſenſu competit toti Trinitati, conformiter ad illud Ioan. c.14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Hæc enim manſio eſt totius Trinit. à ſe ipſa donatio, cum poſſit idem ſe ipſum quodamodò donare; ſicut etiam poteſt ſe ipſum vendere, & in ſeruitutem tradere. Si ſumatur notionaliter, & ſic ſignificat rem donabilem cum habitudine ad donantem realiter diſtinctum, ratione cuius donum ſit donantis, quæ habitudo in Diuinis nequit eſſe alia, quàm originis; & in hoc ſenſu eſt commune etiam Filio (*Qui datus eſt nobis à Patre*; Ioan. 3. & Iſaiæ 9.) & Spiritui Sancto. Denique ſi ſumatur perſonaliter eſt proprium Spiritus S. & ſignificat rem à Perſona diſtinctam, donabilem, ex vi, & modo ſuæ proceſſionis. Vndè Scotus in 1. d. 18. ait. Solus autem Spiritus S. ex vi proceſſionis ſuæ eſt primus Amor, & infinitus, & procedens per actum amoris à Patre, & Filio, cum liberaliter, hoc eſt, non coactè producentibus, & paulò antè præmiſerat. Inter omnia dona donantis, primum donum, quod dat, & quidquid dare poteſt, eſt amor eius, quem primò dat amato, qui eſt ratio cuiuſcunque alterius doni; nihil enim habet rationem doni, niſi in quantum cadit ſub actu amoris; & ita pariter docet D.Boncu. in 1. d.18. art.1. q.1.

Conc. Si Amor ſumatur perſonaliter eſt proprium Spiritus S. qui dicitur Amor productus, & ſpiratus; & ratio eſt, quia ſi nomini Amoris addatur productus, tunc nequit accipi niſi perſonaliter; ſed ſic eſt proprium Spiritus S. ergo eſt proprium Spiritus S. &c.

Verùm, ſi donum ſumatur eſſentialiter, conuenit toti Trinitati iuxtà ſentent. Ioan. ſuperius adductam; ſi notionaliter, ſic competit etiam Filio, & hoc patet ex Io. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret*. Si propriè, & perſonaliter, & ſic ſoli Spiritui S. competit. Ratio eſt, quia ad rationem doni propriè ſumpti, duo requiruntur, ſcilicet datio ad creaturas, & proceſſio per modum libertatis. Quarè, licet datio creaturis conuenire poſſit toti Trinitati, & Verbo ſeorſim ſumpto; ſolus tamen Spiritus S. procedit per modum libertatis, & in hoc ſenſu eſt illi proprium, ut iudicauit Scot. ubi ſupra. Id-

circò D. Auguſt. probat Spiritum S. eſſe donum Dei his Scripturæ locis. Ioan. 4. *Mulier ſi ſcires donum Dei.* Et Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum & accipietis donum Spiritus S.* Cùm igitur Pater, & Filius ſint ſpirator Spiritus S. ſunt etiam dator, & ſicùt non poſſunt rectè dici duo ſpiratores, ità nec duo datores, ſed duo dantes.

Cæterùm pro complemento, & pleniori intelligentia aduertendum, quod nomen doni dicit duplicem reſpectum, unum dationis ad creaturas, quibus datur, alium realem ad Patrem, & Filium, à quibus datur. Quoniam verò illæ creaturæ, quibus datur, non ſunt ab æterno, ideò Spiritus S. non dicitur donum, ſeu datus actualiter ab æterno, ſed tantùm aptitudinaliter. Inſuper perpendendum eſt, ſpirationem paſſiuam, & donum non eſſe duas proprietates Spiritus S. ſed unam, eſtò ratione diſtinguantur. Dicitur namque Spiritus, quia à voluntate procedit, & dicitur donum, quia eſt Amor productus liberaliter, quatenùs connotat creaturas, quibus communicatur.

Sunt, & alia nomina pretèr donum Altiſſimi, quæ Spiritui S. attribuuntur ab Eccleſia, & breuiter explicantur à Doct. Seraph. in Compendio Theol. verit. lib. 1. c. 9.

DISPVTATIO VII.

De circumínceſſione Diuinarum Perſonarum de earumdem miſſione, & de modò loquendi in Myſterio ineffabili SS. Triadis.

QVÆSTIO I.

Vtrum vna Perſona D. ſit in alia per circumínceſſionem.

NOt. 1. Quod circumínceſſio eſt ſubſiſtentis in ſubſiſtente realiter diſtincto, mutua, & intima præſentialitas in eadem numero natura. Dicitur ſubſiſtentis in ſubſiſtente, ubi ſubintelligitur incommunicabiliter, & ſic eſſentia, & attributa non ſunt in perſonis per circumínceſſionem, quia nec eſſentia, nec attributa incommunicabiliter ſubſiſtunt. Dicitur realiter diſtincto, nàm hęc eſt

alia

alia ratio, quarè eſſentia non ſit in perſonis, nec perſonæ in eſſentia per circumminceſſionem, quia non diſtinguuntur realiter à ſe inuicem. Additur mutua, & intima præſentialitas, ad indicandum, quod Deus non eſt in creaturis per circumminceſſionem; eſtò enim Deus ſit intimè præſens creaturis, & ſit in illis; creaturæ tamen non ſunt propriè in Deo; ſicùt licet Anima ſit in corpore, corpus autem non eſt in Anima. Additur denique in eadem numero natura, quia ad circumminceſſionem requiritur identitas numerica naturæ; ideoque duo corpora ſe ſe mutuò penetrantia non ſunt in ſe inuicem per circumminceſſionem ratione diſtinctæ numero naturæ.

Not. 2. Quod, etſi Theologi conueniant in aſſerendo unam perſonam D. eſſe in altera iuxtà S. Scrip. diſcordant tamen in aſſignanda ratione huiuſmodi inexiſtentiæ. Nàm alij dicunt, quod origo unius ab altera ſit ratio talis mutuæ præſentialitatis. Alij volunt, quod ſit eſſentia ſola. Scotiſtæ verò cum Scoto, aſſerunt, quod ratio circumminceſſionis ſit eſſentia ſimùl, & relatio. Vndè ſit.

I. Concl. Perſonæ ſunt in ſe inuicem per circumminceſſionem ſecundùm ſe totas, non ſecundùm partes, ideſt non tantùm ratione naturæ, ſed etiam ratione perſonæ. Eſt Scot. in 1. d. 19. q. 2. contra Henricum, cuius fundamentum afferetur in parte argumentatiua.

Prob. conc. quoad 1. partem auct. S. Scrip. & præſertim Ioan. 14. *Qui videt me videt, & Patrem meum. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Et rurſus, *Pater in me manens ipſe facit omnia*. Vndè S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 1. dicit: *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater, in Filio, & in Spiritu S. totus Filius in Patre, & in Spiritu S. & totus Spiritus S in Patre, & Filio.*

Prob. 2. pars. Subſiſtere incommunicabiliter conuenit perſonæ, ut perſona eſt, ſed circumminceſſio eſt inexiſtentia ſubſiſtentis &c. incommunicabiliter, ergo circumminceſſio eſt ſubſiſtentis in ſubſiſtente, ac proindè una perſona eſt in alia non ſolùm ſecundùm eſſentiam, ut putat Henricus, ſed etiam ſecundùm perſonalitatem.

II. Concl. Ratio circumminceſſionis non eſt origo ſola, nec eſſentia ſola, nec ſola relatio; ſed eſſentia ſimùl cum relatione. Conc. hæc habet quatuor partes. Prob. quoad

 1. Li-

1. Licet origo, ſeu productio immanens dicat terminum productum remanere intrà producentem, tamen non infert, quod producens ſit in producto; ergo licet ratione originis Filij ſit in Patre, & Spiritus S. in Patre, & Filio, nihilominùs Parer, qui eſt producens non eſt in Filio, nec Filius in Spiritu S. quemadmodùm Verbum mentale, eſtò ſit in intellectu, non tamen intellectus eſt in Verbo. Hac ratione utitur Scot. ad infirmandam opinionem D. Thomæ. Prob. quoad 2. partem. Circuminceſsio eſt mutua præſentialitas ſubſiſtentis &c. ſed perſonæ non habent, quod diſtinguantur realiter per eſſentiam, nec quod ſubſiſtant incommunicabiliter; ergo ratio circuminceſſionis unius perſonæ in alia non eſt eſſentia ſola.

Prob. quoad 3. partem. Ad circuminceſsionem requiritur, quod illa inexiſtentia mutua plurium fiat in eadem natura; ſed natura non eſt eadem per relationem; immò ſi poſset diuidi, & diſtingui per relationem diuideretur, ergo nec ſola relatio ſufficit ad circuminceſsionem.

Prob. quoad 4. partem. Ad circuminceſsionem duo præcipuè requiruntur, nempè realis diſtinctio perſonarum, quæ in ſe mutuò exiſtunt, & quod talis inexiſtentia mutua ſit in eadem natura, ſed relatio primum facit, alterum eſsentia, ergo ratio adæquata circuminceſsionis eſt eſsentia ſimùl cum relatione.

Arg, contra 1. conc. ab Henrico. Si Pater ſecundùm ſe totum eſt in Filio, erit in Filio ſecundùm eſsentiam, & Paternitatem, & ſic Paternitas erit in Filio, ergo ſicùt Filius dicitur Deus, quia habet Deitatem, ità etiam dicetur Pater, quia habet Paternitatem.

Reſp. Quod Paternitas reuerà eſt in Filio, & viceuerſa, non tamen ſequitur, ergo Filius eſt Pater paternitate; ſicut eſt Deus Deitate, quia Paternitas non eſt in eo, veluti per informationem, ſicùt Deitas, ſed ſolum per circuminceſsionem, ſeu per mutuam præſentiam.

Dices ex tali inexiſtentia Perſonarum oriretur confuſio Perſonarum, quod eſt abſurdum; ut dicitur in Symbolo D. Athanaſij; *Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes* Reſp. neg. huiuſmodi ſequel. quia ſtat diſtinctio realis Perſonarum ſimùl cum ipſa inexiſtentia.

Replicabis. Ioan. dicit: Filium exire à Patre, ergo &c.

Reſp.

Reſp. Filium exire à Patre, nil aliud ſignificat, niſi generari à Patre, vel ab eo mitti; at quodcunque ſit, ſemper rēmanet in Patre, ut alibi teſtatur S. Scrip. &c.

QVÆSTIO II.

Quid ſit miſsio, & cui miſsio competat.

NOt. 1. Quod miſsio multis modis fieri poteſt. 1. per imperium, & ſic Dominus mittit ſeruum. 2. ſit per modum conſilij, ut quando conſiliarij mittunt Regem ad bellum. 3. obſecratione, ut quando aliquis per preces alium mittit. 4. ſit per motum localem, ſicùt mittitur ſagitta, epiſtola &c. vel legatus, vel amicus &c. 5. ſumitur pro manifeſtatione perſonæ productæ in aliquo effectu coęterno; & in hoc ſenſu procedit quæſtio, nàm alij modi ſupradicti cum dicant imperfectionem, locum non habent in Diuinis.

Not. 2. Quod duplex eſt miſsio, paſsiua, & actiua. Paſsiua iterum duplex eſt, nempè viſibilis, & inuiſibilis. Inuiſibilis eſt ea, qua perſona mittitur ſine ullo ſigno ſenſibili ad producendum aliquem effectum inſenſibilem, & ſic perſona D. mittitur ad Animas interiùs ſanctificandas per dona gratiæ ſine aliquo ſigno ſenſibili talis aduentus. Vndè dicitur ad Rom. 5. ***Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S qui datus eſt nobis.*** Miſsio ſenſibilis duplex eſt, alia in eſsendo, alia in repræſentando prior eſt illa, quæ ordinatur potiùs ad eſsendum, quàm ad repræſentandum; & talis eſt miſsio Verbi in Incarnatione, quæ potiùs ad eſſe unionis hypoſtaticæ ordinatur, quàm ad aliquid repręſentandum, & dicitur ſenſibilis, ſi non in ſe, ſaltem in termino, ſeu in homine, cui unitur, undè dicitur: Et Verbum caro factum eſt. Poſterior eſt illa, qua mittitur aliqua perſona ſub ſigno ſenſibili repræſentante effectum inſenſibilem; ſic miſsus eſt Spiritus S. in forma Venti, & Columbæ. Inſuper miſsio ſenſibilis duplex eſt, una, quæ eſt repræſentatiua effectus, qui actu producitur, ſicùt quando Spiritus S. in die Pentecoſt. miſsus fuit ad Apoſtolos, talis miſsio repræſentabat gratiam, quæ actu illis dabatur. Alia eſt repræſentatiua effectus, non qui actu producatur, ſed

qui iàm productus erat anteà, ut quandò miſsus fuit Spiritus S. ſuper Chriſtum in Iordane, talis miſsio ſignificabat gratiam, quæ illi iàm collata fuerat in primo inſtanti conceptionis. Tandem miſsio viſibilis, & inuiſibilis ſe habent tanquàm includens, & incluſum, eò quia quando miſsus fuit Spiritus S. ſuper Apoſtolos, miſsus eſt etiam inuiſibiliter in eos per gratiam.

Not. 3. Quod ab aliquibus reuocatur in dubium: An miſsio requirat, ut Perſona miſſa emanet, ſeu procedat à Perſona mittente. Nàm grauiſsimi Scholaſtici, inquit noſter Herincx ob reuerentiam Magiſtri ſent. & Auguſt. probabilem cenſent eorum loquendi modum, iuxta quem miſsio importat manifeſtationem Perſonæ, quod ſit, ſeu emanet ab alia, & ſi non à mittente; & hoc videtur docere D. Auguſt. 4. de Trinitate c.20. dicens. *Quod mitti ſit cognoſci eſſe ab alio, eſtò non à mittente*; ac proindè ſecundùm hanc doctrinam competere toti Trinitati mittere; & in hanc opinionem ſic intellectam D. Bonau. inclinat, & Scot. d.15. q.un. eſt problematicus, ut aduertit Herincx, & etiam D. Thomas problematicè procedit p.1. q.43. art.8. Verùm iſti Doctores non diffitentur, immò aſſerunt, quod magis propriè, & iuxtà ſenſum Sac. Scripturæ miſſio importet habitudinem ipſius miſsi ad mittentem, tanquàm ad principium: ideo ſit

I. Conc. Miſsio eſt manifeſtatio Perſonæ productæ in aliquo effectu externo de nouo producto, vel qui ſignificetur productus, viſibili, vel inuiſibili. Explicatur definitio, & ſimul probatur. Dicitur manifeſtatio, ut indicetur reſpectus rationis ad eum, cui fit miſsio; miſsio enim dicit duplicem reſpectum, unum realem ad mittentem, qui eſt relatio originis; nàm mitti à Perſona, eſt produci ab illa; & alium ad creaturam, vel humanam, vel Angelicam, non verò irrationalem, quia iuxta D. Auguſt. de Trinit. lib.4. c.5. *Mitti eſt cognoſci de Filio, quod à Patre ſit.* Qui quidem reſpectus ad creaturam eſt rationis tantum. Dicitur, Perſonæ productæ, & ſic miſsio conuenit ſolum Perſonæ emananti. Vndè in miſsione duo reperiùntur, manifeſtatio ad extra, & proceſſio ad intra. Dicitur in aliquo effectu de nouo producto, quia mittitur Perſona in tempore, ut creatura rationalis aliquid accipiat de nouo.

uo. Quarè creatio alicuius creaturæ, & illapſus per immenſitatem in eandem, non eſt aliquid accipere de nouo; cum in hoc ſenſu debeat præexiſtere; & ſic dicitur miſſum Verbum D. ad humanitatem, ut illa reciperet terminationem; ſic pariter miſſus fuit Spiritus S. ad Apoſtolos, ut de nouo reciperent gratiam. Dicitur, vel qui ſignificetur productus, quod patet ex dictis. Dicitur denique viſibili, vel inuiſibili, ut denotetur modus, quo mittitur Spiritus Sanctus, mittitur enim viſibiliter, & inuiſibiliter, ut explicatum eſt ſupra.

II. Conc. Perſonæ productæ competit miſſio paſsiua, & producenti conuenit actiua. 1. pars patet, quia miſsio paſsiua includit duo, nempè relationem originis, ſeu proceſſionem à mittente, & manifeſtationem ad extra; ſed ſola Perſona producta iſta duo includit; ergo ſola Perſona producta mittitur, & ſic ſolus Pater non mittitur, quia ab alio non procedit. Secunda pars eſt euidens; quia ſicut miſsio paſsiua dicit relationem originis ad producentem, à quo mittitur, ſic etiam miſsio actiua dicit reſpectum ad Perſonam productam, quam mittit; & ſic Spiritus S. non mittit; Filius verò, & mittit, & mittitur.

Arg. contra 1. conc. & præſertìm contra 2. particulam definitionis ſic. Verbum mittitur à Spiritu S. incarnandum, ut habetur Iſaiæ c. 61. *Spiritus Domini ſuper me, ad annunciandum miſit me*: ſed Verbum non procedit à Spiritu S. ergo &c. maior munitur etiam auctoritate D. Aug. aſſerentis 2. de Trinit. *Filium mitti etiam à Spiritu S immò & à ſe.*

Reſp. Sacram Scripturam intelligendam eſſe de Chriſto incarnato, ideſt ſecundum humanitatem, non de Chriſto incarnando; & in hoc ſenſu loquitur etiam D. Auguſt. & ſic verum eſt, quod tota Trinitas miſit, ac proindè Verbum ipſum D. cum opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa; Incarnatio autem eſt opus ad extra, ideò &c.

Contra. Si ſola Perſona producens mitteret, & non tota Trinitas, ſequeretur quod una Perſona aliquid efficeret, quod alia non faceret; ſed hoc eſt contra axioma Theologicum allatum, ergo &c. Patet ſequela, quia mittere eſt aliquem effectum producere.

Reſp. In miſſione duo reperiuntur. 1. manifeſtatio paſſiua Perſonæ miſsæ, & hæc eſt propria tantùm Perſonæ

pro-

productæ; eſtque tantùm reſpectus rationis. 2. productio gratiæ, & hæc conuenit toti Trinitati, quia eſt opus ad extra, ut de incarnatione dictum eſt; undè ſicut ſola Perſona ſecunda terminat naturam, ità ſola Perſona producta propriè manifeſtatur, & dicitur mitti.

Arg. contra 2. conc. Mittitur etiam Pater æternus, ut habetur Ioann. 13. *Pater meus diliget eum, & eum veniemus.* Vndè Auguſt. dicit, *Quamlibet Perſonam dare, & dari, & proindè mittere, & mitti.*

Prætereà Pater poteſt apparere in aliquo ſigno ſenſibili, ut fortaſſè apparuit in veteri Teſtamento ſub antiqui dierum, ſed illa apparitio eſt miſsio paſsiua, ergo etiam Pater mittitur paſſiuè.

Reſp. Patrem non propriè mitti ob rationem allatam; quatenùs nempè miſsio importat productionem à mittente; poteſt tamen dici: Pater veniat, detur, & appareat, hæc enim nomina ſunt eſſentialia ad extra, non notionalia. Quarè poſſent omnes Perſonæ ſe ipſas communicare, & venire; mitti verò non poſſunt, ità Auguſt. 4. de Trin. c.2. *Pater cum in tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus, non enim habet à quo ſit, aut à quo procedat*; ac proindè licet dici poſsit datus, non tamen miſſus, niſi latè, & impropriè.

Ad illud, quod dicitur, Patrem apparuiſſe: reſp. tranſeat, non tamen exindè rectè infertur, quod Pater miſſus fuerit; Nàm ad miſsionem duo requiruntur, nempè manifeſtatio, & proceſsio; cum igitur proceſſio Patri non competat, non poteſt dici miſſus, niſi lato modo &c.

Quæres. An miſsio ſit æterna, vel temporalis.

Reſp. Quod miſsio eſt temporalis, ut patet ex D. Paul. Galat. 3. *Cum venerit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum:* Et ratio eſt, quia licet miſsio connotet proceſsionem æternam, tamen pro formali importat manifeſtationem, ergo ſimpliciter eſt temporalis.

Quæres 2. Sub quibus ſignis apparuit Spiritus S. quando viſibiliter miſſus eſt, & quid denotent illa ſigna.

Reſp. Quater miſſum fuiſſe viſibiliter Spiritum S. 1. in ſpecie Columbæ, quandò Chriſtus baptizatus fuit; quod ſignificat fæcunditatem operum Chriſti, & noſtrorum per regenerationem ſpiritualem; columba enim eſt animal

fæcun-

fæcundiſſimum. 2. in ſpecie nubis lucidæ in transfiguratione Chriſti ad monſtrandam ipſius maieſtatem, ut etiam in alijs locis S. Scrip. per nubem oſtendirur maieſtas D. 3. ſub ſpecie flatus, quo ſignificatur peccatorum expulſio per pænitentiam. 4. tandem ſub ſpecie linguarum ignitarum, quod denotat virtutem feruidæ prædicationis, conceſſam fuiſſe Apoſtolis, quando ad eos miſſus fuit Spiritus S.

Aduertendum tamen, quod Columba erat quidem verum corpus, ſed non verè Columba ſecundum veriorem ſententiam, quam tradit D. Bonau. d. 16. art. 1. q. 3. ideoque ſtatim deſijt, & apud Euangeliſtas legitur ſicùt Columba Spiritus deſcendiſse. Similiter iuxtà Doct. Seraph. Ignis fuit verum corpus, non tamen verus ignis, quia non comburebat; & ideò dicitur. *Apparuerunt diſpartitæ linguæ tanquàm ignis*. Act. 1. Itaque apparuit Spiritus S. in ſpecie, non veritate Columbæ, & ignis.

QVÆSTIO III.

De modo loquendi, qui obſeruari debet in Myſterio Sanctiſsimæ Triadis.

PRæter ea, quæ in hoc tractatu ſparſim dicta, & notata ſunt circa legitimum, & ſanum modum loquendi de Ss. Trinitate, quem obſeruare debemus iuxtà præcepta noſtrorum Magiſtrorum, in hac quæſtione pro uberiori doctrina traduntur ſequentes Regulæ.

I. Regula. Omnia nomina eſſentialia rectè affirmatiuè prædicantur in abſtracto de omnibus tribus perſonis D. in ſingulari; non verò in plurali. Vndè rectę ſunt iſtæ propoſitiones: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt Deitas, ſapientia, potentia &c. Item una eſt perſonarum Deitas, eſſentia, potentia &c. Iſtæ autem ſunt illegitimæ: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt Deitates, ſapientiæ &c. De primis rationem dat Scot. in 1. d. 8. q. 4. quia eſſentialia etiam in abſtracto dicunt identitatem realem, quæ eſt cauſa rectę prædicationis affirmatiuæ cum perſonis D. ergo &c. De ſecundis verò ratio eſt, quia nomina eſſentialia in plurali uſurpata inducunt pluralitatem, & realem multiplicationem eſsentiæ D. & attributorum.

II. Re-

II. Regula. Nomina ſubſtantiua notionalia, tàm in abſtracto, quàm in concreto rectè affirmari poſſunt de eſſentialibus; adiectiua verò ſolum in concreto. Quarè veræ ſunt iſtæ prædicationes ſubſtantiuorum notionalium: Deitas eſt Paternitas, eſt ſpiratio, eſt Filiatio. Item iſtæ adiectiuorum: Deus eſt Paternitas, eſt Filiatio &c. Similiter iſtæ adiectiuorum notionalium in concreto tantùm ſunt veræ: Deus eſt generans. eſt ſpirans &c. Ratio de primis eſt. Quia huiuſmodi prædicationibus ſignificatur tantùm identitas realis inter eſſentiam, & proprietates notionales, quæ verè reperitur inter notionalia ſubſtantiua, & eſsentialia. Ratio de ſecundis eſt. Quia concretum eſsentiale poteſt ſupponere pro perſona, ut alibi notatum fuit. Vndè dicitur in Symbolo Niceno: ***Deum de Deo***.

III. Regula. Proprietates perſonales de ſe inuicem prędicare nequeunt, neque actus notionales. Vndè ratione primi non ſunt rectæ iſtæ enunciationes. Paternitas eſt Filiatio, & è contrà, & ratione ſecundi iſta non eſt recta: generatio eſt ſpiratio actiua. Ratio eſt, quia neque proprietates perſonales, neque actus notionales ſunt perfectiones infinitæ, ac proindè ex natura ſua non poſtulant identitatem inter ſe, quæ eſt fundamentum veræ enunciationis affirmatiuæ unius de altero.

IV. Regula. Rectè affirmantur actus notionales de proprietatibus perſonalibus in concreto reſpectiuè; non verò de ſignificatis in abſtracto. Vndè ratione primi, veræ ſunt iſtæ propoſitiones. Pater generat, Pater, & Filius ſpirant &c. Et pariter ſpirator ſpirat. Iſtæ autem ſunt falſæ, Paternitas, & Filiatio ſpirant. Ratio de primis eſt. Quia nomen concretum. e. g. Pater ſupponit pro perſona Patris tantùm, de qua rectè affirmatur ſua actio; ut Scot. in 1. d. 12. q. 1. docet. De ſecundis ratio eſt, quia actiones non ſunt formæ ut ſic, quæ per actus abſtractè ſignificentur, ſed formæ, ut in ſuppoſito, vel formæ, ut habent modum ſubſiſtentium, ſeu ſuppoſitorum; proprietas verò perſonalis v. g. Paternitas non eſt ſuppoſitum, nec ſubſiſtens, nec habens modum ſubſiſtentium, ſed eſt id, quo aliquid ſubſiſtit perſonaliter.

V. Regula. Quandocunque loquimur de Myſterio Ss.

Triadis ſemper omninò ſaluanda eſt D. naturæ unitas, & perſonarum D. Trinitas, & diſtinctio, ità docent Ss. Patres, & ratio eſt, quia nec vocabulis ſignificantibus alietatem naturæ D. nec verbis importantibus indiſtinctionem perſonarum uti debemus, quia tunc contra regulam loqueremur. Quarè circa unitatem D. naturæ obſeruandum, quod iſti termini, quales ſunt unum, idem unicum, neutraliter ſumpti maximè valent ad unitatem exprimendam D. naturæ. Vndè dicitur Io. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*. Secùs autem maſculinè ſumpti, dicendo Pater, & Filius ſunt unus, vel unicus. Ratio de primis eſt, quia illi termini neutraliter accepti ſupponunt pro unitate eſsentiæ, maſculinè verò pro perſona, niſi ſumantur ut quoddam ſyncathegorema, & addatur ly Deus; dicendo Pater, & Filius ſunt unus; ideſt Deus &c. Deindè non valent termini iſti: unitus, & coniunctus, eò quia ſecundum ſenſum communem Doctorum important unionem, quæ non eſt admittenda ullo modo in hoc myſterio ob ſummam Dei ſimplicitatem.

Obſeruandum pariter circa perſonarum diſtinctionem, quæ his, vel æquipollentibus vocibus, ut diſtinctæ, diſcretæ, ſecretæ, aliæ, alterę ſignificatur rectè illis uti; ſecùs autem ſentiunt Theologi de iſtis alijs, quales ſunt. Diſſimiles, diſpares, diuerſæ, alienus, diſcrepans, ſeparans. Ratio de primis eſt quia termini, diſtinctæ, diſcretæ &c. ſupponunt pro alietate, & diſtinctione proprietatum perſonalium. Ratio de ſecundis eſt, quia huiuſmodi termini, diſſimiles, diſpares &c. ſupponunt pro naturæ D. alietate, & diſtinctione.

VI. Regula. Numerus in Trinitate rectè ſignificatur termino, puta, multitudinis, pluralitatis, multiplicitatis, Trinitatis, ternarij, trini, & equipollentium. Vndè bona eſt iſta enunciatio; Deus eſt Trinitas, non verò iſta. Deus eſt triplicitas, neque iſta. Deus eſt triplex, ut aduertit D. Aug. 6. de Trinit. c. 7. Neque iſta Deus eſt multiplex, niſi debitè exponatur. Neque iſta Trinitas eſt trina; quia importat idem, quod tres Trinitates. Neque iſtà Deitas eſt trina, quia Deitas non eſt numerabilis formaliter. Neque tandem iſta, quam admittunt Marſilius, & Aliacenſis. Tres perſonæ ſunt tres Dij, eò quia ad veri-

tatem huius propoſitionis tequiritur etiam multipiicatio formæ, nempè Deitatis, cum ſit forma concreti ſubſtantialis.

Et hæc ſcripta, & ordinata ſint pro tenuitate mei ingenij ad laudem, & gloriam Sanctiſſimæ, atque ſemper adorandæ Triadis; cuius recta confeſsio, teſte D. Hieron. eſt ignorantia ſcientiæ; reſpuit enim Trinitatis arcanum; ut verbis D. Hilarij loquar copioſas, & inutilis phyloſophiæ quæſtiones. Quapropter Epheſina Synodus ſic monet. In ipſam rem curioſius noli inquirere; non enim per Græcorum ſapientiam, aut mundanum ſenſum percipitur, ſed ab utroque eſt aliena; nam Filij Dei cognitio; ac proindè totius Trinitatis Cæleſtis, Diuinæque inſpirationis donum eſt. Itaque Trinitatem Sanctiſsimam cum Hilario inclamabo. Tribuas ergo nobis Verborum ſignificationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem, & præſta, ut quod credimus, & loquimur, poſt huius vitæ miſerias comprehendamus, eoque fruamur in ſæcula ſæculorum. Amen.

Finis primę Partis Breuiarij Theologię vniuerſę. Deo gratias, & Immaculatæ Deiparæ.

Omnia, quæ in hac prima parte, & in omni alio meo ſcripto continentur, S. R. Eccleſiæ, ac Summi Pontificis iudicio, & correctioni humiliter ſubmitto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA.	CORRECTA.		
quod	quoad	pag. 8	verſ.26
firmum	fimum	67	22
proprietas	proprietatem	85	1
liberum	liber	107	32
cognitionum	cognitionem	123	2
creaturas	creaturæ	180	36
ab intrinſeca	ab extrinſeca	211	10
concurrentia	conuenientia	215	7
perſonali	perſonalitate	221	14
conſequentiam	conſequentia	241	14
habiturum	habituum	248	17
quorum vtraque	quarum neutra	253	31
præſupponuntur	preſupponunt	277	39
quatenus	quod	279	21
prædicatio	prædicatione	288	14
quod	quos	329	10

5. 2